This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

HARVARD LAW LIBRARY
3 2044 097 727 549

FRANCE

MANUALE

TOTIUS JURIS CANONICI

VÉNDESE
EN LA
LIBRERIA RELIGIOSA
MEXICO
Avenida del Cinco de Mayo Núm. 4

IMPRIMATUR :



Pictavii, 2 Februarii 1863.

† LUDOVICUS EDUARDUS, *Pict. Episc.*

De Mandato Episcopi :

LAURENT, *Super. Semin. Major. Pictav.*

MANUALE
TOTIUS
JURIS CANONICI

AUCTORE

D. CRAISSON

QUONDAM VICARIO GENERALI DIŒCESIS VALENTINENSIS

OPUS ROMÆ EX AUCTORITATE SUPERIORE EXAMINATUM,
APPROBATUM ET COMMENDATUM AB EXAMINATORIBUS ROMANIS

EDITIO NONA

NOVIS CURIS AUCTA ET EMENDATA;
SYLLABO, CONCILIO VATICANO, CONSTITUTIONI *Apostolicæ Sedis*, ALIISQUE
CONSTIT. S. PONTIFICIS, AC DECRETIS ROMANARUM CONGREG.
USQUE IN HANC DIEM EDITIS ADAPTATA.

—

TOMUS TERTIUS

—

PARISIIS

APUD A. ROGER ET F. CHERNOVIZ, BIBLIOPOLAS

7, RUE DES GRANDS-AUGUSTINS

—

1899

MANUALE

TOTIUS JURIS CANONICI.

LIBER SECUNDUS

DE REBUS ECCLESIASTICIS SEU SACRIS.

SECTIO PRIMA.

DE REBUS SACRIS SPIRITUALIBUS.

3/11/46

CAPUT IV.

DE EUCHARISTIA.

3352. « Eucharistia est Sacramentum Corporis et San-
» guinis Christi sub speciebus panis et vini, ad spiritualem
» animæ refectionem divinitùs institutum. Ita communi-
» ter. » Apud S. Liguor. (lib. 6, n° 189).

Circa rationem specificam et numericam hujus Sacramenti, vide Theologos, et S. Liguor. (*ibidem*).

Eucharistia consideratur vel quatenus Sacramentum, vel quatenus Sacrificium : unde duo erunt articuli.

ART. I.

DE EUCHARISTIA PROUT EST SACRAMENTUM.

3353. Plura sunt dicenda de ejus Materiâ et Formâ, de ipsius Ministro et Subjecto.

 606232

§ 1.

De Materiâ Eucharistiæ.

3354. I. Materia Eucharistiæ est panis et vinum : est de fide, et constat ex S. Matth., cap. 26, v. 26 et 27 ; S. Lucâ cap. 22 , v. 19 et 20 , etc.

Certum est consecrandam esse Eucharistiam sub utrâque specie ; et quidem, quidquid nonnulli dicant, ex necessitate præcepti etiam divini ; quod patet ex Concilio Trident. (sess. 22, cap. 1), ubi dicitur : « Christus Corpus et Sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit ac sub *earumdem rerum* symbolis, Apostolis, ut sumerent, tradidit ; et eisdem successoribus, ut offerent, præcepit per hæc verba : *hoc facite,* etc. » S. Lig., lib. 6, nº 196.

3355. Disputatur tamen an Papa in hoc dispensare valeat, et plures graves DD. affirmant, ap. S. Liguorium; sed negatur communiter, et in praxi hæc sententia est sola sequenda : quia probabile est fieri non deberi Sacramentum nisi in Sacrificio, ad quod requiritur utriusque speciei consecratio. Unde commune ac certum est apud omnes non esse licitum consecrare unam speciem etiam ad Viaticum moribundo præbendum ; communiterque rejicitur assertio Volaterrani dicentis dispensatum fuisse ab Innoc. VIII cum Norwegis ut possent consecrare panem sinè vino. Communiùs tamen docetur voluntariam consecrationem unius speciei semper esse validam, quamvis illicitè fiat. Imò sunt plures casus in quibus sinè peccato una species licitè sinè alterâ consecraretur, v. g. si quis inadvertenter aquam vel alium liquorem pro vino consecrasset, et postea vinum habere non posset, aut non sinè gravi scandalo, vel periculo vitæ, vel sinè magno simili incommodo habere posset; item si post consecrationem hostiæ, subitò immineret mortis periculum ab hostibus aut incendio, vel si sacerdos, hostiâ consecratâ, moreretur, vel loquelam amitteret, aut incideret in amentiam, etc., nec inveniretur alius qui sacrificium perficeret. Non tamen posset sacerdos consecrare in unâ solùm specie

ob metum mortis ad hunc finem incussum ut consecraret, quia tunc ageret directè contra præceptum divinum, quod est intrinsecè malum, ut ait S. Liguor., lib. 6, n° 197.

3356. Quærit. 1° Qualis esse debeat panis in consecratione adhibendus?

Resp. 1° Debet esse triticeus : dicitur enim in Decreto Eugenii IV : « Cujus (Eucharistiæ) materia est *panis triticeus* » et vinum de vite. » Et in rubricis Missalis : « Si panis » non sit triticeus, non conficitur Sacramentum. »

2° Coctus esse debet per modum panis, non in aquâ, aut frixus oleo, sed assatus.

3° Non subactus aquis artificialibus aut lacte, ovis, etc., sed aquâ naturali; imò plures putant panem aquâ marinâ subactum non esse materiam validam ; sed S. Liguor. nescit intelligere cur hujusmodi panis non esset materia valida, cùm aqua marina sit aqua naturalis. Quidquid sit, contingere posset ut panis esset materia dubia : si v. g. farinæ misceretur vel certa quantitas liquoris qui aqua non esset, vel alia substantia quæ non esset triticum ; sic dubia saltem esset consecratio panis rubri quo litteræ sigillantur; item si panis aliquatenus esset mucidus : tali autem pane uti esset certè mortale. S. Liguor., lib. 6, n^is 199-201.

3357. Perinde est ad valorem Sacramenti quòd panis sit azymus, aut fermentatus : sic enim habetur in Decreto *ad Armenos* : « Definimus in azymo sive fermentato pane tri» ticeo corpus Christi veraciter confici, sacerdotesque in » alterutro ipsum Domini corpus conficere debere, unum» quemque juxta Ecclesiæ suæ, sive Orientalis sive Occi» dentalis, consuetudinem. » Et hoc in suâ Constit. *Etsi pastoralis* anni 1742, Bened. XIV præcepit « sub pœnis per» petuæ suspensionis à divinis. » De hâc pœnâ silet C. *Apost. Sedis.*

3358. Quærit. 2° An Latinus in locis Græcorum possit in fermentato celebrare, et reciprocè Græcus in azymo, in Latinorum locis?

Resp. 1° Convenire DD. quòd si inveniatur inter Græcos ecclesia latina, latinus sacerdos debeat in azymo consecrare.

2° Si talis non adsit ecclesia, alii dicunt à Latinis obser-

vandum esse ritum Græcorum in eorum ecclesiis, et ritum Latinorum à Græcis in ecclesiis ritûs latini. Alii dicunt Latinos teneri in azymis et Græcos in fermentato. Sed communiter et probabilissimè tenetur posse, in casu supposito, consecrari tam in azymo quàm in fermentato. Vide apud S. Liguor., lib. 6, n° 203.

3359. Controvertitur an, in casu necessitatis, ad præbendum Viaticum moribundo, Latino sit licitum in fermentato consecrare; negat communis et probabilior sententia: quia in hoc præferenda est reverentia Sacramento debita, cùm aliàs Viaticum non sit moribundo simpliciter necessarium (S. Liguor., lib. 6, n° 203).—A fortiori Latino non liceret consecrare in fermentato ut fideles missam audirent die Dominicâ aut festo; sed non solùm posset consecrare in fermentato, ne sacrificium mutilatum maneret, sed ad hoc omninò teneretur, cùm jure divino integrum esse debeat missæ Sacrificium.

3360. Ex præcepto Ecclesiæ (quod, secluso scandalo, obligat tantùm sub levi), panis consecrandus, in Ecclesiâ Latinâ, figurâ orbiculari esse debet : apud Græcos verò quadrangulari et in particulis triangulari [1].— Item hostia debet esse integra, major pro missâ celebrandâ, minor, pro fideli communicando : uti fractâ vel maculatâ esset tantùm veniale, nisi enormis esset fractura vel macula : licitè autem, post oblationem, consecratur hostia fracta, nisi scandalum populi timeretur. Item licet privatim celebrare in hostiâ minori, quando alia haberi nequit, etiam causâ devotionis : imò etiam publicè, si causa urgeat, monendo populum ne scandalizetur.

Malè faceret parochus, qui renovaturus species consecratas, hostiam ab alio consecratam sumeret, ut à se consecratam in tabernaculo reponeret; quia debet communi-

[1] A sæculo XI vigere praxim hostias coquendi intra ferri laminas sculptas asserit Theol. Tolos. (*De Euchar.*, pars 1, c. 2, art. 1, § 1, q. 1); sed Berlendus, apud Bened. XIV (*De Sacrif. Missæ*, lib. 1, c. 6), fatetur se hujus rei originem invenire non potuisse. « In utrâque Ecclesiâ, tum Orientali tum Occidentali, inquit Bened. XIV (*ib.*), constans fuit consuetudo crucem vel crucifixi imaginem in hostiis imprimendi. »

care de suo sacrificio. Vide ap. S. Liguor., lib. 6, n[is] 204, 205.

3361. Species autem sacræ sunt renovandæ quolibet octavo die, juxta decisisonem S. R. Congr., 3 sept. 1672 et 16 dec. 1826 : hujus autem decisionis occasione, Gardellini dicit præfatam renovationem non esse saltem differendam ultra 15 dies : quod nititur Constit. 107 Clementis VIII, ubi dicitur : « Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, quod » pro infirmis asservatur, singulis octo diebus, aut *saltem* » *quindecim* renovetur. » Eadem et iisdem ferè terminis renovata fuit præscriptio à Bened. XIV, in Constit. *Etsi pastoralis*, § 6. Vide *Analecta* (39e livr., col. 4), *Revue des sciences ecclésiast.* (n° 2, p. 112), et Romsée (*Praxis celebr. missam*, pars 2, art. 13, n° 8).

3362. Quærit. 3° Quale vinum sit materia Eucharistiæ?

Resp. Solùm *vinum de vite*, uti definivit Eugenius IV in Decreto supra relato (3356) : non solùm autem tale non reputatur omnis liquor ex uvis non proveniens, sed etiam succus ex uvis immaturis expressus ; acetum, quia est vinum substantialiter corruptum ; uvæ, quia non sunt potus sed esca, ita ut ex ipsis frangatur jejunium ; sapa, id est mustum ad dimidiam partem decoctum, quia pariter ampliùs non est vinum sed cibus. Sic enim habetur in rubricis Missalis, *De defectibus* : « Si vinum sit factum penitus » acetum, vel penitus putridum, vel de uvis acerbis, seu » non maturis expressum, vel ei admixtum tantum aquæ, » ut vinum sit corruptum, non conficitur sacramentum.

» Si vinum cœperit acescere vel corrumpi, vel fuerit » aliquantulùm acre, vel mustum de uvis tunc expressum [1], » vel, etc... ; conficitur sacramentum, sed conficiens gra- » viter peccat. » Ex his posterioribus verbis non videtur posse sustineri sententia Salmanticens., et aliorum gravium DD. qui dicunt tunc tantùm peccari graviter in consecrando vino acescente, quando istud est proximum aceti

[1] In hoc « secundùm quosdam excusat devotio populi : quomodo » multi excusant, contra Suarez, quòd in quibusdam locis primitiæ » uvarum in calice exprimantur. Vide Bonac. » Ita Busembaum, apud S. Liguor., lib. 6, n° 207.

naturæ, ita ut dubitetur an qualitates vini amiserit: ex rubricâ enim sufficit quòd vinum incipiat acescere; præterea, quando dubitatur an vinum qualitates vini amiserit, dubia est consécratio, dum in casu præsenti rubrica supponit certam esse consecrationem; ergo, juxta rubricam, peccatum est mortale, etiamsi vinum non sit proximum aceti naturæ, ita ut dubitetur, etc.

3363. Dicit autem S. Liguorius in vino acescente considerandos esse gradus, alios extra, alios intra viam corruptionis, et proinde rubricam, juxta S. Thomam, intelligendam esse quando vinum vel panis ingressus est corruptionis limites, ita ut ad principium acrimoniæ accesserit. Addit insuper Lambert. cum Merato, etc., quòd « si urgeat necessitas » celebrandi... et non sit in eorum (de regularibus loqui- » tur) potestate aliud vinum habere, non peccant subditi » eo vino utentes...; et quamvis tali vino uti sit contra » reverentiam Sacrificii, ea tamen irreverentia non impu- » tatur celebranti, sed superiori vel ministro qui est causa » voluntaria illius. » (Apud S. Liguor., lib. 6, n° 207.)

3364. Si post consecrationem sacerdos prudenter dubitet an vinum fuerit verum acetum, non concordant DD. in eo quòd tunc sit observandum : putat verò S. Liguorius tunc, etiam post communionem, supplendam esse consecrationem; sed novum vinum tunc non esse consecrandum nisi sub conditione, ne exponatur periculo faciendi secundum sacrificium incompletum, si valida esset consecratio prioris vini. (S. Liguor., *ib.*, n[is] 206-208.)

Insuper Gobat, Croix, etc., probabiliter dicunt quòd, deficiente alio vino, liceat sinè scrupulo, prout solent viri probi, adhibere vinum tantùm parum acescens, sive non notabiliter acidum; adduntque Spor. et Mazzota quòd, urgente gravi necessitate, licitum sit uti vino adhuc notabiliter acescente, modò sit certum vinum.

3365. Controvertitur an vinum congelatum sit materia valida : verior autem videtur sententia affirmans; ita enim legitur in rubricâ : « Si in hyeme sanguis congeletur in » calice, involvatur calix pannis calefactis, etc.; donec » liquefiat. » Ergo supponit rubrica per congelationem

minimè corrumpi species vini, aliàs desineret esse sanguis Domini; nec rursum, sinè novâ consecratione efficeretur ipsius sanguis. Vide S. Liguor. (*ib.*, n° 207, q. 2).

Nulli tamen licitum est in vino congelato consecrare; sed valde probabile est licitè posse consecrari vinum liquefactum ex priùs congelato : casu autem quo illicitè sacerdos consecrasset vinum actu congelatum, tenendum esset pro consecrato, quia, ait S. Liguor., sententia negans illud validè posse consecrari, nullâ pollet solidâ probabilitate (lib. 6, n° 207, *in fine*).

3366. Vino consecrando modica aqua est admiscenda, non necessitate sacramenti, sed tamen præcepti graviter obligantis; sic enim habet rubrica Missalis : « Si... non » fuerit admixta aqua, vel fuerit admixta aqua rosacea, » seu alterius distillationis, conficitur sacramentum, sed » conficiens graviter peccat...

» Si celebrans, ante consecrationem calicis, advertat non » fuisse appositam aquam, statim ponat eam et proferat » verba consecrationis : si id advertat post consecrationem » calicis, nullo modo apponat : quia non est de necessi» tate sacramenti. »

Disputatur an hoc præceptum sit divinum vel solùm ecclesiasticum; utraque sententia est probabilis, juxta S. Liguor. (*ib.*, n° 208).

3367. Quænam verò quantitas aquæ sit in calice immiscenda? — Quidquid dicat Haber, videtur quòd liceat etiam unicam guttulam infundere : dicit enim Eugenius IV : « Vino ante consecrationem aqua *modicissima* admisceri » solet. » Ex cap. autem *Perniciosus* 13, *de celebr. miss.*, videtur quòd aqua pertingere possit usque ad tertiam partem; sic enim ait Honorius III in dicto capite : « Plus (in » calice) de vino quàm de aquâ ponendum »; et in Conc. Tiburt. : « Duæ sunt partes vini, tertia aquæ. » Verumtamen plures in praxi hoc non admittunt, nisi vinum sit generosum (S. Liguor., *ib.*, n° 210). Vide alia plura in rubricâ, *de defect.*, § 4 et 10.

3368. II. Ad validitatem autem consecrationis requiritur. 1° ut materia sit consecranti moraliter præsens et demons-

trativa, proindè sensibilis in se vel in alio continenti; hoc supponunt verba formæ *hoc* et *hic:* unde validè consecrantur hostiæ in ciborio cooperto, vel in cumulo, etiam à cæco, vel in tenebris, modò ex relatione alterius ei certificetur de præsentiâ materiæ; sed invalida esset consecratio, si materia esset valde remota, v. g., centum passibus (secus si distaret tantùm 20 passibus), vel si esset post parietem, aut in tabernaculo, quia paries, aut tabernaculum non habetur ut continens aut tegens.

3369. — 2° Ut sit certa, à consecrantis intentione et in individuo determinata; constat pariter ex his verbis *hoc* et *hic:* unde invalida esset consecratio, si ex multis hostiis, celebrans intenderet quatuor vel quinque ex illis consecrare, nullas designando, vel illas partes consecrare quas Deus elegerit, vel quæ, fractis speciebus, sint mansuræ in continuo, non verò quæ excident. Item non consecrantur hostiæ quæ, inscio celebrante, positæ fuerunt etiam in corporali, sejunctæ tamen à cumulo; nec guttæ vini quæ exterius calici adhærent, quia non intenduntur.

3370. Quoad guttas quæ sunt in calice separatæ, casu quo nihil celebrans de iis intenderet, disputatur : « Alii » negant, ut Busembaum...; alii affirmant, ut Croix...; » alii denique affirmant de guttis propinquis, negant de » remotis. Monet Platel... quòd sacerdos advertens statim » ante consecrationem, tales guttas, si sint vicinæ, admisceat; si verò remotæ, vel abstergat (quod ait Tanner... » haud expedire), vel excludat ab intentione; sed Croix » dicit etiam posse licitè includere eas in intentione, ne in » calice sit vinum quod non sit consecratum. Sic etiam » dicit Croix, contra Busembaum, quòd sacerdos debet consecrare micas adhærentes hostiis, non autem separatas » in patenâ vel corporali; nec obstat quòd eas sumendo » læderetur jejunium : nam magis videtur tunc præcavenda irreverentia Sacramenti quàm læsio jejunii : si » verò micæ sint in ciborio, eas etiam, ait, intendat consecrare cùm absit periculum eas perdendi. » Ita S. Lig. (lib. 6, n° 215).

3371. Valida erit consecratio, etsi celebrans existimet

unam vel duas hostias consecrandas adesse, cùm sint tamen plures à se vel ab alio positæ : quia censetur velle consecrare præsentes. Si post consecrationem sacerdos advertat duas esse hostias simul junctas, utramque sumere debet, ut habet Missale; si verò ante consecrationem et post oblationem id advertat, unam ex iis seponat et post missam, ipse vel alius sumat tanquam panem benedictum.

3372. Validè etiam consecrantur hostiæ, si, advertente celebrante, positæ fuerint in corporali, et celebrans intenderit illas consecrare. Ita communiter. — Sed quid, si extra corporale ciborium fuisset relictum? — De hoc duplex est sententia : negans vocatur communis et probabilior à S. Liguorio, quia celebrans non censetur voluisse consecrare extra corporale; quia tamen res est dubia, meritò Bened. XIV dicit ciborium esse consecrandum sub conditione in aliâ missâ; saltem hostiæ in eo contentæ post communionem et ablutionem sumantur, sed ante digitorum purificationem, quia reliquiæ sanguinis sunt certò sacramentum, non verò dictæ hostiæ. (S. Liguor., lib. 6 n° 217.)

3373. Si parvæ hostiæ afferantur post oblationem, sed ante Præfationem, licet eas consecrare, suppletâ mentaliter oblatione; plures idem docent, etiamsi canon sit inceptus, quando plures sinè communione remanerent, et consentit Bened. XIV (*De Sacrif. miss.*, lib. 3, c. 18, n° 6); si verò remaneret tantùm unus, melius tunc esset illi dare partem magnæ hostiæ, si alioquin diù expectare deberet communionem. (S. Liguor., lib. 6, n° 217.)

3374. Peccaret sacerdos si vas, in quo sunt hostiæ consecrandæ, non aperiret ante consecrationem, vel si consecraret materiam extra corporale, vel si majorem quantitatem hostiarum quàm tempore opportuno absumi possent; vel si ante consecrationem statueret non consecrare hostias appositas nisi in casu quo tempore consecrationis vel saltem oblationis memor esset. Vide S. Liguor., *ib.*, n^is 218 et 219.

3375. *Notà* quòd ex rubricis *De defectibus*, « si (celebrans) » post verba consecrationis advertat vinum non fuisse po-

» situm, sed aquam: depositâ aquâ in aliquod vas, iterum » vinum cum aquâ ponat in calice et consecret, resumendo » à verbis... *Simili modo*, etc.

» Si hoc advertat post sumptionem corporis vel hujus» modi aquæ, apponat aliam hostiam iterum consecran» dam et vinum cum aquâ in calice, offeratque utrumque, » et consecret et sumat, quamvis non sit jejunus; vel si » missa celebretur in loco publico, ubi plures adsint, ad » evitandum scandalum poterit apponere vinum cum » aquâ, et factâ oblatione ut supra, consecrare, ac statim » sumere et prosequi cætera. » In hoc posteriori casu missa reassumitur à verbis: *Simili modo* usque ad *Unde et Memores:* et statim communicatur; in priori verò, missa reassumitur à verbis *Qui pridie*, et sinè aliâ omissione usque ad finem prosequitur. Vide Bened. XIV, *De Sacrif. missæ*, lib. 3, cap. 15, n° 8.

3376. Quæri hic potest: 1° an casu quo sacerdos non adverteret à se fuisse consecratam materiam ineptam, nisi postquam reditus est in sacristiam et à sacris vestibus est exutus, iterum teneatur se sacras vestes induere et redire ad altare ad perficiendum sacrificium?

Resp. Busembaum, apud S. Liguor. (lib. 6, n° 288), dicit quòd in hoc casu omittenda sit nova consecratio; citatque Salmantic. (n° 80), Conin., Layman..., etc.; idem sentit Lequeux (n° 753), « quia, inquit, nova consecratio » non censeretur moraliter una actio cum priori sacrificio »: ita pariter Herdt (*Sacræ Liturg.*, pars 3, n° 10, III), citans Quarti, Collet, Lobner; his tamen auctoritatibus non obstantibus, probabilior nobis videtur sententia opposita: etenim, jure divino, complendum est sacrificium si adhuc perfici valeat; porrò etiam in casu proposito sacrificium videtur posse perfici, cùm nondum interruptio sit sat notabilis, ut absit unio moralis; et verò, casu quo deficiente celebrante, quærendus esset alter sacerdos, dicit Tamburinus illum esse quærendum per septem horas, quamvis alii ap. S. Liguor., probabiliter dicant duntaxat per unam circiter horam esse quærendum, aliàs non censeretur esse unum sacrificium (S. Liguor., lib. 6, n° 355); ergò, si saltem

una hora non effluxerit in nostro casu, celebrans videtur adstrictus ad mutilatum sacrificium complendum ; præterea si sustineri potest quòd non interrumpatur moraliter prandium die jejunii, etsi quis surrexerit à mensâ animo non ampliùs comedendi, ut videri potest apud S. Liguor. (lib. 3, n° 1020), cur idem dici non posset de missâ quando quis discedit ab altare, incompleto sacrificio? Ergo, etc.

3377. Quærit. 2° Quandiù Christus maneat in Eucharistiâ?

Resp. Certum et de fide esse Christum manere in Eucharistià quandiù species non sunt corruptæ (Trid., sess. 13, can. 4); porro in communicantibus hæc permanentia pendet à qualitate stomachi magis vel minus calidi : refert Lugo plures medicos à se Romæ consultos putasse in laicis intra minutum corrumpi, et in sacerdote intra medium quadrantem; saltem post quadrantem à communione etiam in sacerdote, ut certum habet De Lugo, et consentit Croix quoad sanos, species consummari.—Vide S. Liguor. (lib. 6, n° 225).

Innocentius XI per Decretum S. C. damnavit abusum tradendi communicantibus plures simul particulas, vel solito grandiores. (S. Liguor., *ib.* n° 228.)

3378. Quærit. 3° An liceat spuere post communionem, aut manducare?

Resp. 1° Omnes convenire congruum esse ut communicantes se abstineant à spuendo per aliquod temporis spatium, sed plures dicunt nullum in hoc esse peccatum, si nullum hostiæ fragmentum in ore remanserit.

3379. — 2° Hodie nullum est peccatum si comedatur dum adhuc in stomacho perseverant species consecratæ, modò adsit aliqua causa : esset enim aliqua irreverentia venialis si hoc fieret absque ullâ causâ. Vide S. Liguor. (lib. 6, n° 283).

§ II.

De Formâ Eucharistiæ.

3380. Forma Eucharistiæ duplex est sicut materia ; una enim est panis, et hæc est : « *Hoc est enim corpus meum* » ;

:era vini, nempe : « *Hic est enim calix sanguinis mei,*
» *novi et æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis*
» *et pro multis effundetur in remissionem peccatorum.*»

3381. In formâ panis omnia verba sunt essentialia præter verbum *enim*, cujus omissio, juxta Suarezium et alios, est solùm veniale peccatum; juxta Roncaglia verò et Concina esset mortale; et hoc, ait S. Liguorius, non est improbabile : in re enim tam gravi, non videtur levis materia quæcumque levis mutatio deliberatè apposita (lib. 6, n° 220).

In formâ autem consecrationis calicis, certè essentialia sunt hæc verba : *Hic est calix sanguinis mei;* controvertitur autem utrum cætera verba superiùs relata, sint pariter de essentiâ : communior sententia negat; sed cùm affirmans non sit improbabilis, casu quo celebrans prima tantùm verba dixisset, forma sub conditione esset repetenda; et qui scienter hæc posteriora verba omitteret certè mortaliter peccaret. (S. Liguor., lib. 6, n° 223.)

3382. Disputatur an hæc verba *Qui pridiè*, etc., sint de essentiâ : Scotus cum aliis affirmat, quia verba *Hoc est corpus meum*, prolata sinè præcedentibus, non significant Corpus Christi, sed sacerdotis : negant tamen communiter DD., et probant ex Decreto Eugenii IV, ubi consecratio dicitur non aliis fieri nisi verbis Christi : « Forma hujus » Sacramenti sunt verba Salvatoris quibus hoc conficit » sacramentum : sacerdos enim in personâ Christi loquens » conficit Sacramentum. » Probabilissimam hanc sententiam et communem vocat S. Liguor. (*ibid.*, n° 223); non audet tamen dicere improbabilem oppositam, tantò magis quia rubrica in casu materiæ dubiæ præcipit ut sacerdos incipiat ab illis verbis : *Qui pridie*, etc., et *Simili modo*, etc.

3383. Quoad mutationem verborum formæ, hæc habet rubrica Missalis : « Si quis autem aliquid diminueret vel » immutaret de formâ consecrationis, et verba idem non » significarent, non conficeret sacramentum : si verò ali- » quid adderet quod significationem non mutaret, confi- » ceret quidem, sed gravissimè peccaret. » Vide apud Theologos enumerationem casuum, sive in quibus invali-

daretur Sacramentum propter hujusmodi mutationes, sive saltem illicitè conficeretur : valida esset consecratio si quis diceret : *Hoc est colpus meum*, vel *copus meum* ; vel si pro *calix* diceret *calis*. (S. Liguor., lib. 6, n° 224.)

Nota adhuc ex rubricâ quòd « si....., semiprolatâ » formâ Corporis, obiit sacerdos, quia non est facta con» secratio, non est necesse ut missa per alium suppleatur; » si verò obierit semiprolatâ formâ Sanguinis, tunc alter » prosequatur missam, et super eumdem calicem repetat » integram formam ab eo loco : *Simili modo*, etc. ; vel » posset super alium calicem præparatum integram for» mam proferre, et hostiam primi sacerdotis et sanguinem » à se consecratum sumere, ac deinde calicem relictum » semi-consecratum. »

3384. Insuper observandum est 1° quòd, etsi in conficiendis aliis sacramentis minister voluntariè se distrahens non peccet plus quàm venialiter, ut communiter DD. asserunt, tamen sacerdos advertenter se distrahens in consecrandâ eucharistiâ, ratione gravis irreverentiæ, graviter peccaret.

2° Verba consecrationis minimè sunt replicanda, nisi valde probabiliter dubitet sacerdos aliquid omisisse : sic enim habet rubrica : « Si celebrans non recordetur se » dixisse ea quæ in consecratione communiter dicuntur, » non debet propterea turbari : si tamen *certò* ei constet » se omisisse aliquid eorum quæ sunt de necessitate » sacramenti, resumat formam; si verò valde probabiliter » dubitet se aliquid essentiale omisisse, iteret formam, » saltem sub tacitâ conditione. »

3385. Quæri potest an sacerdos ministrans Viaticum possit omittere illa verba : *accipe Viaticum*, etc.

Resp. Duplicem esse sententiam. « Cæterum, addit S. Li» guor. (lib. 6, n° 285, *in fine*), quidquid sit de hoc » puncto..., nullo modo potest dici quod præceptum » (Ritualis) proferendi illa verba inducat gravem obliga» tionem : verba enim quæ substituuntur *Corporis Do» mini*, etc., reipsa idem significant et operantur ; ad » excusandum verò à peccato veniali in casu nostro, benè

» sufficiens erit causa mutandi illa verba, ne infirmus
» magno mœrore afficiatur. »

§ III.

De Ministro Eucharistiæ.

3386. « Fide certum est, inquit S. Liguor. (lib. 6,
» n° 231), solos sacerdotes validè consecrare Eucharistiam,
» ut constat ex traditione et definitionibus Conciliorum... »
Sed quia contingere potest ut plures simul celebrent, prout,
v. g, in missâ ordinationis : « Qui cum Episcopo conse-
» crant, primò curare debent, ait idem S. Liguor., quoad
» fieri potest, simul cum Episcopo formam absolvere :
» præterea habere debent intentionem consecrandi tunc
» tantùm quando in eodem tempore cum Episcopo for-
» mam absolvunt : imò..., in consecratione calicis, inten-
» dant etiam non consecrare si panem fortè ipsi non con-
» secraverint. » (S. Lig., lib. 6, n° 232.)

Certum est etiam ad solos sacerdotes pertinere ordinariam administrationem Eucharistiæ. An verò diaconi possint esse ejusdem ministri extraordinarii diximus supra (1704); vide etiam S. Liguor. (lib. 6, n° 237), ubi expenditur quæstio an clericis et etiam laicis liceat in necessitate per seipsos Eucharistiam sumere, et dicitur quæstionem esse controversam : si tamen ageretur de sacerdote (*ibidem* n° 238), plures citantur auctores dicentes eum, etiam devotionis causâ, posse seipsum communicare, quia, præciso scandalo, in hoc nulla est irreverentia, nec ullibi est vetitum, nisi adsit alius sacerdos. Additque Concina cum aliis hoc etiam diacono permitti, quia ex Concilio Nicæno, can. 14, id ei conceditur : sed concludit in hoc spectandam esse disciplinam hodiernam ; idem sentit Lequeux saltem quoad sacerdotem (n° 791, III). Disputatur pariter an in necessitate laicis sit permissum Viaticum ministrare moribundo.—Sed etiam Tournely, qui id negat, excipit casum quo infirmus nequiret aliud sumere sacramentum, et dubi-

taret de suâ perfectâ contritione, quia tunc eucharistia fit sacramentum necessitatis. (S. Liguor., *ib.*, 3°.)

Qui sinè licentiâ pastoris, saltem præsumptâ, Eucharistiam ministraret, jus ipsius in re gravi læderet, ideoque graviter peccaret: quando autem parochus concedit alicui licentiam celebrandi in suâ ecclesiâ, censetur semper ei concedere etiam licentiam ministrandi Eucharistiam, nisi contrarium exprimat (Gury, tom. 2, n° 203). An autem sacerdos possit dare communionem in die Paschæ, vel moribundo sinè licentiâ parochi, jam diximus supra (1360, 1384, 1385). Quænam pariter sit obligatio parochi Eucharistiam et cætera sacramenta administrandi, etiam diximus (1469, 1504 et 3199). Disputatur autem utrum tempore pestis parochus teneatur suis parochianis Eucharistiam administrare: vide Theol. Tolos., *ib.*, q. 2; et S. Liguor., lib. 6, n° 233. — Quibusnam verò neganda sit communio, vide supra (3202, 3204-3212, 3222).

3387. Circa ultimam quæstionem, inquiri adhuc potest an communio sit concedenda capite damnatis?

Resp. Cum S. Liguorio (lib. 6, n° 247): « Negat Con- » tenson posse eis dari communionem, nisi diù pœniten- » tiâ sua crimina expiaverint; sed rectè affirmat lau- » dabiliùs posse dari dispositis per confessionem... P. » Concina... et Juenin..., ut usus habet in Italiâ et Germaniâ » (secus in Galliâ et Hispaniâ), et etiam unâ horâ ante » mortem, si necessitas urgeat, ut admittit Concina: ex » Concilio enim Nicæno, can. 13, præscribitur *quòd* » *Eucharistia danda est omnibus qui ad vitæ exitum* » *veniunt.* » Refert autem Roncaglia (ap. S. Liguor., *ibid.*, n° 293) S. Pium V improbasse consuetudinem non ministrandi Eucharistiam ultimo supplicio damnatis: unde Concil. Suessionense anni 1849 (tit. 7, c. 6) jubet ut capite damnati, *modò verè pœnitentes sint,* recipiant Eucharistiam pridie executionis vel etiam ipsâmet die, quando nihil indecentiæ sit timendum erga sacramentum; Busembaum ap. S. Liguor. (*ibid.*), vult ut eis communio detur *etiamsi crimen negent et violenta duret suspicio, dummodo pœnitentiam præ se ferant :* potest autem communio dari eis

etiam non jejunis, si opus sit. (S. Liguor., lib, 6, n° 293.) —De hâc quæstione, vide *Revue des sciences ecclésiastiques,* n° 11, p. 437, etc.

3388. Ministrare Eucharistiam sinè lumine et solitâ confessione, reputatur tantùm veniale, ut communiter dicunt Suarez et alii: in necessitate autem communiùs et sat probabiliter dicunt non esse peccatum Croix, Gobat, etc., ap. S. Liguor., lib. 6, n° 261.

Etsi ex Rituali Romano *deferri debeat hoc Sacramentum manifestè atque honorificè*, quædam sunt circumstantiæ excipiendæ; v. g., in locis hæreticorum, ubi manifestè deferri nequit publicè; et etiam aliquando in partibus catholicorum, si in eis deferri nequeat cum debitâ reverentiâ; secretò tamen sinè Episcopi licentiâ deferri non debet.— (P. Gury, tom. 2, n° 217.)

3389. Controvertitur utrum liceat currere per publicum ad ministrandam Eucharistiam citò morituro; sed licet tunc et oportet valde festinare; secus in Baptismo et Pœnitentiâ : tunc enim currendum esset. (S. Liguor., lib. 6, n° 242.)

3390. Ad infirmum longè distantem, vel causâ tempestatis, vel quia periculum est in morâ, licet, saltem ubi viget consuetudo, deferre Viaticum in equo mansueto, ita ut non sit periculum lapsûs.—Quamtumvis sacerdos sit fatigatus, non licet dare laico pixidem portandam, sed potiùs ex collo bursa est suspendenda (S. Lig., *ibid.*, 243).

3391. « Non licet S. Eucharistiam ad ægrotantes deferre
» qui morbi gravitate impediti sumere eam non possunt,
» sed venerationis gratiâ solent eam deosculari; et si fortè
» aliquo in loco, talis est consuetudo, ea prorsus est
» tollenda, quod Paulus V prohibuit... Ita S. Cong. Conci. »
Hæc autem habet Rituale Pauli V (*de communione infirmorum*): « Sed (Eucharistia), alicui ad adorandum solùm, seu
» devotionis seu cujusvis rei prætextu, ad ostendendum
» non deferatur. »

3392. Etsi quæstio sit controversa, probabilius tamen est quòd ob chiragram non sit licitum dare communionem aliis digitis quam indice et pollice; communiter verò ad-

mittitur hoc licere in casu extremæ vel gravissimæ necessitatis. Vide dicta supra (1863) et S. Liguor. (*ib.*, n° 244).

3393. De modo quo possit Eucharistia ministrari peste infestis, diximus supra (3201); liceret autem dare hostiam in cochleari cum vino, infirmo qui ob siccitatem oris non posset eam deglutire : sed illicitum esset dare ei *species* vini. Ita communissimè : quia præceptum Viatici non obligat quando nequit sumi Eucharistia debito modo et Ecclesiæ ritu. (S. Liguor., lib. 6, n^is 244, 245 et 288.)

3394. Regulariter distribuenda est communio in missâ post communionem celebrantis, ante purificationem (vide Rituale Romanum) : sed aliis momentis, etiam extra missam, dari potest ex rationabili causâ, juxta determinationem Episcopi cui fideles obtemperare debent. Vide Benedictum XIV (tom. 1, Bullar, p. 212, n° 64; et *De Sacrif. missæ*, lib. 3, c. 18, n° 1), P. Gury (tom. 2, n° 213), qui addit : « Imò, ubi est communicantium affluentia, expedit » differre communionem ad absolutum sacrificium, ne » missæ assistentes nimio tempore in ecclesiâ detineantur » et tædio afficiantur. » Attamen, juxta Bened. XIV (loco citato, n° 9), « errant qui nullo discrimine, post finem » missæ, sacram præbent Eucharistiam. »

3395. Quærit. 1° An dari possit communio in missis *De Requiem?*

Resp. Vel agi de particulis in hâc missâ consecratis, vel de particulis consecratis in aliâ missâ : si *priùs*, negant quidem posse dari communionem Gavantus et Croix, ex Declar. S. C. Rit., 22 jan. 1701 : sed omnino tenenda est opinio communis affirmans : quia, inquit Tridentinum (sess. 22, c. 6), optaret « Sacrosancta Synodus ut in sin» gulis missis, fideles adstantes Eucharistiæ perceptione » communicarent. » Ergo etiam in missis defunctorum : nec obstat allegata Declaratio S. R. Congreg. quia eadem Sacra Congregatio, 22 martii 1711, censuit hoc Decretum esse suspendendum, et contrarium statuit, anno 1741, ut mox videbimus.

3396. Si *posteriùs*, vel dicitur missa *De Requiem* in pa-

ramentis violaceis [1], vel in paramentis nigris: si priùs, quidam dixerunt posse ministrari communionem ex particulis præconsecratis, sive intra missam, sive ante aut post; sed huic adversari videntur duæ decisiones S. Cong. Rit. relatæ in Collectione *Rev. des sciences eccl.*, n° 31, p. 50; si posteriùs, ministrari non potest intra missam, juxta Decretum S. Cong. Rit. sept. 1741 in *Aquensi*, sic se habens: « In missis defunctorum quæ in paramentis nigris celebrantur, non ministretur Eucharistia per modum Sacramenti, scilicet cum particulis præconsecratis, extrahendo pixidem à custodiâ. Potest tamen ministrari per modum Sacrificii, prout est quando fidelibus præbetur communio cum particulis infra eamdem missam consecratis. »

Attamen, quia Bened. XIV, qui in suo Tract. *De Sacrif. Missæ* (tom. 9, lib. 3, c. 18) asseruerat posse dari communionem in missâ *De Requiem* cum particulis etiam præconsecratis, suam non mutavit sententiam, in editionibus sui Operis quæ vulgatæ sunt post supradictam S. C. Rit. Declarationem; quia præsertim S. R. Congreg. pluries consulta, et specialiter 12 apr. 1823 et 23 sept. 1837, responsum dare semper distulit, ob auctoritatem Bened. XIV et aliorum qui illum sequuntur, praxis communionem distribuendi in missis *De Requiem*, etiam cum particulis præconsecratis, servari potest ubi viget, quandiù S. R. Congr. aliud non statuerit. Ita Herdt (*Sacræ Liturgiæ*, pars 2, n° 28, IV); P. Gury (tom. 2, n° 215); Gousset, *Theol. mor.* (n° 207); et *Revue des sciences ecclés.*, n° 31, p. 51-54.

3397. Cæterum, ante vel post missam *De Requiem*, licitum non esse distribuere communionem cum paramentis nigris docebant plerique liturgici et ipsamet S. R. C. Cf. S. Lig. (lib. 6, n° 249, *dub.* 3); De Herdt (*l. cit.*, V). *Revue des sciences ecclés.*, *ibid.*, p. 56. At nunc nulla ampliùs est prohibitio ex decreto quod referimus in App. I.

1. In alterutro colore celebrari poterat missa *De Requiem* juxta Decretum 21 junii 1670 *in Prltana* : « Missæ defunctorum non possunt celebrar. nisi cum colore nigro, vel *saltem violaceo* ex rationabili causâ. » Sed colore violaceo hodie uti non licet nisi unico in casu excepto in Decreto quod vide in App. I.

3398. Quærit. 2° Quid sit agendum casu quo decidit hostia vel effunditur sanguis?

Resp. Quoad *primum*, sic haberi in rubricâ Missalis : « Si » hostia consecrata vel aliqua ejus particula dilabatur in » terram, reverenter accipiatur, et locus ubi cecidit, mun- » detur et aliquantulum abradatur, et pulvis seu abrasio » hujusmodi in sacrarium immittatur. Si ceciderit extra » corporale in mappam, seu alio quovis modo in aliquod » linteum, mappa vel linteum hujusmodi diligenter lave- » tur, et lotio ipsa in sacrarium effundatur. »

Observat verò circa hæc S. Liguor. (lib. 6, n° 250), quòd primò locus, ubi cecidit hostia, tegendus sit panno lineo mundo, et postea abluendus, juxta præfatam rubricam, quam sub gravi non obligare dicunt Pasq. et Gury cum communi (tom. 2, n° 211); imò juxta plures alios, ordinariè omitti potest ablutio vestis aut barbæ, ad evitandam turbationem populi.— Si autem hostia decidat super ubera mulieris, non debet ipse sacerdos auferre, sed ipsa mulier extrahat et reponat in ciborio.

3399. Quoad *secundum*, sic iterum præscribit rubrica Missalis : « Si per negligentiam aliquid de sanguine Christi » ceciderit : si quidem super terram seu super tabulam, » linguâ lambatur; et locus ipse radatur quantùm satis » est, et abrasio comburatur : cinis verò in sacrarium re- » condatur; si verò super lapidem altaris ceciderit, sorbeat » sacerdos stillam, et locus benè abluatur, et ablutio in » sacrarium projiciatur; si super linteum altaris et ad aliud » linteum stilla pervenerit : si usque ad tertium, lintea- » mina ter abluantur ubi stilla ceciderit, calice supposito, » et aqua ablutionis in sacrarium projiciatur; quòd si in » ipso solùm corporali, aut si in vestibus ipsis sacerdota- » libus ceciderit, debet similiter ablui et ablutio in sacra- » rium projici; si in substrato pedibus panno vel tapete, » benè abluatur, ut supra. » — Benè ergo ablui debent omnia quæ pretioso sanguine fuerint imbibita, et quidem sub gravi (Gury, tom. 2, n° 211); sed non est opus ea comburi (S. Liguor., lib. 6, n° 250).

3400. Quærit. 3° Quid sit faciendum de hostiarum fragmentis?

Resp. Sic dici in rubricâ Missalis : « Si deprehendat (sa- » cerdos) post sumptionem Corporis et Sanguinis, aut » etiam post ablutionem, reliquias aliquas relictas conse- » cratas, eas sumat, sive parvæ sint sive magnæ, quia » ad idem sacrificium spectant. » Idque fieri potest etiam in Sacristiâ, si sacerdos adhuc sit indutus sacris vestibus. Vide Bened. XIV, *De Sacrif. Missæ* (lib. 3, c. 17, n^is 5 et 6). — Hæc decisio, juxta sententiam communem contra nonnullos, intelligenda est de fragmentis ejusdem non verò alterius Sacrificii, cùm dicat rubrica : *quia ad idem Sacrificium spectant.* Attamen si adesset periculum irreverentiæ, etiam fragmenta alterius Sacrificii sumi possunt. Imò si exutus à sacris vestibus fuerit celebrans, illæ reliquiæ, juxta Bened. XIV (*ib.*), reponendæ sunt in tabernaculo, si adsit et prudenter id fieri valeat, vel reservandæ alteri sacerdoti celebraturo eodem mane, alioquin ab eodem qui celebravit sunt sumendæ.

3401. Quoad verò hostias integras, sic legitur in rubricâ Missalis : « Si verò relicta sit hostia integra consecrata, » eam in tabernaculo... reponat; si hoc fieri nequit, sequenti » sacerdoti... sumendam.. relinquat; vel si neutrum.. fieri » possit, in ipso calice decenter conservet » (unde regulariter hostia integra non est sumenda à celebrante post ablutionem, etsi adhuc ad altare steterit); « quod si non habeat » quomodo honestè conservetur, potest eam sumere. » — Veniuntne nomine hostiæ minores formulæ?—Bened. XIV approbat opinionem eorum qui affirmant (*ibid.*, n° 4).

Si particulæ sint inventæ extra corporale, in dubio an sint consecratæ, sumendæ sunt etiam post ablutionem. (Apud S. Liguor., n° 151, *in fine.*)

3402. Si pars hostiæ, post sumptam ablutionem, calici aut palato adhæreat, decentiùs novâ ablutione quàm digito disjungetur, quamvis Missale permittat ut etiam digito attrahatur ad labium calicis, et sumatur ante ablutionem. Apud S. Liguor., lib. 6, n° 288.

3403. Quærit. 4° Quâ horâ Eucharistia possit dispensari, et an omni die?

Resp. 1° Quâlibet diei horâ dispensari potest, nisi sub Vesperis in extremâ diei parte, quia circa hoc nulla adest prohibitio. Ita communiter, juxta S. Liguorium (lib. 6, n° 252).

Quoad noctem, sic habet Rituale Romanum: « Noctu » autem hoc sacramentum deferri non debet, nisi neces- » sitas urgeat »; urgente verò necessitate, deferri debet tunc sinè strepitu et campanulæ sonitu: dicit autem P. Gury prohibitionem communicandi noctu non respicere communitates quæ SS. Sacramentum in suo sacello asservant, cùm cesset irreverentiæ periculum propter quod lex fuit lata; sed in hoc errare videtur hic auctor, cùm pluries fuerit decisum à S. Rit. Cong., id esse vetitum *sinè speciali Indulto, etiam in nocte* Nativitatis Domini, sive in primâ missâ solemni sive postea: « quæ prohibitio, inquit Herdt (*Sacræ Liturg.*, pars 5, » n° 2, V), spectat ad sæculares et *moniales*, pro quibus » permissio licet sæpiùs à S. Rit. Cong. petita, negata » tamen fuit, uti videre est in Decreto 9 aug. 1760, » n° 4146; 9 dec. 1760, n° 4148; 10 dec. 1768, n° 4197. » Vide etiam Bened. XIV, *De Sacrif. Missæ* (lib. 3, cap. 18, n° 13).

3404. Resp. 2° Prohibetur dare communionem in die *Parasceves*, nisi solis infirmis; idem dicit Bened. XIV (*ib.*, n° 14) quoad Sabbatum Sanctum; contradicit tamen S. Liguor. (lib. 6, n° 252), et asserit eo die communionem dari Neapoli et pluribus aliis ecclesiis regni, post missam solemnem: sed juxta S. Rit. Congreg., in *Mutin.*, ad 2 (23 sept. 1837, n° 4815), non est distribuenda communio Sabbato Sancto, nisi in locis ubi invaluit consuetudo, et tunc quidem distribui debet duntaxat intra missam solemnem, vel post completum officium[1]. Non licet autem dare communionem in privato oratorio, sinè speciali Ordinarii licentiâ (Bened. XIV, *ib.*)

[1] An liceat Sabbato Sancto celebrare missas privatas, vide infra dicenda (3553).

3405. Quærit. 5° Quænam regulæ sint observandæ circa communionem frequentem?

Resp. Juxta S. Liguor. (lib. 6, n° 254), admissio ad communionem magis vel minus frequentem, arbitrio confessariorum est relinquenda; idem sentit Bened. XIV (*De Syn.*, lib. 7, c. 12, n^{is} 6-9), ubi remittit ad Decretum Innoc. XI, 12 febr. 1679 [1]; et addit: « Præcipuè monendi » sunt confessarii ne frequentem ad Eucharistiam accessum iis aut suadeant aut permittant qui in gravia peccata sæpe labuntur, nec de pœnitentiâ peragendâ, suâque » vitâ emendandâ sunt solliciti: sicuti nec illis qui, etsi » gravia evitent crimina, voluntatem tamen habent venialibus inhærentem; quâ de re legendi sunt S. Franciscus » Salesius, *Philotea*, pars 2, c. 20; etc. » Optaret verò Synodus Tridentina ut fideles communicarent singulis missis (sess. 22, c. 6).

Vide circa hanc quæstionem *Revue des sciences ecclés.*, n° 11, p. 432, etc.; et Decretum Innocentii XI supra citatum, apud *Analecta*, 50e livr., col. 1507.

§ IV.

De Subjecto Eucharistiæ.

3406. Solus homo baptizatus Eucharistiam sacramentaliter potest recipere, quia Baptismus est janua sacramentorum; dicendum est 1° de necessitate Eucharistiæ; 2° de dispositionibus requisitis quoad animam; 3° de dispositionibus requisitis quoad corpus.

PUNCTUM I.

DE NECESSITATE EUCHARISTIÆ.

3407. Certum est Eucharistiam esse necessariam ad salutem, necessitate, non solùm præcepti ecclesiastici, sed etiam divini: « Hoc facite in meam commemorationem » (S. Lucas, caput 22, v. 19); et: « Nisi manducaveritis carnem

[1] Refertur à Bened. XIV loco citato, et à Lequeux, n° 782.

» Filii hominis », etc. (S. Joann., c. 6, v. 54).—An insuper Eucharistia sit necessaria necessitate medii saltem in voto, tùm ad primam gratiam obtinendam quàm ad vitam spiritualem conservandam, vide Theologos, et S. Liguor., lib. 6, n° 192.

3408. Communio parvulis non est necessaria : « Si quis » dixerit parvulis, antequam ad annos discretionis perve» nerint, necessariam esse Eucharistiæ communionem, » anathema sit. » (Trident., sess. 21, can. 4.)

3409. Præceptum communicandi sub utrâque specie non obligat laicos, sed solos sacerdotes. (Trident., sess. 21, can. 1.)

3410. Præceptum communicandi obligat sub gravi, tum in articulo mortis, tum etiam sæpiùs in vitâ, ut communiter dicunt DD. et per accidens sæpiùs fortè in anno : hoc tamen Suarez dicit rarissimè evenire posse. (Ap. S. Liguor., lib. 6, n° 295.)

Unde 1° quisque fidelis in periculo vitæ, quod prævidet et meritò timet, tenetur sub mortali communicare : v. g., in gravi morbo, ante puerperium præsertim primum, ante conflictum vel navigationem. De capite damnatis, diximus supra (3386.)

3411. Disputatur an is qui paucis ante diebus, communicavit ex devotione, teneatur sumere Viaticum, superveniente mortis periculo; communior sententia negat; affirmantem nihilominus S. Liguorius probabiliorem vocat, quia præceptum recipiendi Eucharistiam obligat instante morte; porrò debito satisfieri nequit antequam contrahatur, sicut non adimpleret præceptum paschale qui pridiè temporis paschalis communionem sumeret.—(S. Liguor., lib. 6, n° 285, *dub.* 2.)

3412. An autem qui mane communicavit, possit aut debeat, superveniente mortis periculo, Viaticum sumere? — Tres sunt sententiæ : alii affirmant; alii dicunt posse communicari, sed non teneri; alii tandem omninò negant : tres illas sententias ut probabiles habet Bened. XIV (*De Syn.*, lib. 7, cap. 11) qui ait : « In tantâ opinionum DD. » discrepantiâ, integrum erit parocho eam sententiam

» amplecti, quæ sibi magis arriserit. » S. Lig. (*ib.*, dub. 3,) distinguit inter morbum naturalem et violentum : in hoc posteriori casu, admittit quòd communio non tantùm possit, sed etiam quòd debeat sumi ; secus in priori casu, quia ægrotus jam erat in periculo, quando mane communicavit, unde præceptum adimplevit.

3413. Si adsit dubium de periculo vomitûs, priùs dari potest particula non consecrata : quam si æger rejiciat, nullo modo est danda consecrata, secus si retineat ; si verò independenter à cibo, perpetuò evomat, nullo modo etiam est danda, nisi fortè per sex horas liber à vomitu fuisset : quia reverentia sacramenti præferri debet utilitati infirmi : ita probabiliùs et communiùs ; idem est servandum in casu delirii. Æger autem qui tussi vexatur, potest communicare, quia via per quam sputa excutiuntur, non est œsophagus seu via ciborum ad stomachum, sed potiùs aspera arteria, seu via respirationis ad pulmones, modò tamen particula possit ad stomachum descendere : nam si tussis ita esset continua ut id non permitteret, abstinendum esset à communione, uti habetur in Rituali Romano, *Comm. infirm.* (S. Liguor., lib. 6, n^{is} 291 et 292.)

3414. Qui post Viaticum peccavit mortaliter, non tenetur iterum communicare : tunc enim ei sufficit confessio. (S. Liguor., *ib.*, n° 293.)

3415. Dandum est Viaticum etiam pueris doli capacibus : ita Bened. XIV, *De Syn.* (lib. 7, c. 12, n° 3) cum aliis multis ; errant ergo qui eis Viaticum dare nolunt : P. Gury (tom. 2, n° 224) ; *Revue des sciences ecclés.*, 20 mars 1861, p. 210, ubi dicitur quòd hoc non possit ab Episcopis prohiberi. Si verò de capacitate pueri dubitetur, etsi non sit obligatio illum communicandi, potest tamen communio illi administrari. (S. Liguor., *ibid.*, et n° 391, *dub.* 2.)

3416. — 2° Etsi Christus non determinaverit tempus communionis extra periculum mortis, Ecclesia tamen pro eo designavit tempus paschale, quod communiter numeratur à Dominicâ Palmarum usque ad Dominicam *in albis :* et hoc ex Declaratione Eugenii IV (*De Syn.*, lib. 12, cap. 6,

n° 10). Alicubi tamen totam Quadragesimam comprehendit; alibi extenditur ex consuetudine vel Indulto; illudque confessarius potest ampliare ex justâ causâ (S. Liguor., lib. 6, n[is] 294 et 296). Josephus Ferrari (ap. *Analecta*, nov. 1855, col. 1808) dubitat an tempus paschale possit extendi solius Episcopi auctoritate, quia hoc tempus fuit à Concilio Œcumenico determinatum : fatetur tamen plures DD. ita sentire, et pluribus in locis id praxi confirmari; imò Fagnanus à D. Guillois (*Explic. du catéchisme*, tom. 3, p. 180) relatus, asserit S. Congr. Conc. declarasse ad Episcopum pertinere prorogare tempus paschale; secus autem videtur sentire Bened. XIV (*De Synodo*, ibid.).

3417. Præceptum Ecclesiæ sic exprimitur in capit. *Omnis utriusque sexûs*, *de Pœnitent. et remiss.*, desumpto ex Concil. Lateran. IV : « Omnis utriusque sexûs, postquam » ad annum discretionis pervenerit, semel saltem in anno » confiteatur..., suscipiens reverenter ad minus in Paschâ » Eucharistiæ sacramentum : nisi fortè, de proprii sacer» dotis consilio, ob aliquam rationabilem causam, ad tem» pus ab ejusmodi susceptione duxerit abstinendum ; alio» quin, et vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, et moriens » christianâ careat sepulturâ[1]. » Vide etiam Concil. Trid. sess. 13, can. 9). Ante Conc. Lateran., pluries Ecclesia, præceperat communicare ter in anno : in Paschate nempe, Pentecoste et Natali Domini (S. Liguor., lib. 6, n° 295).

3418. Sacerdos, ubivis celebrando, præcepto huic satisfacit : ita communiter ex consuetudine. Si verò non celebret, tenetur communicare in parochiâ, prout alii fideles. (S. Liguor., *ibid.*, n° 300.)

Quoad peregrinos et vagos, vide dicta superius (1358). Quoad inservientes in monasteriis, vide (1359); et quoad Ecclesiam Cathedralem (1357).

3419. Satisfaciunt præcepto communicantes extra ecclesiam parochialem , si hoc faciant cum consensu , etiam præsumpto (modò certò præsumatur) legitimi Pastoris :

[1] Pœna hæc non incurritur nisi post sententiam. Ita communiter.

legitimi autem Pastores sunt S. Pontifex, Episcopus diœcesanus, ipsius Vicarii Generales et parochus.

3420. Reprobatur autem opinio quorumdam dicentium posse impleri præceptum in ecclesiis regularium. (S. Liguor., lib. 6, n° 300.), vel in Cathedrali.

3421. Præcepto communionis paschalis non satisfit per sacrilegam Corporis Christi manducationem: contradictoria fuit damnata ab Innocentio XI.

Quidam volunt annum hujus obligationis incipere à januario ad decembrem : sed ex communi DD. sententiâ, tempus est computandum à Paschate ad Pascha. S. Liguor. (lib. 6, n° 296).

3422. Disputatur pariter an qui in Paschate communionem omisit, teneatur quamprimùm communicare; tres sententias affert S. Liguorius (lib. 6, n° 297): unam quæ absolutè negat; aliam quæ distinguit, affirmando ad hoc teneri eum qui omisit ex impotentiâ, non verò qui omisit ex malitiâ; tertiam tandem quæ sinè distinctione omninò affirmat.

« Ratio præcipua *primæ* sententiæ est, quia obligatio communionis annuæ affixa est tempori paschali, sicut obligatio sanctificandi unam diem in hebdomadâ est affixa diei Dominicæ : porrò qui omisit missam audire die Dominicâ non tenetur illam audire diebus subsequentibus; ergo pariter, etc.

Ratio *secundæ* sententiæ est eadem pro casu omissionis per malitiam : casu verò quo quis fuit impeditus, ideo adhuc ad communionem tenetur, quia Ecclesia consentit ad dilationem impletionis præcepti.

3423. Rationes tandem quibus nituntur patroni *tertiæ* sententiæ sunt: 1° quòd præceptum ecclesiasticum circa communionem nihil aliud sit quàm determinatio ab Ecclesiâ *facta* temporis quo præceptum divinum communicandi est adimplendum; ergo hoc præceptum est ad urgendam, non verò ad finiendam obligationem; ergo, etc. 2° Non tantùm Ecclesia obligat ad communicandum tempore paschali, sed ad communicandum saltem singulis annis, prout colligitur ex can. 9, sess. 13, Concilii Trident., ubi dicitur : « Si

« quis negaverit omnes fideles teneri, *singulis annis* saltem « in Paschate, ad communicandum, juxta præceptum » S. Matris Ecclesiæ, anathema sit. » Ergo, transacto tempore Paschali, adhuc remanet præceptum communicandi singulis annis. Dicit verò Lugo quòd si quis omisit communicare in paschate, non peccat quoties, datâ opportunitate, communionem differt, sed tantùm si intra annum communionem omittit; probabiliorem tamen S. Liguorius vocat sententiam contrariam Tournely et aliorum: quia præceptum communicandi in Paschate non est ad finiendam, sed ad sollicitandam obligationem. Huic tertiæ sententiæ adhæret S. Liguor., quamvis non contemnendam judicet primam opinionem.

3424. Si quis communicaverit ante tempus paschale, existimans se fore impediendum, non ideo adimplevit præceptum; sed adhuc tenetur, tempore Paschatis, communicare si postea non sit impeditus, quia intentio non potest efficere quòd actus, positus tempore quo nondum cœperat obligatio, sit satisfactorius; id confirmatur ex Rituali Romano, ubi dicitur: « Ægrotis parochialibus, etiamsi com» munionem, extra præscriptos dies, sumpserint, in pas» chalibus diebus illam parochus deferet ac ministrabit. »

3425. Quærit. 1° An qui tempore Paschatis non valet communicare, teneatur hoc tempus prævenire?

Resp. Negare eos qui in dubio præcedenti negativam sententiam tenent. Quoad eos verò qui affirmant, sic ii distinguunt: vel non præveniendo tempus paschale, differenda esset communio ultra annum ab ultimâ communione, et tunc teneris prævenire; vel ultra annum communio non est differenda, et tunc sufficit quòd communio fiat antequam annus sit completus, si in Paschate fieri nequeat. Vide S. Liguor., lib. 6, n° 298.

Communiter docetur quòd fideles teneantur tollere impedimenta, ut satisfaciant præcepto paschalis communionis. (S. Liguor., *ib.*, n° 299.)

3426. Quærit. 2° An pueri statim ac habent usum rationis possint ac debeant communicare?

Resp. Certum est primis Ecclesiæ sæculis pueros ad com-

munionem fuisse admissos, etiam ante usum rationis. Circa autem quæstionem propositam duplex est sententia: *prima* affirmat, et hanc tenet S. Antoninus cum aliis: quia præceptis subjiciuntur ii qui rationis usum habent; *secunda*, quam S. Liguor. vocat communissimam et probabiliorem, negat: quia communis DD. sententia sic interpretata est obligationem hujus præcepti, ut pueri cum majori fructu Eucharistiam percipiant. Nec obstat cap. *Omnis utriusque sexûs:* quia anni discretionis intelligendi sunt juxta materiam. Inter fautores hujusce sententiæ alii dicunt dari non posse communionem pueris nondum capacibus dignè et congruè communicandi; alii sustinent quòd, etsi non sit obligatio ministrandi Eucharistiam, tamen ipsa ministrari potest pueris qui discernere valent hunc cœlestem cibum à profano: hoc est probabilius juxta S. Liguor. (lib. 6, n° 301).

3427. Disputatur quâ ætate pueri communicare teneantur; communiter autem dicunt DD. ad hoc pueros *regulariter* non obligari ante nonum vel decimum annum; nec eis communionem esse differendam ultra duodecimum, aut saltem, ut alii volunt, ultra decimum quartum. Dicitur *regulariter:* quia citiùs admitti possunt pueri qui ante præfatam ætatem perspicaciores invenirentur; licet autem pueri possint admitti ad communionem anno decimo, non tamen ad eam tenentur, nisi cùm à parocho vel parentibus monentur.

3428. Adnotanda est hìc præscriptio S. Caroli Borromæi, in Synod. Diœces. IX, ubi jubet ut « parochi illos, qui » decennium attigerint, accersant, instruant ad cogni» tionem Eucharistiæ, doceantque quàm reverenter ad » eam accedant. » Vide S. Liguor. (lib. 6, n° 301).

2429. Quærit. 3° An Eucharistia sit ministranda amentibus, semi-fatuis, mutis et obsessis?

Respond. 1° Quoad amentes, si perpetuò sint tales, neganda est ipsis communio, ut constat ex Rituali Romano; secus si habuerint lucida intervalla, et devotionem in eo statu ostenderint, modò nullum adsit indecentiæ periculum; non ipsis autem communio esset præbenda si in amen-

tiam incidissent omnino impœnitentes. Item Eucharistia non est concedenda amentibus extra mortis periculum.

3430. — 2° Quoad semi-fatuos, communio eis est danda in articulo mortis et tempore præcepti paschalis, semper ac sciunt hunc cœlestem cibum ab aliis discernere.

3431.—3° Quoad surdos et mutos, diximus supra (3239-3240). « Verùm, inquit S. Liguor. (*ib.*, 303), mutis-surdis » et simul cæcis à nativitate, omninò neganda est com- » munio. »

3432. — 4° Quoad obsessos et epilepticos, neganda est ipsis communio in paroxismo, et quando non sunt sui compotes; aliàs eis dari potest etiam pluries in anno, juxta prudentiam confessarii, cùm Eucharistia sit speciale remedium ad dæmones arcendos. V. S. Liguor. (lib. 6, n° 303).

PUNCTUM II.

DE ANIMÆ DISPOSITIONIBUS AD EUCHARISTIAM REQUISITIS.

3433. Præcipua dispositio requisita in suscipiente Eucharistiam est status gratiæ : si autem quis esset in statu peccati mortalis, non ei sufficeret elicere actum contritionis perfectæ, sed teneretur sub mortali peccata sua confiteri ante sumptionem hujus cœlestis alimonii, *nisi deesset confessarius*, et esset necessitas celebrandi aut communicandi; ita enim sancivit Tridentina Synodus (sess. 13, cap. 7): « Communicare volenti revocandum est in memo- » riam ejus præceptum : *Probet seipsum homo*. Ecclesiastica » autem consuetudo declarat eam probationem necessa- » riam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, » quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissâ » sacramentali confessione, ad sacram Eucharistiam acce- » dere debeat : quod à christianis omnibus, etiam ab eis » sacerdotibus quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc » Sancta Synodus perpetuò servandum esse decrevit, » modò non desit illis copia confessoris : quod si, necessi- » tate urgente, sacerdos absque prævià confessione cele- » braverit, quamprimùm confiteatur. »

3434. Disputatur an hoc præceptum præmittendi con-

fessionem sit divinum, an solùm ecclesiasticum : quidam volunt esse tantùm ecclesiasticum; sed vera et communis sententia docet illud esse divinum : nam juxta Apostolum, ex præcepto Christi probatio est præmittenda, dum testatur illud accepisse à Domino (1 Cor., c. 11, v. 23-28); porrò illa probatio requisita est confessio, juxta Concil. Trident.

3435. An autem sit obligatio confitendi, ante communionem, peccatum mortale inculpabiliter in confessione oblitum, duplex est sententia : communissima affirmat; sed negans à pluribus habetur ut probabilior; et spectato intrinseco fundamento, videtur S. Liguorio omninò rationi consentanea; nec tenetur talis homo actum perfectæ contritionis elicere ante communionem, licet plures illum ad hoc obligent. (S. Liguor., lib. 6, n° 257.)

3436. Diximus 1° *nisi esset necessitas celebrandi vel communicandi :* porrò non sufficit quæcumque necessitas, v. g. festi celebritas, vel magna devotio, vel paupertas sacerdotis, nisi esset valde gravis; sed requiritur urgens et gravis, et in eo casu præmitti debet contritio perfecta (S. Lig., lib. 6., n° 259). Ut talis habetur 1° periculum mortis, vel ut consecretur hostia pro morituro; 2° si missa vel communio non possit omitti absque gravi infamiâ vel scandalo; non sufficit necessitas celebrandi ex officio ut populus missam audiat, si parochus illam omittere possit absque illâ infamiâ: quia populus non audiendo missam in hoc casu, minimè peccaret; nec sufficit necessitas adimplendi præceptum annuæ communionis, casu quo sacerdos illud non posset implere nisi celebrando, quia hoc præceptum non obligat nisi convenienter possit impleri : hoc tamen controvertitur et utramque sententiam probabilem vocat S. Liguor. (lib. 6, n° 271); 3° si post consecrationem sacerdos committat mortale, vel recordetur mortalis ante commissi, elicito actu contritionis perfectæ missam prosequi debet : notat autem Diana satis esse, si quis bonâ fide putet se esse contritum, licet subdubitet (S. Liguor.. *ib.*, n° 262) : « Si ante consecrationem recordetur sacerdos se esse in » peccato mortali, aut se esse excommunicatum, vel sus» pensum, aut locum esse interdictum, si non timetur

» scandalum, debet missam incœptam deserere » : ita rubrica Missalis : non tamen certum est, ait S. Liguor., hanc rubricam obligare sub gravi; sed, ut benè advertunt Tournely, Palaus, etc., vix eo casu nota infamiæ vitari poterit; et idem est dicendum in pluribus aliis casibus supra enuntiatis; — 4° ut casus urgentis necessitatis habendus est si in scamno communicantium recorderis peccati mortalis, nec sinè notâ aut scandalo gravi possis recedere; non autem expedit tunc aut decet confiteri sacerdoti ministranti Eucharistiam, sed teneris conari ut actum contritionis perfectæ elicias. (S. Lig., *ib.*, 263.)

3437. Diximus 2° *et desit confessarius :* « deesse autem » censetur, non, ut quidam volunt, si absit is cui solet » et cuperet confiteri, vel cui devotiùs aut utiliùs confite- » retur, neque... si religiosus non possit nisi sæculari con- » fiteri peccata gravia cum aliquâ infamiâ Religionis...; » sed..... si nullus sit præsens, absentem verò sinè ma- » gnâ difficultate (spectatâ tum debilitate, ætate et negotiis » personæ, tum aliis circumstantiis, ut aeris, brevitatis » temporis) adire non possis. » Ita Busembaum apud S. Liguor. (lib. 6, n° 264), qui addit : « excusare etiam » distantiam confessarii, causâ itineris duarum horarum » dicit Gobat... Rhodes unam leucam, id est tria milliaria : » Canus autem ait sufficere iter quinque quadrantium....; » Croix..... rectè ait..... hoc judicandum ex circum- » stantiis : inde ait Palaus... quòd aliquando, spectatâ » imbecillitate sacerdotis et brevitate temporis in quo cele- » brare debet, poterit excusare adhuc distantia 50 passuum. »

3438. Si quis autem haberet peccatum reservatum et illi non suppeteret copia confessarii habentis facultatem, tunc vel nullum aliud mortale peccatum habet, et in hâc hypothesi, conveniunt DD. illum non teneri ad confessionem, sed sufficere ut conteratur; et si adverteret se non habere contritionem, sed solam attritionem, teneretur juxta Lugo, etc., confiteri venialia, vel peccatum aliàs confessum, ut sic à reservato, saltem indirectè, absolveretur, quod semper facere expedit etiam contrito ut securiùs Eucharistiam sumat; — vel cum peccato reservato alia mortalia

habet, et duplex est sententia : alii dicunt illum posse communicare, præmissâ contritione, quin confiteri debeat, eò quòd confessarius inferior in hoc casu caret jurisdictione, etiam quoad peccata non reservata, cùm non debeat dividi confessio peccatorum ; alii communissimè et probabiliùs dicunt illum teneri tunc ad confessionem, quia hoc præceptum urget, cùm possit adimpleri. Sed iterum disputatur an etiam, in hoc casu, accusari debeant reservata simul cum non reservatis. Vide ap. S. Liguor. (*ib.*, n° 265).

3439. Idem probabilius dicunt plures casu in quo quis haberet excommunicationem reservatam, nec posset omittere missam sinè scandalo aut notâ infamiæ : quia sicut excommunicatio non privat tunc susceptione Eucharistiæ, ut communiter dicunt Suarez, Lugo et alii, contra Soto et quosdam alios : ita nec Pœnitentiæ. Validè enim quis potest absolvi à peccatis, non præmissâ absolutione à censurâ, cùm prohibitio Ecclesiæ non possit irritare Sacramenti valorem, ubi ea omnia reperiuntur quæ à jure divino sunt requisita ad sacramenti validitatem. (S. Liguor., *ibidem.*)

3440. Quærit 1° Quomodo intelligendum sit præceptum sacerdotibus à Tridentino impositum, *quamprimùm confitendi ?*

Resp. 1° Certum est in hoc esse verè præceptum ; siquidem damnata fuit ab Alex. VII propositio quæ dicebat : « Mandatum Tridentini factum sacerdoti sacrificanti ex » necessitate cum peccato mortali, *confitendi quamprimùm,* » est consilium, non præceptum. » Sed hoc præceptum est solummodo ecclesiasticum.

3441. — 2° Illa particula *quamprimùm* non potest intelligi, cùm sacerdos suo tempore confitebitur : quod fuit pariter damnatum ab eodem Alex. VII (*prop.* 39) ; nec etiam cùm primùm talis sacerdos celebraverit : hæc opinio vocatur à S. Liguorio omnino improbabilis ; sed communiter dicunt DD. illud *quamprimùm* intelligi posse de triduo ; nisi die crastino esset celebrandum, vel nisi, eodem die, esset copia confessarii, quo per plures dies dictus sacerdos carebit.

3442. Communissimè et verius dicunt plures DD., contra

nonnullos, præfatum præceptum non spectare sacerdotes qui extra necessitatem aut habentes copiam confessoris, sacrilegè tamen celebrant: quia Trident. præceptum ordinatum fuit ad metum incutiendum iis qui in casu supposito confessionem differunt, non verò ad impediendos sacrilegè celebrantes, qui contempto divino mandato, faciliùs mandatum ecclesiasticum contemnerent: quibus proindè nôn utilis, sed noxia fuisset prohibitio. Vide S. Liguor. (*ibid.*, n° 266), ubi quidam alii casus expenduntur.

3443. — 3° Communissimè et satis probabiliter dicunt plures contra Collet et alios, præfatum præceptum confitendi *quamprimùm* non spectare laicos aut sacerdotes qui in necessitate more laicorum communicârunt, quia Tridentinum loquitur tantùm de sacerdote qui celebraverit. (S. Liguor., *ibid.*, n° 268.)

3444. Ut pœnitens possit ad sacram mensam accedere, non est expectandum quòd condignam satisfactionem priùs Deo exsolverit; damnata enim fuit ab Alexandro VII propositio sequens: « Sacrilegi sunt judicandi qui jus ad com» munionem percipiendam prætendunt, antequam con» dignam de delictis suis pœnitentiam egerint. » Si tamen fuisset publicus peccator, sufficiens ab eo exigenda esset scandali reparatio.

An et quatenus Viaticum possit deferri peccatori publico, vide supra 3207, 3212, etc.

PUNCTUM III.

DE DISPOSITIONIBUS CORPORIS AD COMMUNICANDUM REQUISITIS.

3445. Qui vult communicare, immunis esse debet à quibusdam maculis, convenienter esse vestitus, et jejunus à mediâ nocte.

1° Legitur in rubricâ Missalis (§ 9, *de defect.*): « Si præ» cesserit pollutio nocturna, quæ causata fuerit ex præ» cedenti cogitatione quæ sit peccatum mortale, vel eve» nerit propter nimiam crapulam, abstinendum est à » communione et celebratione, nisi aliud confessario vi» deatur; si dubium est an in præcedenti cogitatione fuerit

» peccatum mortale, consulitur abstinendum, extra ca-
» sum necessitatis; si autem certum est non fuisse in illâ
» cogitatione peccatum mortale, vel nullam fuisse cogita-
» tionem, sed evenisse ex naturali causâ, aut ex diaboli
» illusione, potest communicare et celebrare, nisi ex illâ
» corporis commotione, tanta evenerit perturbatio mentis,
» ut abstinendum videatur. » Vide hæc discussa apud S. Liguor. (lib. 6, n^is 271-274).

3446. Copula autem conjugalis non impedit communionem eâdem die, si fiat sinè peccato : causâ, v. g., generandæ prolis, vel ad vitandam incontinentiam, quamvis congruum sit ab eâ abstinere; — si verò fieret voluptatis causâ, etiam tunc esset peccatum veniale illo die communicare;—conjux tamen qui reddit debitum, non peccat communicando, juxta sententiam communem. Vide apud S. Liguor., *ib.*, n° 273.

3447. Ex cap. *Tua nos*, *de clerico ægrotante*, sacerdos leprâ vel alio morbo horrorem afferente infectus, prohibetur celebrare in publico; unde posset in secreto celebrare. S. Liguor., *ib.*, n° 275.

3448. —2° Mulieres debent accedere ad sacram communionem modestè, pectore cooperto, et sinè vano ornatu : « unde, inquit S. Liguorius, si quæ nimis immodestè acce-
» dat, huic neganda est communio. » (*Ibidem.*)

Congruum est etiam accedere ad Eucharistiam, depositis armis, etsi nullâ lege sit prohibitum accedere armatus. (S. Liguor., *ibid.*)

Sacerdos communicans more laicorum, etiam in ægritudine, debet esse stolâ indutus, sub peccato veniali, ut fert communis et verior sententia. Vide cap. *Ecclesiastica* 9, dist. 23; et Rituale Romanum. (S. Liguor., *ib.*, n° 276.)

3449. « Utrùm stola suppleatur, sive per pluviale aut
» planetam pro Canonicis paratis communicaturis in com-
» munione generali, sive per dalmaticam, pro diacono
» assistente calicem de manu Episcopi accepturo in pro-
» cessione feriæ V in Cœnâ Domini : responsum fuit affir-
» mativè à S. R. Congr., 12 sept. 1837. Vide *Analecta*,

23e livr., col. 349 et 355; et *Cærem. Episc.*, lib. 2, cap. 23, § 6, 12.

3450. — 3° Non ex jure divino, sed duntaxat ex jure ecclesiastico, communicans jejunus esse debet à mediâ nocte, juxta cap. *Ex parte, de celebr. Missæ,* et varia Concilia præsertim Constantiense, ubi legitur (sess. 13) : « Sacra » canonum laudabilis auctoritas et approbata consuetudo » servat quòd hujusmodi sacramentum non debet confici » post cœnam, nec à fidelibus recipi non jejunis, nisi in » casu infirmitatis aut alterius necessitatis à jure vel Ec- » clesiâ concesso vel admisso. » — In hoc autem præcepto non datur materiæ parvitas, ut omnes DD. conveniunt, quidquid dicant Gibert et Pasqual., qui in hoc non sunt audiendi.

Qui autem paulò antè mediam noctem Nativitatis Domini cœnasset, posset celebrare et communicare post mediam noctem. Vide S. Liguor. (lib. 6, n° 289, *in fine*).

3451. Ad hoc verò jejunium frangendum tria communiter requiruntur : 1° ut quod sumitur sumatur ab extrinseco; 2° ut sumatur per modum comestionis aut potationis; 3° ut res sumpta habeat rationem cibi aut potûs.

3452. Quoad *primam regulam* : qui deglutiret sanguinem defluentem à capite vel gingivis, aut saniem ex pustulâ oris emanantem, etiam ex industriâ, non frangeret jejunium, quia non ab extrinseco sumeret : ita communiter apud S. Liguor., lib. 6, n° 279; secus, si sugeret sanguinem ex digito, vel lacrymas ex oculis manantes (*ibid.*).

3453. Quærit. 1° An absorptio reliquiarum cibi frangant jejunium?

Resp. Communiter ut certum haberi reliquias ciborum quæ involuntariè deglutiuntur, non solvere jejunium; sed dubitatur an voluntaria illorum absorptio jejunium frangat: de quo duplex est sententia : *Prima* negans quia illa absorptio non est nova comestio ab extrinseco, sed pertinet ad comestionem præcedentis diei, vel dici potest quòd illæ reliquiæ non sumantur per modum cibi, sed per modum salivæ, prout dicitur in rubricâ Missalis : « Si reliquiæ cibi » remanentes in ore transglutiantur, non impediunt com-

» munionem cùm non transglutiantur per modum cibi, sed » per modum salivæ » ; — *secunda* affirmans, et hanc videtur tenere S. Thomas, 3 p., q. 80, art. 8, ad 4, ubi dicit: « Reliquiæ cibi remanentes in ore, si casualiter transglu- » tiantur, non impediunt communionem. » Ergo si transglutiantur ex proposito, impediunt; et ratio est quia hujusmodi absorptio, quæ fit de industriâ, videtur nova comestio. Hanc secundam sententiam communiorem et probabiliorem vocat S. Liguor. et omninò consulit (*ibid.*, n° 279).

3454. Quærit. 2° An guttulæ aquæ cum salivâ immixtæ, aut jusculi degustati frangant jejunium?

Resp. Si casu trajiciuntur, certum est eas non frangere jejunium; ita omnes cum S. Thomâ; si ex proposito sorbeantur, quidquid nonnulli dicant, omninò est affirmandum cum sententiâ communi et eodem S. Thomâ. Id etiam implicitè dicitur in rubricâ, ubi legitur : « Idem dicendum » (scilicet non frangi jejunium) si lavando os deglutiatur » stilla aquæ, præter intentionem. » Ergo, si ex intentione, frangitur. Vide S. Liguor. (*ib.*, n° 279, *dub.* 2°).

3455. Attamen si quis noctu immitteret saccharum in ore, et post mediam noctem aliquid trajiceret, frangeretur jejunium : quia tunc non trajicitur per modum salivæ, sed est comestio continuata diei præcedentis. Item fractum esset jejunium si quis projectus in aquam aliquid involuntariè absorbuisset, vel si ei per vim liquor infusus esset, quia hæc ab extrinseco, aliter quàm per modum salivæ, essent tunc absorpta. (S. Liguor., *ibid.*)

3456. Quoad *secundam regulam:* quidquid dicant P. Antoine et alii nonnulli, communiter tenent DD. non solvi jejunium, sumptione pulveris tabaci per nares, etsi aliquid in stomachum transmittatur, quia non sumitur per modum comestionis sed attractionis : et idem est dicendum de aquâ trajectâ casu per nares : ita communiter. Id tamen non admittit S. Liguorius, si quis ex proposito tabacum vel aquam per nares in stomachum trajiceret, quia ex tali intentione, absorptio indueret naturam potationis vel co-

mestionis, cùm interveniat debita materia et actio apta ad finem trajectionis in stomachum.

3457. Idem dicendum de illo qui pulverem, aut pluviam, aut floccum nivis, culicem sive muscam deglutiret: hoc, si casu accideret, non frangeret jejunium; secus si ex proposito. Vide S. Liguor. (lib. 6, nº 280).

3458. Communiter et probabiliùs tenent plures, contra aliquos, fumum tabaci non solvere jejunium, quia non est cibus aut potus: aliàs dicendum esset eos frangere jejunium qui in culinâ fumum ciborum exciperent; et hoc saltem probabiliter currit, etiamsi fumus immitteretur in stomachum. (S. Liguor., *ibid.*, *dub.* 2º.)

3459. Idem dicit P. Gury (tom. 2, nº 237) de succo vel odore camphoræ qui per modum tabaci exhauritur (*cigarette de Raspail*).

3460. Quærit. An solvat jejunium qui folia tabaci dentibus conterit?

Resp. Hoc esse controversum : sententiam negantem meritò probabilem vocat S. Liguor. cum Salmantic., et hoc etiamsi deglutiatur præter intentionem aliquid modicum succi salivæ inseparabiliter admixti : « Omnes verò conveniunt, ait S. Liguor. (*ibid.*), hujusmodi masticationem esse indecentem ante communionem : unde puto, inquit, eum non excusari à culpâ veniali, nisi aliqua causa subsit. »

3461. Circa *tertiam regulam*, dubitatur an comestio capillorum, unguium, vel ligni, papyri et similium impediat communionem. — In varias abeunt sententias DD. theologi : communis autem sententia docet minimè frangi jejunium, si edantur res omninò indigestibiles, ut sunt capilli, ungues, metallum, vitrum, fila ex serico vel lanâ, ossicula fructuum omnino depurata, quia non habent rationem cibi. — Secus dicendum de rebus quæ à stomacho alterari et in substantiam hominis converti possunt : prout sunt charta, palea, filum ex lino, pulvis medicinalis, cera (quia cum cerâ semper aliquid mellis est admixtum); idem probabiliùs dicitur de terrâ seu cretâ, quia in eâ est aliquid digestibile. (S. Liguor., lib. 6, nº 281.)

3462. Communissimè tenent DD. contra nonnullos, inter plura horologia dissonantia, licitum esse sequi ultimum ad communionem accipiendam, dummodo non constet illud errare, vel non sit de illis quæ ut plurimùm errant, quia præsumuntur semper errare. (S. Liguor., *ib.*, n° 982.)

3463. Controvertitur an possit communicare qui cibum deglutit post primum ictum mediæ noctis, sed ante ultimum: sententiam negantem magis approbat S. Liguor. (*ib.*), quia primo ictu completur media nox. In dubio autem negativo an transacta, necne, sit media nox, valde probabilis est sententia docens tunc licitum esse communicare: quia quandiu non es certus, et tantò magis si nullam habeas rationem probabilem te comedisse, manes in possessione tuæ libertatis communicandi. (S. Liguor., *ib.*)

3464. Sed quæstio est an media nox vera aut solùm *media* tanquam regula sit observanda[1], ita ut si aliquid sumeretur post mediam noctem *mediam* in horologio indicatam, sed nondum absoluta mediâ nocte verâ, posset quis communicare.

Quæstio hæc expenditur apud Guillois (*Explic. du catéchisme*, tom. 3, p. 160, etc.) et dicitur in diario D. Migne, *Voix de la Vérité*, quòd *regulariter* tempus medium sit attendendum; sed posset tamen attendi tempus *verum* quando certò dignoscitur : « Nous croyons seulement, in-
» quit D. Migne, que l'on ne pourrait pas se servir alter-
» nativement du temps *vrai* et du temps *moyen*, selon qu'on
» y trouverait son intérêt : habituellement, il faut suivre
» l'une ou l'autre des deux mesures. »

3465. Ab obligatione jejunii ante communionem plures casus sunt excipiendi, videlicet :

1° Periculum mortis, sive illud sit ex morbo, vulnere, veneno; sive ex sententiâ judicis; sive ex comminatione potentis (S. Liguor., *ibid.*, n° 289) : dummodo communicandus nequeat jejunus Eucharistiam sumere.

Item in periculo mortis, licitum est non jejuno celebrare ut sibi communionem administret. Controvertitur an idem

[1] Quid sit media nox *media*, vide ad calcem Operis, dissert. *De Kalendario* (n° 4).

liceat ad communionem aliis ministrandam : communis et probabilior sententia negat, nisi moribundus non posset sacramento Pœnitentiæ aut Extremæ-Unctionis muniri. (S. Liguor., lib. 6, n° 286.)

3466. An autem liceat communionem iterum ministrare infirmo non jejuno, qui Viatico jam fuit munitus?—Quidquid dicant aliqui, vera et communis est sententia affirmans, non solùm si novum recurrat periculum, sed etiam si idem perduret. Vide Bened. XIV, *De Synodo*, lib. 7, c. 12.

Ex communiori autem sententiâ una communio debet tunc distare ab aliâ circiter octo diebus; sed non improbabiliter plures dicunt quòd assuetus sæpiùs communicare ex devotione, benè possit etiam sequenti die sumere communionem non jejunus, et id, singulis diebus, fieri posse nonnulli admittunt. (S. Liguorius, lib. 6, n° 285.)

3467. Notandum est quòd si infirmus possit facilè jejunus sumere Viaticum die sequenti, teneatur utique expectare : sed in hoc non est scrupulosè agendum. (S. Liguor., *ibidem.*)

3468.—2° Si periculum sit ne Eucharistia pereat, vel malè tractetur, potest sumi à non jejuno, etiam laico, si alius desit : est commune; imò probabiliter potest accipi à sacerdote præsente. (S. Liguor., *ibid.*, 287.)

3469.—3° Si grave scandalum sit oriturum ex omissione sacrificii vel communionis, nulla est difficultas pro casu quo sacerdos post consecrationem recordaretur se non esse jejunum : tunc enim ex præcepto divino tenetur ad complendum sacrificium; si verò recordetur ante consecrationem, debet desistere à missâ, si possit sinè infamiæ notâ aut scandalo. Ita communiter : porrò semper scandalum est timendum, nisi celebrans sit notæ aut saltem præsumptæ probitatis. Ita S. Liguor. (*ibid.*)

3470. *Nota* quòd licitè, etiam sano, detur ablutio aquæ aut vini ut possit deglutire particulas quæ ori hæserint, ut tradit Bened. XIV (*De Sacrif. Missæ*, lib. 2, cap. 22), quamvis ablutio priùs deglutiatur quàm hostia vel hostiæ

fragmenta: ratio est quia Ecclesia vetat quidem aliquid sumere ante communionem, sed non præcisè cum communione; unde in rubricâ Missalis dicitur quòd, si particula hæreat calici, potest vinum infundi et simul sumi, et hoc fieri potest pluries, si sit necesse; item in die *Parasceves,* juxta rubricam, particula hostiæ die præcedentis consecratæ, sumitur cum vino. S. Liguor., lib. 6, n° 288.

ART. II.

DE EUCHARISTIA PROUT EST SACRIFICIUM.

§ I.

De ipsius naturâ, effectibus et valore.

3471. — I. Sacrificium communiter intelligitur: *Oblatio externa rei sensibilis, cum ejus destructione vel immutatione, soli Deo facta, ex legitimâ institutione, per idoneum ministrum, in supremi dominii protestationem.*

Certum et de fide est missam esse verè et propriè sacrificium, in quo per consecrationem et sumptionem Corporis Domini mysticè mactatur Christus, sicque habetur immutatio ad sacrificium requisita; definitur autem: *Sacrificium novæ legis, in quo Christus offertur et incruentè immolatur sub speciebus panis et vini.* Vide S. Liguor., lib. 6, n° 304, *in fine;* Trid., sess. 22, can. 1.

3472. In quânam actione missæ consistat essentia Sacrificii missæ, vide apud Theologos et S. Liguor. (*ibid.*, n° 305): sententia communior tenet illam consistere in solâ consecratione; probabilior tamen S. Liguorio videtur sententia quæ dicit ipsius essentiam consistere partim in consecratione et partim in sumptione: « in consecra- » tione enim ponitur victima, et in sumptione consumi- » tur »; vide momenta quibus Sanctus Auctor suam nititur probare sententiam. Juxta autem fautores communioris sententiæ, communio, quamvis ad essentiam non per-

tineat, spectat tamen ad ejus integritatem (*ibidem*); ideoque rubrica Missalis admonet quòd « si sacerdos » graviter infirmetur aut moriatur post consecrationem cor- » poris tantùm, ante consecrationem sanguinis, vel utro- » que consecrato, missa per alium sacerdotem expleatur » ab illo loco ubi ille desiit, et in casu necessitatis, » etiam per non jejunum. » (*Ibidem.*)

3473. Controvertitur an consecratio utriusque speciei sit de essentiâ Sacrificii missæ : sententia communior et probabilior affirmat (S. Liguor., lib. 6, n° 306). Circa quod pro praxi advertenda est Missalis rubrica : « Si materia » quæ esset apponenda ratione defectûs vel panis vel vini, » non posset ullo modo haberi, si id sit ante consecra- » tionem Corporis, ulteriùs procedi non debet; si post » consecrationem Corporis, aut etiam vini deprehendatur » defectus alterius speciei, alterâ jam consecratâ, tunc, » si nullo modo haberi possit, procedendum erit, et missa » absolvenda, ita tamen ut prætermittantur verba et signa » quæ pertinent ad speciem deficientem; quòd si expec- » tando aliquandiu haberi posset, expectandum erit, ne » sacrificium maneat imperfectum. » Quandiu autem expectandum sit? Per unam saltem horam circiter, dicunt plures apud S. Liguor., lib. 6, n° 355. Vide dicta supra (3376.)

3474. Quærit. Pro quibusnam possit offerri missæ sacrificium?

Resp. Certum est illud posse offerri pro omnibus fidelibus baptizatis vivis, etiam infantibus, vel energumenis, vel peccatoribus non excommunicatis quoad fructum tantùm impetrationis.

Difficultas esse potest : 1° de *excommunicatis :* porrò si illi sint vitandi, licitè quidem pro illis missam potest offerre sacerdos privatim, seu quatenus est opus proprium suæ privatæ personæ, non autem nomine Ecclesiæ, vel ut minister Christi : ex cap. 2, *de sent. excomm.*;—« quamvis, » ait S. Liguor. (*ib.*, n° 303), si offerat tanquam Minister » Christi validè quidem, sed illicitè offerat. » Ita communiter, etiamsi excommunicatus esset in gratiâ, nec per

illum staret quominus absolveretur (S. Liguor., lib. 7, n° 163); vide etiam *Analecta*, 50e livr., col. 1543. Billuart tamen existimat quòd celebrans possit, etiam tanquam Minister Ecclesiæ, orare pro excommunicatis vitandis, et pro ipsis licitè, sive accepto sive non accepto stipendio, offerre missæ Sacrificium, modò intentio non sit orare pro ipsis tanquam membris Ecclesiæ, sed ut pœnitentiâ ducti ad ejus gremium revertantur; sed fatetur Billuart suam assertionem negari communiter ab auctoribus (*de Relig.*, diss. 2, art. 6). Theologia autem Tolosana (*de Effect. excomm.*, § 2) ait licitum esse celebranti applicare excommunicatis vitandis specialem sacrificii partem, modò illos in canone non nominet nec offerat ut Minister Ecclesiæ; proinde juxta hanc Theologiam, sacerdos etiam tanquam Minister Christi potest offerre missam pro excommunicatis vitandis. (Vide infra 6520.)

Quoad excommunicatos *toleratos*, duplex est sententia : — affirmans probabilior vocatur à S. Liguorio, quia etsi Bulla Martini V *Ad evitanda* non intenderit favere ipsis excommunicatis toleratis, concedit tamen posse communicari cum illis, etiam in divinis. Vide S. Liguor. (lib. 6, n° 309; et lib. 7, n° 164).

3475. — 2° De *infidelibus* dubitatur an liceat pro ipsis offerre missæ Sacrificium; — probabiliùs affirmatur : ipsa enim veteris legis sacrificia pro infidelibus offerebantur, ut constat ex lib. 1 Macch., c. 12, v. 11, et si, juxta Apostolum (1 ad Tim., c. 2, v. 1 et 2), fieri debeant *obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro regibus et omnibus qui in sublimitate sunt*, etc., cur et missæ sacrificium non posset similiter offerri pro omnibus, ac proinde pro infidelibus, cùm sic celebrans magis se conformet Christo, qui pro omnibus se obtulit? (Vide S. Liguor., *ib...*) — Ergo à fortiori potest missa offerri pro catechumenis. Vide *Analecta*, 50e livr., col. 1538, quæ probabile putant quòd etiam pro ipsis defunctis possit offerri, et quoad ipsam vim satisfaciendi ex opere operato.

3476. — 3° Quoad *defunctos* in Purgatorio existentes,

certum et de fide est pro illis posse offerri : sic enim habet can. 3, sess. 22, Concil. Trid. : « Si quis dixerit » missæ Sacrificium... vel soli prodesse sumenti, neque » pro vivis *et defunctis,* pro peccatis, etc., offerri debere, » anathema sit. »

Inquiri autem potest an missa *De Requiem* magis defunctis prosit quàm missa de Sanctis.—Respondet S. Thomas (*suppl.,* q. 71, art. 9, ad 5) : « Ex parte Sacrificii » oblati, æqualiter prodest defuncto de quocumque dicatur; sed ex parte orationum magis prodest illa in quâ » sunt orationes ad hoc determinatæ; sed tamen hic defec» tus recompensari potest per majorem devotionem, vel » ejus qui dicit missam, vel ejus qui jubet dici, vel iterum » per intercessionem Sancti, cujus suffragium missâ » imploratur. »

3477. — II. *Valor et effectus Sacrificii missæ : valor* est efficacia quam habet missa ex dignitate offerentis et rei oblatæ, ad conferenda bona offerenti et iis pro quibus offertur; fructus autem sunt bona ipsa quæ, intuitu sacrificii, Deus confert : unde valor à fructu differt velut causa ab effectu.

3478. Fructus sunt alii ex opere operato, alii ex opere operantis; dividitur etiam missæ fructus *in generalem,* qui obtingit omnibus fidelibus vivis et defunctis; *in specialem* (seu medium, vel ministerialem) qui obtingit tam iis quibus missa applicatur quàm assistentibus et ministrantibus paramenta, luminaria, hostias, etc.; *in specialissimum* tandem qui soli sacerdoti obtingit.

3479. Etsi quoad hostiam in missâ oblatam et principalem offerentem, qui est Christus, missæ Sacrificium sit infiniti valoris, proinde per hoc Deus infinito honore afficiatur, dubitatur tamen an sit voluntas Christi ut prosit ad valorem infinitum iis pro quibus offertur; duplex est sententia circa hanc quæstionem : alii dicunt ejus valorem actu, tam intensivè quam extensivè, finitum esse, ita ut pluribus applicatus minùs prosit singulis quàm si uni tantùm applicetur; alii sustinent hunc valorem esse, tam extensivè quàm intensivè, infinitum quoad sufficientiam

quamvis propter finitam capacitatem illorum pro quibus offertur, unusquisque finitum duntaxat fructum recipiat juxta suas dispositiones: secundùm hanc posteriorem sententiam missa oblata pro multis, tam singulis prodesset quàm si pro uno solo offerretur.

3480. Quidquid sit tamen de illâ controversiâ, non licet plura stipendia accipere pro uno missæ sacrificio, quia stipendium datur, non ut pretium missæ, sed pro sustentatione ministri; et cùm non sit certa secunda sententia, quamvis probabilior, sic missam applicans exponeret se periculo frustrandi eleemosynam dantem parte fructûs missæ ipsi debiti; unde damnata est ab Alexandro VII propositio sequens: « Non est contra justitiam pro pluribus » sacrificiis stipendium accipere, et sacrificium unum » offerre, neque etiam contra fidelitatem: etiamsi promit- » tam, promissione juramento firmatâ, danti stipendium » quòd pro nullo alio offeram. » Vide S. Liguor., lib. 6, n° 312; et infra (3502).

§ II.

De obligatione celebrandi missæ sacrificium.

3481. Quærit. 1° Quoties presbyteri teneantur offerre missæ Sacrificium ?

Resp. Vel agitur de meris sacerdotibus, vel de parochis;

I. Si de *meris sacerdotibus* agatur: Controvertitur utrum sub gravi culpâ teneantur celebrare; S. Bonaventura, Cajetanus cum aliis nonnullis negant adesse illam obligationem, quia de illâ non constat; illam èncontra existere affirmant S. Thomas, Suarez cum aliis multis, et dicunt hujusmodi præceptum esse tum divinum tum ecclesiasticum: in probationem divini præcepti adducunt verba Apostoli ad Hebræos (c. 5, v. 1.): « Omnis namque Pontifex... » pro hominibus constituitur... ut offerat dona et sacri- » ficia pro peccatis »; et verba Christi, ap S. Lucam (c. 22, v. 19): « Hoc facite in meam commemorationem » : quæ verba continere verum præceptum declarat Concil. Trid. (sess. 22, cap. 1); in probationem verò præcepti ecclesias-

tici, affertur cap. *Dolentes, de celebr. missæ*, in quo Innocentius III refert quòd sint « *qui missarum solemnia vix celebrant quater in anno;* et quod *deterius* est, interesse contemnunt »; et paulò post adjicit: « *Hæc igitur et similia* » *sub pœnâ suspensionis* penitus inhibemus. »

His respondent fautores primæ sententiæ : 1° quòd verba Epistolæ ad Hebræos exprimunt quidem potestatem non verò obligationem; 2° verba Christi continent quidem præceptum presbyterorum communitati impositum non verò singulis sacerdotibus ; 3° verba capit. *Dolentes : sub pœnâ suspensionis penitus inhibemus*, vel non referuntur ad eos *qui vix celebrant quater in anno*, sed ad alios postea enumeratos in dicto canone ; vel non supponunt gravem obligationem, cùm sint solummodo comminatoria.

3482. His tamen non obstantibus, S. Liguor. subscribit sententiæ affirmanti *ut tutiori et longè communiori ;* et tandem concludit sententiam oppositam, saltem propter scandalum, vix esse probabilem (lib. 6, n° 313); item Bened. XIV (*De Sacrificio Missæ*, lib. 3, c. 1, n° 10) ait : « Non posse sustineri sententiam eorum qui statuunt venialiter tantùm peccare sacerdotem qui non habens curam animarum, nec aliter astrictus ad missam celebrandam, nunquam per annum celebrat » ; et addit S. Pium V jussisse expungi ab operibus Cardin. Cajetani, locum ubi hanc opinionem sustinet; et talem sacerdotem qui sic agere statuit non posse absolvi.

3483. Quæritur autem, quoties juxta sententiam præfatam affirmantem, sacerdos teneatur missam celebrare, quando non est parochus nec aliunde astrictus ad sæpè celebrandum? — Valde DD. in hoc discrepant : S. Thomas dicit eum teneri celebrare in præcipuis festis in quibus fideles solent communicare : quæ festa alii intelligunt de Nativitate Domini, Paschate et Pentecoste; quibus ècontra alii plura alia adjiciunt ut Ascensionis, Corporis Christi, Annuntiationis, Nativitatis B. M. Virg.; imò quidam sentiunt ad celebrandum teneri sacerdotes, singulis dominicis et festis præsertim solemnioribus; sed sententia longè communior tenet sacerdotes non astringi sub gravi ad

celebrandum, nisi ter vel quater in anno; et hæc sententia est conformis Decreto S. Congr. Conc., novembr. 1696, ubi dicitur : « Qui sinè justâ causâ ter vel quater in anno non celebravit, peccat mortaliter, et potest ab Episcopo puniri. » Concil. tamen Trident. (sess. 23, c. 14) vult ut « curet Episcopus ut ii, saltem diebus dominicis et festis » solemnibus.., missas celebrent » : unde Episcopus præcipere potest ut sæpiùs celebrent sacerdotes quàm ter vel quater in anno; vide Bened. XIV (*De Sacrif. Missæ*, lib. 3, cap. 1, n° 7); imò S. Liguor. putat non immunem esse à peccato veniali qui, sinè ullâ causâ sed ob desidiam, à celebratione abstinet etiam intra hebdomadam, unâ tamen die exceptâ (lib. 6, n° 359, *in medio*).

3484. II. Si verò quæstio sit *de parochis*, Habert contendit illos teneri celebrare sæpiùs quàm Dominicis et Festis; sed communiter et veriùs docent DD. illos ad hoc astringi tantùm sub gravi diebus quibus missam applicare debent pro suis ovibus : de quo vide dicta supra (1484-1490); unde Concil. Trident. (*ibid.*) ait : « Si autem curam habuerint » animarum, tam frequenter ut suo muneri satisfaciant, » celebrent. »

3485. Et idem videtur esse asserendum de Episcopis, quamvis ex cap. ultimo *De Privilegiis*, in 6°, dicatur eos non decere ullam diem transigere sinè missâ (nempe saltem audiendâ), remotâ rationabili causâ. Vide S. Liguor. (lib. 6, n° 313 et 327, *in fine*).

An autem laudabilius sit quotidie celebrare? Vide expensum apud Bened. XIV (*De Sacrif. Miss.*, lib. 3, c. 2).

3486. Quærit. 2° An et qualis sit obligatio celebrandi in loco, tempore aut modo quæ determinata fuêre à fundatoribus seu à stipendium præbentibus?

Respondet Busembaum, apud S. Liguor. (lib. 6, n° 328), eum qui missam celebrando, sinè justâ causâ, non servat locum, tempus, intentionem, qualitatem ipsi à fundatore præscripta, peccare, et quidem graviter, etsi consentiant hæredes, si sæpe faciat; alioquin plus vel minus graviter secundùm gravitatem omissionum.

3487. Si tamen aliquid peteretur contra Ecclesiæ regu-

las, id fieri non deberet; si, v. g., die Dominicâ vel Festo solemni, petatur missa votiva vel *De Requiem*, non erit celebranda juxta ritum postulatum; sed, servatâ eâdem intentione, juxta ritum præscriptum celebrari deberet, admonendo eos qui stipendium præbent, ne scandalizentur aut indignentur. (Vide Theol. Tolos., *De Sacrif. Missæ*, c. 4, art. 2, § 3, *prop.* 3.)

3488. Pariter S. Liguor. dicit mortaliter peccare Capellanum qui celebrat in aliâ ecclesiâ, vel altari, vel horâ quàm fuit à fundatore constitutum, si faciat sæpe, aut sinè causâ, aut sinè dispensatione, *modò tamen fundator ob gravem causam rem sic disposuerit.*

Ulteriùs progressus fuit DD. Affre (*Traité de l'admin. tempor.*, 4ᵉ édit., p. 533), asserendo quartum Concil. Mediolan. jussisse ut iterum celebrentur missæ quæ non fuerunt celebratæ in loco à fundatore designato. Vide etiam *Conferences d'Angers* (*du sacrifice de la messe*, q. 2). Sed vide infra (3491).

Si autem ecclesia vel altare designatum in fundatione sit dirutum, recurrendum est ad Episcopum, cui saltem apud nos incumbit cura de his providendi. Vide RR. DD. Affre (*ibid.*, p. 534, etc.).

3489. Peccatum esset veniale, juxta S. Liguor., si rarò, puta bis in mense, capellanus mutaret locum, præsertim si mutaret solum altare, non ecclesiam: nullum erit peccatum si id fiat ex justâ causâ, puta si altare sit execratum, vel quia egressus de sacristiâ videt altare ab alio occupatum.

Nullum pariter erit peccatum si fiat ex dispensatione: quam S. Liguor. cum aliis multis dicit posse concedi ab Episcopo ex rationabili causâ, nempe ob infirmitatem, negotium, utilitatem Ecclesiæ, applicationem studio; videtur tamen contradicere Concil. Trident. (sess. 25, c. 5); refertque Ferraris (vº *Capellania*, nº 14) plura Decreta S. C. Conc. nempe in *Hispalensi*, 30 sept. 1580; *Brixiensi*, 1 decembr. 1684: in quibus dicitur quòd pro hujusmodi dispensationibus Sedes Apostolica sit adeunda: ipsemet S. Liguor. plures casus excipit (lib. 6, nº 329).

3490. Dictum fuit : *modò fundator ob gravem causam rem sic disposuerit :* puta ob memoriam, vel commodum familiæ aut populi, vel ob specialem cultum Sancti, et similia; si verò nullum habuerit specialem finem, vel si familia sit extinctà, vel alibi moretur, sacerdos mutando altare venialiter peccabit, et ne venialiter etiam, si celebret in altari privilegiato.

3491. Notat S. Liguor. (*ibid.*) non teneri ad restitutionem stipendii qui, astrictus ad celebrandum in altari privilegiato, in alio celebraret; sed teneretur ad lucrandas indulgentias defunctis applicabiles. Roncaglia tamen addit non esse quidem obligationem restituendi si stipendium sit consuetum, secus si fuerit pinguius.

3492. Nota adhuc quòd, nisi secus exprimatur in titulo fundationis, semper capellanus potest per alium celebrare. Ita decisum à Rotâ et S. Cong. Conc. Vide apud S. Liguor., lib. 6, n° 330.

§ III.

De Stipendio Missæ.

3493. Quærit. 1° An sacerdotibus sit licitum stipendium accipere pro applicatione fructûs Sacrificii missæ?

Resp. Affirmativè, modò, ut ait S. Thomas (2, 2, q. 10, art. 2, ad 2), sacerdos non *accipiat pecuniam ut pretium consecrationis Eucharistiæ : hoc enim simoniacum esset; sed quasi stipendium suæ sustentationis, et modò non plus accipiat quàm sit permissum* (Conc. Trid., sess. 22, *de observ. et evitand.*, etc.) : illud probatur ex verbis Apostoli (1 Cor., c. 9, v. 13) : « Nescitis quoniam qui in sacrario operantur » quæ de sacrario sunt, edunt; et qui altari deserviunt, » cum altari participant? » —Et verbis Christi : « Dignus » est enim operarius mercede suâ. » (S. Lucas, c. 10, v. 7.)

3494. Quomodo inducta fuerit consuetudo stipendium accipiendi pro missæ applicatione, sic, post Bened. XIV, exponit S. Liguorius (*ib.*, n° 316) : « Olim fideles sacerdo- » tibus offerebant panem et vinum pro sacrificiis in quibus

» quod supererat, in usum cedebat ipsorum sacerdotum » et clericorum. Deinde permissum fuit offerri etiam » oleum, spicas, uvas et similia. Demum permissum etiam » offerri pecunias, quæ priùs non applicabantur sacerdotibus, sed mittebantur in arcam, distribuendæ in sustentationem ministrorum et pauperum; sed successu » temporis traditæ sunt ipsis sacerdotibus, ut pro offerentibus missas applicarent. »

Quinam olim irrepserint abusus circa missarum stipendia, vide dictum apud S. Liguor. (*ibid.*), et apud Bened. XIV (*De Syn.*, lib. 5, c. 8, n^is 8, 9, 10).

3495. Non tantùm sacerdotibus indigentibus licitum est stipendium accipere, sed etiam divitibus: «Quis suis stipendiis militat unquam? » inquit Apostolus, loco superiùs citato; quidam tamen negârunt id esse divitibus licitum, ut Cajetanus, etc. Vide S. Liguor., lib. 6, n° 317.

3496. Differendo autem diutiùs missas celebrare, accepto stipendio, sacerdos graviter peccat, juxta Decreta S. Congr. Conc., 21 jun. 1625, approbata ab Urbano VIII, et ab Innocentio XII per Bullam *Nuper*, confirmata.

3497. Quænam autem dilatio habenda sit ut gravis? — Certum est 1° graviter peccare sacerdotem, si petitam missam pro aliquâ gratiâ urgenti impetrandâ, puta pro felici partu, evadendo periculo, lite vincendâ, etc., ille omittat celebrare intra tempus opportunum: meritò plures DD. dicunt illum teneri ad restitutionem, etiamsi celebraverit post elapsum tempus assignatum.

3498. Certum est 2° etiam peccare sacerdotem si promissam missam in aliquo die festivo, aliâ die celebret, quamvis admittat Lugo posse illud fieri crastinâ die.

His præcisis casibus, certò videtur gravis dilatio quæ tres menses excederet; ita communiter contra plures qui integrum annum requirunt.

3499. Probabiliùs non peccat graviter qui missas promissas intra bimestre celebrat. In missis autem pro *recenter* defunctis celebrandis, dilatio unius mensis gravis reputanda est, inquit P. Gury post S. Liguor. (lib. 6, n° 317): **Statutis diœcesanis in hoc est attendendum.**

3500. Notanda sunt insuper verba Decreti Urbani VIII : « Si tribuens eleemosynam sciat (quod infra modicum tem» pus missæ non possint celebrari) et consentiat ut illæ » tunc demum celebrentur, cùm susceptis oneribus satis» factum fuerit, Decretum non prohibet quominus in casu » eleemosyna accipiatur pro eisdem missis juxta benefac» toris consensum celebrandis. »

3501. *Nota* insuper : 1° Decretum à P. La Croix relatum, in quo sancitur : « Eleemosynas manuales et quotidia» nas ita demum sacerdotes accipere possint, si oneribus » antea impositis ita satisfecerint, ut nova quoque onera » suscipere valeant, alioquin omnino abstineant. » — Eadem tamen S. Congr., auctoritate Urbani VIII, declaravit sacerdotes « posse nova suscipere, dummodo infra modi» cum tempus, possint omnibus satisfacere. »

3502. *Nota* 2° Sequentem propositionem ab Alexandro VII damnatam : « Duplicatum stipendium potest sacer» dos pro eâdem missâ licitè accipere, applicando petenti » partem etiam specialissimam fructûs ipsimet celebranti » correspondentem : idque post Decretum Urbani VIII. » Ratio damnationis est quia applicatio fructûs specialissimi valde incerta est, cùm multi DD. negent illam posse à celebrante alteri applicari. Vide dicta (3480).

3503. Quærit. 2° An sacerdos peccet graviter, omittens celebrare missam, si stipendium pro illâ acceptum sit materia levis? — Et quid si missa fuisset gratis promissa?

Resp. Ad *primam quæstionem* duplicem esse sententiam; affirmans autem vocatur *probabilior* à S. Liguor. (lib. 6, n° 317, q. 3) : quia gravitas materiæ non est mensuranda in ordine ad stipendium, sed ad fructum quo privatur eleemosynam præbens.

Notandum est hìc Decretum S. C. Conc. jussu Urbani VIII editum, et ab Innoc. XII, ut supra diximus (3496), confirmatum : « Pro pluribus missis celebrandis stipendia » *quantumcumque exigua*, sive ab unâ, sive à pluribus » personis collata fuerint, aut conferantur in futurum » sacerdotibus et clericis; S. C. sub obtestatione divini » judicii mandat ut absolutè tot missæ celebrentur quot

» ad rationem attributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint, » ita ut alioquin ii, ad quos pertinet, suæ obligationi non » satisfaciant, quinimò *graviter* peccent, et ad restitutio» nem teneantur. »

Hoc tamen intelligendum est, inquit S. Liguor. (lib. 6, n° 320, *dub.* 3), quando sacerdos scienter acceptavit pro tali stipendio tot missas celebrare; secus si ignoranter.

3504. Quoad *secundam quæstionem,* duplex est sententia probabilis: nisi tamen promittens expressè sub gravi se obligasset. (Vide S. Liguor., *ib.*, q. 4.)

3505. *Nota* hìc quòd sit maximè opportunum ut sacerdos notet in libro missas acceptas et missas quæ ab ipso fuerunt celebratæ, ut etiam casu mortis inopinatæ hæc innotescant suis hæredibus.

Quomodo verò sint monendi fideles dantes eleemosynas pro missis celebrandis, in locis ubi tam multa stipendia solent afferri ut nonnisi post longum tempus missæ dici valeant, vide apud Bened. XIV (*De Syn.,* lib. 13, cap. ultimo, n[is] 12 et 13); et supra (1042-1044).

3506. Quærit. 3° A quo stipendium sit taxandum?

Vide responsionem ad hanc quæstionem et plura alia supra (1039-1050).

Quoad verò missas per testamentum legatas, si testator nihil expresserit, stipendium est determinandum juxta diœcesis taxam, vel ab Episcopo juxta morem loci, ut declaravit S. Congr. Conc., ap. S. Liguor. (lib. 6, n° 320, *in fine*).

Nota hìc quòd licet canones (cap. fin, *de Pactis;* cap. *Si nos, de simoniâ,* etc.) prohibeant omnia pacta et conventiones circa stipendium missæ, communiter DD. hoc intelligunt de prohibitione pactionum illicitarum, non verò de pacto justi stipendii secundùm taxam præscriptam aut consuetudinem. Vide S. Liguor, *ib., dub.* 4.

3507. Quærit. 4° An qui stipendium accepit pro missâ celebrandâ, possit alteri committere, ut ipsius loco celebret, partem stipendii retinendo?

Resp. 1° Si pinguius accepit stipendium non intuitu missæ, sed titulo amicitiæ, gratitudinis, propinquitatis, paupertatis, etc.; et illud certò constet, plures, apud S. Liguor.

sentiunt licitum esse tunc retinere partem stipendii quæ excedit taxam consuetam.

2° Item, si sacerdos cui committitur celebratio omnino spontè condonet excessum, committens potest retinere; sed hoc minimè est admittendum, si illum roges ut remittat, vel quæras an consentiat; non potes tunc retinere etsi consentiat, ex Bullâ Bened. XIV, 3 jun. 1741, *Quanta cura.*

3° Beneficiarius committens alteri celebrationem missæ debitam pro beneficio, non tenetur dare stipendium juxta ratam partem fructuum correspondentem; sed sufficit ut det juxta taxam vel morem loci: ita ex Decreto S. C. Conc., approbato ab Innocentio XII per Bullam *Nuper;* idem dic de capellano amovibili cui assignantur redditus annui pro dicendâ missâ: ita S. C. Conc., 15 martii 1745; idem pariter de sacerdote cui commissa est celebratio ex pingui legato ad vitam ipsi relicto cum onere missarum: « Ratio » omnium horum est, inquit S. Liguor., quia decreta pro- » hibentia retinere partem stipendii, loquuntur tantùm de » missis manualibus. » Vid. App. II.

3508. — 4° His casibus aut similibus exceptis, non licet retinere partem stipendii pinguioris: ita S. C. Conc. in Decreto approbato ab Urbano VIII, et confirmato ab Innocentio XII; damnataque fuit ab Alexandro VII propositio sequens: « Post Decretum Urbani, potest sacerdos, cui » missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, col- » lato illi minori stipendio, aliâ parte stipendii sibi re- » tentâ. » — Bened. XIV, in suâ Encyclicâ *Quanta cura,* 30 junii 1741, excommunicat, ipso facto, laicos qui hoc facerent, sacerdotes verò ipso facto suspendit, et illorum omnium absolutionem ad Sanctam Sedem reservat; vide ap. S. Liguor., lib. 6, n° 321: juxta collectionem *Revue des sciences eccles.* (20 avr. 1861, p. 370), decisio applicari debet casui quo pinguius stipendium parocho fuisset datum pro missâ cantandâ, quam deinde à suo vicario cantari facit. Hæ censuræ ad terminos C. *Apost. Sedis* sunt reducendæ.

3509. Ex sententiâ cui est adhærendum, etsi nonnulli contradicant, ad restitutionem tenetur qui stipendii partem retinuit in casu prædicto; restitutioque celebranti est

facienda, non verò ei qui stipendium subministravit; et ita fert etiam sententia communior et probabilior, apud S. Liguor. (*ibid.*, n° 322, *dub.* 1°).

Procurator vel executor testamenti faciens celebrare missas sibi commissas ubi minor est taxa, non potest excessum sibi retinere.

Controvertitur an colligens eleemosynas pro celebrandis missis possit aliquid sibi retinere pro suo labore, si missæ ipsi non tradantur ut ab ipso celebrentur.

3510. An sacerdos, cui pinguius stipendium datum fuit, possit procurare ut alius pro ipso celebret, promittens, crastinâ die, celebrare pro illo, disputatur; sed S. Liguor. dicit hoc non posse excusari *à specie turpis mercimonii*; non audet tamen damnare de *peccato gravi*, lib. 6, n° 322, *dub.* 2, 3, 4.

3511. Quærit. 5° An administratores aliquid retinere possint ex eleemosynis datis propter missas, pro expensis altarium, luminarii et inservientium?

Resp. Sic à S. Congr. Conc. solutum fuisse hoc dubium in Decreto confirmato ab Innocentio XII : « Permittendum » non esse, ut loca pia seu illorum administratores ex » eleemosynis missarum celebrandarum ullam... minimam » portionem retineant ratione expensarum in missarum » celebratione, nisi alios non habeant redditus; et tunc » nullatenus debere excedere valorem expensarum, quæ » pro ipsomet tantùm missæ Sacrificio necessariò sunt » subeundæ. » Vide supra (1043).

3512. Nota hîc obiter aliud Decretum S. C., 6 julii 1726 : « Archipresbyterum non teneri ad ministranda utensilia » iis qui celebrant in suâ ecclesiâ ex obligatione beneficii » sive capellaniæ. Quoad missas verò adventitias teneri ad » dictam subministrationem, quatenus permittat eas in » suâ ecclesiâ celebrari; nec teneri ad has missas adven- » titias admittendas, nisi solutis utensilibus per cele- » brantes. »

3513. Quærit. 6° An possit retineri stipendium, si quis applicavit missam pro eo qui primus stipendium est oblaturus?

Resp. Id fuisse prohibitum à Paulo V, his verbis: « Prohibemus dictam opinionem tanquam plurimis nominibus periculosam, fidelium scandalis et offensionibus obnoxiam, atque à vetusto Ecclesiæ more aberrantem. » Si nihilominus hoc fieri contingeret, ordinariè esset obligatio iterum celebrandi post acceptum stipendium. Vide Bened. XIV, *De Sacrif. Missæ*, lib. 3, cap. 9, n[is] 7 et 8; et S. Liguor., lib. 6, nº 337.

3514. Quærit. 7° An stipendium recipere possit sacerdos qui tenetur quidem celebrare, sed sinè expressâ obligatione applicandi missam?

Resp. Certè quidem stipendium recipere potest casu de quo loquitur S. Congr. Conc., in suo Decreto 13 julii 1630, nempe: « Quando in fundatione beneficii, seu capellæ, expressè cautum est non teneri celebrantem ad applicationem Sacrificii, eo casu poterit celebrans accipere novum stipendium, et unicâ missâ satisfacere obligationi beneficii, seu capellæ, et item danti novum stipendium. »

3515. Secus est dicendum, inquit S. Liguor., si in fundatione nihil fuerit expressum, ut habetur ex Decreto ejusdem Congreg. ab Innoc. XII approbato, ubi dicitur: « Sacerdotes, quibus diebus tenentur missas celebrare ratione beneficii seu capellæ, legati, aut salarii, si eleemosynas pro aliis etiam missis celebrandis susceperint, non posse eâdem missâ utrique obligationi satisfacere. » Et clariùs hoc fuit explicatum pro missis ex testamento relictis, ex Decreto 18 martii 1686, ubi decisum fuit celebrantem pro animâ testatoris teneri applicare, semper ac in fundatione nulla sit adjecta declaratio ad cujus suffragium applicandum sit sacrificium. Ita S. Liguor. (lib. 6, nº 324). —Vide quid dixerimus quoad eleemosynarios (1541).

3516. *Nota* quòd tempore quo capitale dotis assignatæ pro missis celebrandis est infructuosum, non sit obligatio celebrandi. S. C. Conc., 7 jun. 1686, et 8 aug. 1705.

3517. Item ad unam missam tenentur hujusmodi sacerdotes in die Natalis Domini: die verò Commemorationis omnium defunctorum, liberum est eis cui voluerint appli-

care fructum sacrificii (Bened. XIV, *De Sacrif. Missæ*, lib. 3, c. 9, n° 9). — Idem à fortiori est dicendum de sacerdotibus non astrictis ad celebrandum quotidie : possunt enim die Commemorationis omnium defunctorum ad libitum, vel omnibus defunctis, vel quibuscumque tantùm missam applicare, ex Decreto S. C., 4 aug. 1663 : et posito hoc Decreto, nihil obstare videtur quin pro talibus missis accipi possit stipendium. Vide S. Liguor., lib. 6, n° 338.

3518. Quærit. 8° An parochus vel alius celebrans *pro defunctis*, vel pro nubentibus, teneatur fructum specialem applicare, casu quo nullum stipendium pro missâ sit accepturus? Quid etiam de casu quo Gubernium celebrationem missæ pro defuncto Principe, vel aliquâ aliâ personâ insigni præscribit in toto Imperio?

Resp. Ad 1um : minimè teneri dictum parochum, vel sacerdotem, ad dictam applicationem gratis faciendam, si promissa non fuerit, quia ad hanc nullâ lege ipsi astringuntur, nisi fortè Episcopus præciperet. Vide De Herdt, *Sacræ Liturgiæ*, pars 6, n° 30, II, et n° 40, II, ubi citatur Decisio S. Congr. Rit., et Universalis Inquisit., 1 sept. 1841.

3519. Ad 2um etiam respondetur negativè : nam ex eo quòd Gubernium postulet missam in casu supposito, non ideo censetur postulare applicationem fructûs illius specialis, cùm non assignet stipendium, et non habeat jus hoc onus imponendi (cùm sit negotium spirituale) nisi per Episcopos, qui non videntur exigere hujusmodi applicationem; sic aliunde passim videtur teneri et in praxi servari. Vide dicenda infra (3749).

Decisio verò ministerialis 21 julii 1837, ad ecclesiarum Fabricas imputans solutionem sumptuum qui fiunt pro hujusmodi servitiis funebribus, non videtur intelligenda de stipendio celebranti debito. Vide *Journ. des Fabriq.*, t. 5, p. 203; Dieulin, p. 362.

3520. Quærit. 9° An circa onera missarum et circa conditiones in fundatione appositas possit dari præscriptio?

Resp. Plures id affirmare : sed veriùs, inquit S. Liguor., non videntur posse præscribi onera missarum, et conditiones à fundatoribus impositæ : probatur præcipuè ex

Concil. Trid. (sess. 25, c. 5, *de ref.*) ubi dicitur : « Quando...
» ex beneficiorum quorumcumque erectione seu funda-
» tione, aut aliis constitutionibus, qualitates aliquæ requi-
» runtur, seu certa illis onera sunt injuncta, in beneficio-
» rum collatione, seu in quâcumque aliâ dispositione, eis
» non derogetur. » Vide etiam DD. Affre, *Administr. tempor.*, p. 546, 4e édit.

3521. Quærit. 10° An et à quo possint reduci missarum onera?

Responsum fuit huic quæstioni supra (1045-1050).—An autem possit capellanus ex se minuere missarum numerum si deficiant redditus; affirma, si redditus in totum deficiant sinè ipsius culpâ; si verò redditus deficiant ex parte, potest adhuc minuere casu quo testator assignavit quotitatem stipendii pro quâlibet missâ; aliàs controvertitur, et saltem tutiùs est recurrere tunc ad Episcopum. S. Liguor. (lib. 6, n° 331, *dub.*, 2).

3522. Quærit. 11° An qui astringitur ad quotidie celebrandum pro fundatore, possit aliquoties pro seipso aut alio missam applicare?

Resp. Affirmativè; ita tenent plures à S. Liguorio citati quos ipse videtur approbare, modò non accipiatur stipendium : ratio est quia fundator præsumitur consensisse, si stipendium non accipiatur : et hoc à dictis auctoribus permittitur quater vel sexies in anno, non solùm pro seipso, sed etiam pro valde sibi conjuncto, aut charissimo amico vel benefactore. Item, ut jam diximus (3517), licitum est capellano, pro particulari defuncto celebrare, in die Commemorationis omnium defunctorum; potest etiam quâvis hebdomadâ unam missam omittere, reverentiæ causâ : idque pariter ex præsumptâ intentione fundatoris; secus, si contrarium expressisset : si, v. g. missa *quotidie esset celebranda per capellanum vel per alium;* vel si onus impositum fuisset ecclesiæ aut monasterio; si dictum fuerit : *volo ut in tali ecclesiâ celebretur quotidie missa*, capellanus tenetur pro se alium substituere eo die quo ipse non celebrat. Ita communiter (S. Liguor., lib. 6, n° 332).

3523. Quærit. 12° An capellanus ægrotans teneatur interim stipendium dare alteri ut missas celebret ?

Resp. Si infirmitas *sit brevis*, commune est quòd ad hoc non teneatur capellanus, nisi fundator voluerit non deficere missam in tali loco : quia tam strictè ne domini quidem honesti cum famulis agunt : secus tamen est dicendum de iis qui curam animarum habentes tenentur pro populo celebrare, uti diximus supra (1493).

3524. Quandonam autem infirmitas censenda sit *brevis*, alii dicunt si sit quindecim dierum ; alii unius mensis ; alii tandem extendunt ad duos menses. Omnes istæ opiniones probabiles dicuntur à S. Liguorio ; et decisum fuit à S. Congr. Conc. 17 nov. 1695, certe brevem esse infirmitatem 15 dierum. (Vide S. Liguor., lib. 6, n° 333.)

Utile ducimus his adjicere cap. *Significatum*, *de Præbendis :* « Significatum est nobis, inquit Alexander III, » quòd cuidam sacerdoti præbendam unam in ecclesiâ » vestrâ communi voluntate dedistis, et quòd missam de » S. Mariâ (*nisi corporis infirmitate gravatus sit*) debeat » quotidiè celebrare... : quam institutionem eatenus con» firmamus, ut prædictus sacerdos (*nisi infirmitate corpo» ris fuerit impeditus*) assiduè debeat obsequium suum » impendere ecclesiæ memoratæ, et quantò frequentiùs » potest (salvâ honestate suâ et debitâ devotione) missarum » solemnia celebrare... »

3525. Quærit. 13° An qui binas recitat missas in eâdem die possit duplum recipere stipendium ?

Jam huic dubio fuit satisfactum ; vide supra (1369).

De turpi mercimonio missarum vide App. III.

§ IV.

De applicatione fructûs sacrificii missæ.

3526. Quærit. 1° Cujus sit applicare fructum sacrificii ?

Resp. Ad solum celebrantem, quia est actus potestatis sacerdotalis ; et à religioso validè fit, etsi illicitè, etiam contra voluntatem Prælati, juxta communiorem et probabiliorem sententiam. Vide S. Liguor. (lib. 6, n° 334).

3527. Si specialis fructus missæ nulli vel incapaci applicetur, ipse manet in thesauro ecclesiæ, vel cedit ipsi sacerdoti, vel illis pro quibus tenetur specialiter offerre, quia ita celebrans censetur intendisse.

3528. « In praxi autem, ait S. Liguor. (lib. 6, nº 336), » quando dubitatur an is pro quo offerimus sit, vel ne, » capax fructûs, consultum est, in missis gratuitis, illas » applicare vel nobis ipsis, vel alteri, sub conditione si » persona cui applicantur non sit capax : in missis verò » debitis ex stipendio, quia probabiliter fructus cedit in » beneficium propinquorum offerentis ex ejus implicitâ » voluntate, ideo tunc non possumus, cui velimus fructum applicare, nisi sub conditione, ut præjudicium non » fiat cui obligatio adsit applicandi... Ita Elbel, etc. »

3529. Quærit. 2° An ad applicandam missam sufficiat intentio habitualis, scilicet aliquando habita et non retractata?

Resp. Quosdam negare, quia ad applicandam missam requiritur eadem intentio quam ad consecrandum, pro quo virtualis saltem intentio est necessaria; sed veriùs et communiter affirmatur, quia applicatio missæ fit per modum donationis verbalis quæ, semel facta, valet donec revocetur. — Ad rationem oppositam respondetur quòd ad consecrationem requiritur saltem intentio virtualis, quia per intentionem conficitur sacramentum; sed non requiritur talis intentio pro applicatione fructûs missæ, quia fructus non efficitur ex intentione, sed ex celebratione missæ, et ideo sufficit applicatio aliquando facta, per quam fructus fuit alicui donatus, et quæ non fuit revocata. Vide S. Liguor., lib. 6, nº 335.

3530. Ii autem quibus fructus missæ est applicandus, determinari debent ante consecrationem aut in ipsâ consecratione, vel formaliter vel saltem virtualiter : quia hujusmodi fructus suum producit effectum statim ac existit, neque proinde suspenditur; ideoque non est licitum pro missâ præteritâ stipendium accipere.

Unde si quis acciperet stipendium à decem personis et applicaret tantùm in confuso, probabiliùs videtur, contra

Sylvium, quòd nulla esset applicatio, sicut nulla esset consecratio si habens coram se decem hostias, unam ex eis in confuso vellet consecrare, nullo-modo illam designando. Si autem unamquamque missam simul dictis decem personis intendisset applicare per decem vices, valeret applicatio, et sic celebrans satisfaceret intentioni dantium stipendia. (S. Liguor., *ibid.*)

3531. Non autem valeret applicatio sub conditione non impletâ, si sit contingens : v. g. *applico illi cui Titius interrogatus voluerit*, vel *ei qui primus morietur*, vel *qui primò stipendium offeret*. — Si tamen sacerdos prævideat quòd postulabuntur missæ pro aliquo defuncto, benè potest eas nunc offere, et deinde stipendium accipere, quia hoc casu persona fuit determinata à celebrante, non verò in aliis casibus.

Sed non satisfacit qui erroneè putans aliquem mortuum, pro eo celebrat missas ad quas post ejus mortem astringitur. Vide S. Liguor., lib. 6, n° 327.

3532. Quærit. 3° An possit lucrari indulgentias altaris privilegiati qui non dicit missam *De Requiem*?

Resp. Vel rubrica permittit eo die missas celebrare *De Requiem* vel non : si *priùs*, non lucratur indugentias altaris privilegiati, qui missam *De Requiem* non recitat: ita S. C., 1 junii 1601 ; quod intelligi debet etiam de eo qui habet privilegium altaris privilegiati personalis (S. C., 1 ap. 1840); si *posteriùs*, potest lucrari, dicendo missam de die secundùm rubricam : sic decisum ab Alex. VII, 22 jan. anno 1667; ab Innoc. XI, 4 maii 1688; à Clemente XI, 29 sep. 1714.

3533. Sacra autem Congr. Rit. statuit, 23 maii, 26 junii et 1 sept. 1603, quòd in nigris missa pro defunctis sit celebranda diebus 3ª, 7ª et 30ª post obitum ; idem statuit, 22 dec. 1753 pro anniversariis per testamentum fundatis : ex quo concluditur iis diebus non posse acquiri indulgentiam, si in nigris missa non celebretur. Sic insuper decrevit S. Congr., 16 febr., 1852 (*Chrétien éclairé*, p. 359): « Ut fruatur altari privilegiato sacerdos, diebus non impeditis celebrare debet missam defunctorum et uti paramentis *nigris*, vel ex rationabili causâ, violaceis. » —Non

autem à die obitûs, sed à die sepulturæ computandi sunt supradicti dies, excepto anniversario quod à die obitûs computari debet, si in fundationis instrumento ille dies designetur. Ita Cavalieri (tom. 3, c. 4, n° 7) et Gardellini (tom. 3, p. 75 et 76), ap. P. Maurel (*Le Chrétien éclairé*, etc., p. 357, 4ᵉ édit.), qui addit : « Si ces jours coïncident avec des » offices qui ne permettent pas de dire une messe solen- » nelle des morts, le corps non présent, on les remet ou » on les anticipe au premier jour libre. » Ita pluries decisum : vide *ibidem*.

3534. Die Commemorationis omnium defunctorum, omnia altaria sunt privilegiata. S. R. C. 19 maii 1761. — Idem dicendum de die expositionis SS. Sacramenti per 40 horas.

3535. Clemens XIII indulsit omnibus ecclesiis parochialibus altare privilegiatum quotidianum ad septennium : quo expleto, præcepit omnibus Episcopis, Abbatibus, Vicariisque Capitularibus ut confirmationem ejusdem privilegii peterent (19 maii 1769).

Cùm autem privilegium conceditur ad tempus, illud incipit non à die publicationis Brevis, sed à die ipsius confectionis. Ita S. Cong., apud S. Liguor., lib. 6, n° 339.

3536. Non amittitur privilegium per reconstructionem altaris in alio loco ecclesiæ, modò altare sub eodem titulo maneat; imò non amittitur privilegium per reconstructionem ecclesiæ *in eodem loco*. Ita S. R. Congr., 30 aug. 1847, et 24 apr. 1843 (4597).

3537. Utile videtur hîc referre verba quibus usus fuit Pius VI, 30 aug. 1779, concedendo altare privilegiatum, et quæ gallicè conscribuntur apud citatum P. Maurel (*Chrét. éclairé*, p. 354, 4ᵉ édit.) : « Chaque fois qu'un prêtre sé- » culier ou régulier célébrera à cet autel, nous accordons » une indulgence par voie de suffrage à l'âme du fidèle » trépassé pour qui le saint sacrifice sera offert, de ma- » nière que cette âme, en vertu du trésor de l'Église... soit » délivrée des peines du Purgatoire. » Sed vide (4509).

3538. Quando autem Romæ petitur facultas altaris privilegiati, exprimendum est an jam simile altare exstet in eâdem ecclesiâ, et hoc sub pœnâ nullitatis : olim pariter

erat exprimendum an altare esset fixum vel portatile, quamvis per altare fixum non intelligeretur altare totaliter consecratum, sed solum altare quod muro hæreat, seu quod stabiliter in ecclesiâ sit constitutum; sed ex recentioribus decisionibus, non ampliùs est necessarium exprimere hanc altaris conditionem (*Chrétien éclairé*, p. 363). — Sub cujus Sancti invocatione sit altare specialiter est exprimendum.

3539. *Nota* quòd, etiamsi lapis altaris privilegiati sit confractus vel sublatus, non ideo amittitur privilegium · sufficit quòd alius substituatur (*ibid.*, p. 354).

3540. Ad lucrandam altaris privilegiati indulgentiam, missa necessariò est celebranda pro eo vel iis quibus indulgentia est applicanda, si id imponat Indultum vel erogans stipem; secus, si à neutro id exigatur (S. R. C., 31 jan. 1848.)

§ V.

De tempore quo missa potest celebrari.

3541. In rubricâ Missalis dicitur : « Missa privata, saltem post Matutinum et Laudes, quâcumque horâ, ab » aurorâ usque ad meridiem dici potest. »

3542. Per auroram intelligitur tempus medium inter noctem et diem; duratio illius temporis variat juxta varias ortûs solis epochas : in mense junii aurora incipit duabus ferè horis cum quadrante ante solis ortum ; mensibus februarii et septembris, horâ cum dimidiâ ; in mense martii, horâ cum quadrante; in reliquis verò mensibus, horâ et tribus quadrantibus circiter. Ita S. Liguor., lib. 6, n° 341. Sed dictæ computationes sunt pro regno Neapolitano, nec sunt applicandæ omnibus regionibus ; unde consulendæ sunt tabellæ quæ directorio seu ordini uniuscujusque diœcesis solent annecti.

Ubi non est aurora physica, prout in regionibus septentrionalibus, attendatur ea moraliter et politicè : quando scilicet ibi terminari solet hominum quies et inchoari labor, juxta probatam regionis consuetudinem. Ita Congr. Cardin., 18 sept. 1634 (Gavantus, *de horâ celebrandi*).

3543. Omnes autem conveniunt, inquit S. Liguor. (lib. 6 n° 341), quòd nulla sit culpa missas terminare in aurorâ. easque incipere parum ante meridiem : quia tempus sive auroræ sive meridiei non mathematicè, sed moraliter est accipiendum. Imò per Edictum Bened. XIII, publicatum sub Clemente XII, concessum fuit missam posse incipi tertiâ parte horæ, seu 20 minutis ante auroram aut post meridiem.

3544. Privilegia regularibus olim concessa celebrandi duabus horis post mediam noctem, revocata fuêre per Concil. Trident., sess. 22, *Decretum de Observandis*, etc. Id concludi debet ex Edicto Clement. XI, 15 dec. 1703.— S. Liguor., *ibid.*, n° 342.

3545. Plures casus à regulâ modò traditâ excipiuntur: 1° excipiendus est casus necessitatis, v. g. quo Viaticum morituro est præbendum : quo casu, etiam mediâ nocte, liceret celebrare. Ita communiter.

2° Excipiendæ sunt causæ rationabiles : v. g. ut opifices et famuli summo mane possint missam audire; si in die festo missa solemnis longiùs protrahatur, et missa privata sit dicenda : tunc hæc missa dici posset unâ horâ et ampliùs post meridiem; et probabiliter, etiam duabus horis, saltem cum licentiâ Episcopi, ne magna pars populi missâ careret; item causâ itineris, vel funeris alicujus Magnatis, vel concionis, vel ordinationis, missa posset celebrari unâ horâ post meridiem, vel ante auroram.

3546. — 3° Episcopus potest dispensare in aliquo casu particulari ex rationabili causâ : secum etiam dispensare potest. Eamdem facultatem habent omnes Superiores religiosi erga suos subditos cùm sint eorum Ordinarii. S. Lig., lib. 6, n[is] 343 et 344.

3547. His autem casibus exceptis, graviter peccat qui citiùs mane, vel seriùs post meridiem missam celebrat : saltem si illud faciat per integram horam, juxta communiorem et probabiliorem sententiam.

3548. Nonnulli affirmârunt missam posse celebrari horâ tertiâ post meridiem, eò quòd, eâdem horâ, consummatum fuit Crucis Sacrificium; sed hodie oppositum omninò

est tenendum, ut constat ex Decreto Conc. Trident., *de observ. in celebr.;* et Bullâ S. Pii V, *In Christo Pater.* Vide S. Liguor., lib. 6, n° 345.

3549. Quidquid olim senserint Suarez et alii, tres missæ non possunt celebrari in nocte Nativitatis Domini: rubrica enim expressè dicit: « Prima missa dicitur in nocte, » secunda in aurorâ, tertia in die »; sic insuper declaratum fuit à S. Congr. Conc., 18 decemb. 1702: « Non licet » in mediâ nocte Nativitatis Domini celebrare successivè » alias duas missas et sacram communionem exhibere » (S. Liguor., lib. 6, n° 343). Et hoc etiamsi adesset consuetudo immemorabilis: ita S. R. Congr. (Gardell., n° 4252). Vide ap. *Analecta*, 11ᵉ livr., col. 1793.—Prohibita fuit à S. R. C. consuetudo vi cujus quisque sacerdos ante auroram missam celebrat in nocte Nativitatis (18 sept. 1781).

3550. Dicere videntur *Analecta* (*ibid.*) prohibitas esse missas non cantatas in nocte Nativitatis Domini, sed nullam declarationem S. R. Congr. allegant; quinimò ab ipsis refertur Decisio S. R. Congr. (7 sept. 1850), ubi ad quæsitum: « An in oratoriis publicis, seu capellis, Nocte » Nativitatis Christi dici valeat missa etiam sinè cantu, » juxta regionis consuetudinem »: respondit: « *Spectare ad Episcopum.* » Ergo missæ non cantatæ sunt licitæ in locis ubi hoc tolerat Episcopus, prout apud nos in Galliâ.

3551. *Nota* ex Suarez, Merati, etc., valde probabile esse quòd privilegium celebrandi unâ horâ post meridiem, vel ante auroram, debeat intelligi unâ horâ ante vel post tempus à DD. assignatum etiam non privilegiatis; secus privilegium parum prodesset. S. Liguor., lib. 6, n° 346.

3552. Quærit. 1° Quale sit peccatum celebrare missam ante recitationem Matutini.

Resp. Multum discrepare DD. circa solutionem hujus dubii: alii enim dicunt hoc esse peccatum mortale; alii in hoc nullum agnoscunt peccatum: communiùs tandem et probabiliùs docetur hoc esse saltem veniale. Vide S. Liguor., lib. 3, n° 347, qui addit: « Juxta hanc tertiam sententiam, » excusabit quælibet mediocris causa rationabilis, puta si » dans eleemosynam postulet ut statim celebretur, si

» expectet populus aut aliqua persona gravis; si Superior » præcipiat...; vel instet commoditas studii, itineris, et » similia. »

Si verò quæstio esset de choro, secus esset pronuntiandum : juxta enim veriorem sententiam, sub gravi in choro Matutinum dici debet antequam canatur missa conventualis. (S. Liguor., lib. 6, n° 348.)

3553. Quærit. 2° An liceat privatim celebrare in *Cœnâ Domini* et in *Sabbato Sancto?*

Resp. Multi olim affirmârunt, et huic opinioni primùm adhæserat etiam S. Liguorius; sed sententiam mutavit ob nova decreta S. Rit. Congr. et asseruit omninò tenendum esse id non licere : sic enim 1° quoad *Sabbatum Sanctum* declaravit S. C. Congr. 11 mart. 1690 : « Nec licitum est » missas celebrare (præter solemnem) in die *Sabbati Sancti* » in quibuscumque ecclesiis et oratoriis, non obstante » quâcumque contrariâ consuetudine, prout, Papâ appro» bante, suo decreto generali statuit eadem S. Congrega» tio. » Et hoc etiamsi Festum de præcepto, v. g. Annuntiationis eodem die occurrat, quod tranferendum est ad Feriam II post Dominicam *in albis*, juxta Decreta S. C. apud Merati relata; sic 2° quoad Feriam V, *in Cœnâ Domini* missæ privatæ pariter illâ die prohibentur juxta Decreta S. R. Congr. 19 dec. 1654, 20 mart. 1762, 22 dec. 1770 (apud Gardell., n^is 1599, 4160, 4204): exceptis 1° unâ missâ in ecclesiis parochialibus, etsi 3 aut 4 clerici tantum haberi possint pro functionibus hebdomadæ Sanctæ, juxta Cæremoniale Bened. XIII. In aliis verò minoribus ecclesiis et monialium etiam sub clausura viventium, nec missa etiam privata legi licet absque Indulto Papæ (S. R. C. 16 mart. 1876 ap. *Revue des sciences eccl.* t. 34, p. 378; S. R. C. 1 sept. 1838 ap. *Analecta* t. I, col. 2078. — 2° unâ propter infirmos, præter solemnem, sed arbitrio Episcopi tantùm, juxta Decretum 27 martii 1773, n° 4212; — 3° casu quo occurrit Festum de præcepto, v. g., Annuntiationis, aliquæ missæ privatæ, juxta judicium Episcopi, celebrari possunt, ut populus adimplere valeat præceptum missam audiendi,

sed ante missam solemnem. Vide De Herdt (*Sacræ Liturg.*, tom. 3, p. 5, n° 11 I) et S. Liguor. (*lib.* 6, n° 360). — P. Gury, n° 273, dixerat primùm attendendas esse varias locorum consuetudines quoad Feriam V, in *Cœnâ Domini* et *Sabbatum Sanctum;* sed hanc *notam* suppressit in editionibus posterioribus.

3554. *Nota* quòd Feriâ V, *in Cœnâ Domini* præcipiatur ut « antiquus mos communionis Cleri in missâ solemni » ejus diei... nullatenus omittatur. » Sic S. R. Congr., 13 sep. 1692, n° 3140; et 12 sept. 1716, n° 3743. Decreta verò hæc loquuntur de clericis alicui ecclesiæ adscriptis: unde cæteri clerici, ad hanc communionem non videntur obligati. Vide De Herdt (*Sacræ Liturg., ib.*).

3555. Quærit. 3° An pluries in die liceat missam celebrare?

Vide responsionem ad hanc quæstionem supra (1364-1372): quod ibi dicitur de Parocho, cæteris sacerdotibus potest adaptari.

Quoad diem Nativitatis, nota quòd ter sacerdos possit quidem celebrare, sed quòd ad hoc minimè teneatur, et possit unam tantùm missam, ipsius arbitrio, dicere. Non potest autem ter communicare, vel semel communicare et bis celebrare. (S. Liguor., lib. 6, n° 351.)

§ VI.

An aliquando sit licitum missam interrumpere.

3556. Abrumpere Sacrificium essentialiter, id est, unam tantùm speciem consecrare, nunquam est licitum directè et ex proposito, etiam ad mortem vitandam; sed indirectè et per accidens aliquando licet, ut supra diximus (3355, 3473), v. g. irruente incendio, vel hoste ad necandum: «tunc » enim, ait S. Liguorius (lib. 6, n° 352, *in fine*), posset » sacerdos sumere hostiam consecratam, vel secum ferre, » calicem non consecrando, quia tunc non mutilat sacrifi- » cium; sed excusatur à perficiendo illud. Ita... communiter. »

3557. Interrumpere autem accidentaliter licet sequentibus casibus :

1° Ob concionem post Evangelium, aut etiam ab altari ante communionem astantibus distribuendam ; ita S. Rit. Cong., 12 sept. 1857, ad 10 (*Analecta*, 23e livr., col. 337 et 355), vel ob processionem excipiendam.

2° In gratiam supervenientis Principis, Cardinalis, Episcopi, vel turbæ peregrinorum qui aliàs missam audire non possent, vel similium causarum; et tunc, si non sit facta oblatio, potest missa de novo incipi ut totum sacrum audiant, licet ad id non sit obligatio, et in hoc consuetudini sit standum.

3° Si ante canonem sacerdos recordetur alicujus impedimenti, v. g. se non esse jejunum, vel in statu gratiæ, vel esse irregularem aut excommunicatum, modò relinqui possit missa sinè scandalo, aut gravi notâ; ita communiter; item si excommunicatus non toleratus præsumat interesse, nec possit expelli.

4° Urgente gravi necessitate, vel propriâ, v. g. morbo, vel proximi, si nempe moriturus esset baptizandus vel absolvendus. Non idem esset de aliis sacramentis, nisi moriturus esset in proximo, nec opus esset sacras vestes exuere[1]; vel nisi Pœnitentiæ sacramentum ob phrenesim suscipere non posset : tunc plerique theologi permittunt missam interrumpere, etiam ad Extremam-Unctionem administrandam. (Bened. XIV, *De Syn.*, lib. 8, c. 6, n° 5.)

3558. Revertens autem ad altare, sacerdos, si ante facta fuerit consecratio, incipiet ubi desierit : similiter faciet, etsi facta non fuerit consecratio, si intercesserit mora minor quàm unius horæ : si autem longior, ordietur ab initio. Casu quo deficit sacerdos missam celebrando, vel deficit

[1] Interrogata an liceret ei qui missam celebrat in ecclesiâ monialium, vel in oratorio privato, missam interrumpere, statim post communionem, ad deferendam Eucharistiam infirmo lecto decumbenti in conventu, vel in domo oratorio contiguâ, qui vult communicare ex solà devotione, S. Rit. Congreg., 7 decemb. 1844, respondit : « *Non* » *licere*...; sed si necessitas urgeat, fiat absolutâ missâ. » (*Analecta*, 25e livr., col. 650.)

ante consecrationem, et tunc missa per alium non est supplenda; vel post consecrationem etiam unius speciei, et tunc per alium sacerdotem jejunum si fieri potest, aliàs etiam non jejunum, imò et excommunicatum (si alius desit) est supplenda (Vide *Rubr. Missalis*). Est etiam supplenda post communionem solius speciei panis, juxta communiorem sententiam, etsi sint qui dicant tunc calicem esse in aliâ missâ sumendum... : quærendus est alter sacerdos saltem per unam horam circiter; si verò sacrificium posset suppleri ab eodem sacerdote, hoc melius esset, etsi non ampliùs foret jejunus. Vide S. Liguor., lib. 6, nº 353.

3559. Sacerdos qui sacrificium ab altero inceptum complet, secundam missam celebrare nequit, licet se abstinuerit ab ablutionibus sumendis. Ita S. R. C., 16 dec. 1823, cum approbatione Leonis XII, cujus jussu Decretum fuit emissum. Vide Richaudeau, *Nouv. Traité des SS. Mystères*, c. 8, nº 9.

3560. Quærit. 1° An sacerdos qui non valet perficere sacrificium, sit necessariò communicandus cum parte hostiæ à se consecratæ?

Resp. Videri esse adhærendum, cum eodem D. Richaudeau (*ibid.*, ch. 17, nº 13), sententiæ communiori quæ negat hanc urgere obligationem : rubrica enim dicit duntaxat : « Si sacerdos non obierit, sed fuerit infirmus, adeò tamen » ut possit communicare, et *non adsit alia hostia conse-* » *crata*, sacerdos qui missam supplet, dividat hostiam, et » unam partem præbeat infirmo, etc. » Ergo si adsit alia hostia consecrata, non est communicandus cum parte hostiæ à se consecratæ; aliundè si talis sacerdos, ex parte hostiæ à se consecratæ esset necessariò communicandus, ergo et etiam ex Sanguine à se consecrato, quod tamen communiter non admittitur. Ergo, etc.

3561. Quærit. 2° An in casu quæstionis præcedentis, applicatio missæ, à secundo celebrante facta, prævaleat applicationi factæ à primo, aut èc contra prævalere debeat applicatio facta à primo celebrante?

Respondet D. Richaudeau (*ib.*, ch. 17, nº 7) quæstionem esse controversam : ut ergo removeatur omnis difficultas,

decet saltem ut secundus celebrans eamdem intentionem habeat ac prior.

§ VII.

Quo loco sit celebrandum.

3562. Regula generalis est quòd ordinariè non liceat celebrare nisi in ecclesiâ, eâque saltem benedictâ, et non violatâ, vel execratâ, vel interdictâ; hoc autem requiritur sub gravi, ut tenetur communiter : ita enim se habet Conc. Trident. (sess. 22, *decret. de observ.*) : « Neve patiantur » (Ordinarii) privatis in domibus, atque omninò extra ecclesiam, et ad divinum tantùm cultum dedicata oratoria, ab » eisdem ordinariis designanda et visitanda, sanctum hoc » sacrificium à sæcularibus aut regularibus quibuscumque » peragi. »

3563. Dictum fuit *ordinariè* : quia aliquando licet missam celebrare extra ecclesiam, modò in loco decenti, cum altari portatili et cum licentiâ Episcopi, si adsit, imò sinè eâ si sit absens. Et hoc quidem :

1° Si ecclesiæ sint dirutæ, et aliàs populus careret missâ. (Cap. *Conceditur*, *de Consecrat.*, dist. 1.)

2° Si in solemni festo ecclesia populum non capit (Bened. XIV, *De Sacrificio Missæ*, lib. 3, c. 4.). V. App. IV.

3° In castris pro exercitu, diebus festis tantùm ; quidam tamen censent illud posse permitti, diebus non festis, in tentoriis Generalium seu præcipuorum Ducum. Item in portu pro appulsu navis, ne navigantes, qui navem deserere non debent, missâ in die festo priventur. In his tamen et similibus casibus, obtinenda est semper, in quantùm potest, Ordinarii licentia.

3564. Ut verò possit celebrari in flumine aut in mari, certò, juxta S. Liguorium, necessaria est S. Sedis licentia ex Concil. Trident., « ubi omninò vetitum est Episcopis con- » cedere usum altaris portatilis, et licentiam celebrandi » extra ecclesiam. Cæterùm, inquit, certum est cum » facultate obtentâ à S. Pontifice, licere celebrare in mari, » non solùm ob concessionem Clementis VIII et Pauli V..,

» sed etiam ob Indultum Clementis XI, ut referunt Be- » ned. XIV, *De Sacrif. Missæ*, lib. 3, c. 6: quo con- » cessum fuit Equitibus Hierosolymitanis, anno 1706, » celebrare in mari, hâc tamen lege : 1° ut adsit longa » distantia à littore ; 2° ut mare sit tranquillum; 3° ut » assistat alius sacerdos, vel diaconus, qui, si quis conci- » tetur motus, calicem firmum teneat. » (S. Liguor., lib. 6, n[is] 356 et 359.)

3565. Etsi in cap. *Sicut*, *de consecr.*, dist. 1, dicatur : *Non licere extra ecclesiam celebrare, nisi summa coegerit necessitas*, attamen hodie, ex consuetudine, minor necessitas requiritur; unde plures DD. dicunt, apud S. Liguor. (*ibid.*), posse peregrinantem per deserta, extra ecclesiam celebrare, ne diù cogatur missâ carere.

3566. Quærit. 1° An liceat celebrare in oratoriis absque licentiâ Episcopi, et an Episcopi dare possint licentiam celebrandi etiam in oratoriis domorum privatarum?

Resp. Oratoria alia esse publica et alia privata : ut publica habenda sunt omnia oratoria benedicta et destinata ad usus sacros, si habeant januam in viâ publicâ, etsi campanam non habeant[1] : item oratoria domorum regularium et aliarum communitatum, seminariorum, conservatoriorum, hospitalium, carcerum, confraternitatum, etc.; item oratoria erecta in Palatiis Episcoporum etiam in domo rusticanâ, et extra propriam diœcesim, adhuc sinè licentiâ Ordinarii erecta. Porrò in his omnibus licitum est omni sacerdoti missam celebrare absque licentiâ Episcopi, et omnibus fidelibus missam audire, etiam in diebus solemnioribus anni, modò habeant omnia requisita ad ecclesiam, vel oratorium publicum constituendum. Vide S. Liguor., lib. 6, n° 357.

3567. Privata oratoria sunt ea ad quæ non patet aditus nisi per domum privatam; et tunc in eis non licet, absque debitâ licentiâ, celebrare, nec regulariter absque Indulto Pontificio potest in eis satisfieri præcepto missam au-

[1] Circa ea quæ indicant oratorium esse publicum, vide Ferraris, v° *Oratorium*, n[is] 86, 101, 102 et 104.

diendi, etiamsi essent oratoria Principum, aut officinarum in quibus adsunt etiam multi operarii.

3568. A quonam verò dari debeat licentia celebrandi in oratoriis domorum privatarum, distinguendum est : vel agitur de licentiâ temporaneâ, vel de perpetuâ. *In primo casu*, communiter docetur, juxta S. Liguor. (lib. 6, n° 359), quòd in casu necessitatis, puta si celebrans fiat impotens celebrandi, aut ad ecclesiam pergendi, etc., Ordinarius possit illam concedere, et quidem pro totâ duratione infirmitatis et alterius causæ accidentalis; sed hæc sententia non videtur inniti solido fundamento : nam, inquit D. Bouix (*De Episcopo*, tom. 2, p. 128), Concil. Trident. generaliter prohibet ne in domibus privatis missa celebretur; atqui ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus : imò Fagnanus refert quòd « cùm Cardin. Paleottus olim petiisset an posset concedere licentiam domi celebrandi, cùm » infirmus deberet pro viatico communicari; S. Congr. respondit : *non posse*.. : quinimò cùm Cardin. Legatus Portugaliæ petiisset ut (idem) posset.., S. Congr. respondit » non esse concedendum. » Vide etiam Ferraris (v° *Oratorium*, n° 28); item *Inst.*, R. de M. (pars 2, lib. 1, cap. 2, § 6), ubi refertur Decisio S. C. Conc. 29 jan. 1847 à S. Pontifice confirmata, in quâ dicitur « non licere *ulli* » Episcopo, quocumque sub obtentu, concedere hujusmodi licentias, ne *pro actu quidem merè transeunte*; » hanc facultatem esse reservatam soli Romano Pontifici. » Vide etiam *Revue des sciences ecclés.*, n° 26, p. 208.

Anno verò 1856, S. Cong. consulta « an Episcopus possit, justâ interveniente causâ, facultatem concedere celebrandi in oratoriis privatis, in casu ;—Responsum fuit : » *negativè, nisi tamen magnæ et urgentes adsint causæ*, et » per modum actûs tantùm, 20 sep. 1856. » *Prælect. S. Sulpitii*, n° 508, *in fine*; *Analecta*, 25° livr., col. 640; *Revue des scienses ecclés.*, 20 janv. 1862, n° 25, p. 82.

3569. *In secundo casu*, nempe si agatur de licentiâ perpetuâ, poterant quidem olim Episcopi concedere licentiam celebrandi extra ecclesias aut oratoria publica, ut constat ex cap. *Missarum, de conseorat.*, dist. 1, ubi dicitur :

« Missarum solemnia non ubique, sed in locis ab Epis-
» copo consecratis, *vel ubi ipse permiserit, celebranda esse*
» *censemus.* » Vide pariter cap. *Hic ergo*, et cap. *In his, De Privilegiis.* Sed hæc facultas fuit ipsis adempta à Concil. Trident. (sess. 22, *decret. de observ.*); unde hodie recurrendum est ad Sedem Apostolicam pro obtinendâ hujusmodi oratorii facultate. Vide Bened. XIV, Encycl. *Magno*, 2 jun. 1751, ap. D. Bouix, *De Episcopo*, tom. 2, p. 125[1]. — Circa consuetudinem contrariam apud nos vigentem, vide ap. eumdem (*ibid.*), et supra *de Consuetudine*, in *Prolegomenis*.

3570. Cæterùm Episcopi possunt celebrare, vel celebrare facere in domibus ubi reperiuntur etiam non suis, juxta cap. ult., *De Privilegiis*, in 6°, ubi sic ait Bonifacius VIII :
« Quoniam Episcopi eorumque Superiores se habent diver-
» sis ex casibus, à suis ecclesiis et diœcesibus absentare
» frequenter, nec semper possunt commodè ad ecclesias
» accedere pro missâ celebrandâ vel audiendâ in ipsis, sinè
» quâ eos transire non decet absque causâ rationabili ullam
» diem, præsenti constitutione indulgemus eisdem ut
» altare possint habere viaticum, et in eo celebrare ac
» facere celebrare ubicumque, absque interdicti transgres-
» sione. » Et hoc sive intra sive extra diœcesim, modò domus in quâ celebrant, sit ipsamet domus quam actu habitant, iter faciendo.

Nimiam extensionem huic privilegio datam prohibuit Clemens XI, suo Decreto 15 decembr. 1703; sed in suo vero sensu illud restituit Innocent. XIII, 3 maii 1723 (Vide Encycl. Bened. XIV *Magno*, § 6 et 7). — Observa tamen quòd, cùm hoc privilegium sit Episcopo personale, non possint alii sacerdotes celebrare in talibus domibus privatis, Episcopo absente.

3571. Quoad Indulta pro oratoriis privatis à Sede Apostolicâ concessa, nota 1° ea durare usque ad mortem privilegiati tantùm, nec perire per mortem S. Pontificis conce-

[1] Hanc Encyclicam in integro relatam, vide apud Ferraris, v° *Oratorium*; et *Instit.* R. de M. pars 2, lib. 1, cap. 2, § 6.

dentis aut Episcopi approbantis : quia gratia semel facta non expirat morte illius à quo fuit concessa.

3572. 2° Cùm privilegium sit personale, sequitur personam et ideò privilegiatus mutando domicilium privilegium non amittit. Ita communiter; attamen secus est hodiè tenendum, juxta S. Liguor. (lib. 3, n° 317, *Clausula* 1°), quia in Rescriptis hodiernis domus designatur à Sede Apostolicâ; imò etiam olim in casu mutationis requirebatur nova approbatio Episcopi et nova inspectio loci, etiam in eodem oppido.—Non est improbabile quòd privilegiatus possit duo habere oratoria, unum in oppido et alterum in villâ, si privilegiatus non sit in utroque per modum transitûs, et locus ab Ordinario approbetur.

3573. — 3° In Indultis Pontificiis pro celebratione in oratoriis privatis, plures apponi solent conditiones quæ enumerantur à Bened. XIV, in Encyclicâ *Magno* (3 jun. 1751, § 12 et 13), ubi dicitur :

« Postquam jus concedendi oratoria in privatis laicorum » domibus, Sedi Apostolicæ reservatum fuit, dici vix po- » test quantùm curæ ac diligentiæ adhibitum sit pro recto » ejusdem moderamine... Hæc tandem pro lege statuta » fuerunt..: oratorium scilicet parietibus per quos ab om- » nibus aliis domesticis usibus segregetur, extructum esse » debere; idem priùs, vel ab Episcopo vel ab alio, cui vices » suas legaverit, visitandum esse, inspiciendi gratiâ num » decens et aptè compositum fuerit, et num aliquid eorum » quæ necessaria sunt in eodem desit : ut Episcopus sit » qui celebrandi missam impertiatur et quòd licentia hu- » jusmodi secundùm rationabile illius arbitrium perduret[1]; » nec plures in die, sed unica tantùm missa in oratorio » celebretur, et quod hæc missa celebretur à sacerdote » vel sæculari vel regulari, dummodo sæcularis ab Epis- » copo approbatus sit; regularis autem, licentiam habeat » à suo regulari Superiore » (Nec etiam Episcopus extraneus posset in eis celebrare sinè Ordinarii licentiâ, aut ultra tenorem Indulti, nisi actu habitaret domum ubi est orato-

[1] Licentia Episcopi gratis est concedenda, juxta S. Liguor., lib. 3, n° 318, *clausula* IV.

rium, causâ itineris vel visitationis. Vide Decr. Clem. XI, 15 dec. 1703, apud S. Liguor., l. 6, n° 359, *not. III.*

Excipiuntur autem in Brevi dies solemniores per annum. Interrogata vero S. C. R., *in Romana*, 10 april. 1896 : « Quinam vere sint solemniores dies in quibus pro omnibus peculiare indultum non habentibus missæ sunt vetitæ in privatis oratoriis », reposuit : « Illi per se sunt solemniores in casu qui describuntur in Cærem. Episcop., l. II, c. 34, n. 2, et servantur de præcepto ». Jamvero, dies ibidem enumerati sunt sequentes : Nativitas, Epiphania, Pascha, Ascensio, Pentecostes, S. Joseph, Annuntiatio, Conceptio, SS Ap. Petri et Pauli, omnium Sanctorum, titularis ecclesiæ, anniversarium Dedicationis ecclesiæ cathedralis, fer. V in Cœna Domini ; quibus addenda videtur Solemnitas Corporis Christi. Sed attendendum est indultis specialibus. Quod si liceat celebratio in die Nativitatis Domini, tunc tres Missæ celebrari valent, ex S. C. C., 20 januar. 1725.

3574 Breve concessionis olim dirigebatur ad indultarium ; hodie vero ad Ordinarium loci, et est sequentis tenoris : « Exponendum curavit Nobis dilectus Filius N. N., tuæ istius... diœcesis, sibi pro sua spirituali consolatione in votis esse, ut in privatis domorum suæ habitationis oratoriis sacrosanctum Missæ sacrificium (celebrare vel) celebrari facere, impetrata a Nobis venia, quaet. Nos oratorem speciali benevolentia prosequi volentes, et... Tibi, venerabilis Frater, per præsentes committimus quatenus, constito tibi de narratis, eidem exponenti, ut ipse in privatis domorum suæ habitationis incivitate ac diœcesi... existentium oratoriis, ad hoc decenter muro extructis et ornatis seu extruendis et ornandis ab omnibus domesticis usibus liberis, per te visitandis prius et approbandis deque tui licentia arbitrio tuo duratura, unam tantum Missam pro unoquoque die, dummodo eisdem in domibus celebrandi licentia quæ adhuc

» duret alteri concessa non fuerit, nullumque exinde
» fidelibus quoad satisfactionem præcepti audiendi
» Missam festis diebus, detrimentum obveniat, (per se
» seu) per quemcumque sacerdotem rite probatum
» sæcularem seu de superiorum suorum licentia regu-
» larem, sine tamen quorumcumque jurium parochia-
» lium præjudicio, ac Paschatis Resurrectionis... fes-
» tivitatibus dumtaxat exceptis, in sua, consan-
» guineorum et affinium secum insimul in eadem domo
» habitantium et, quoad oratoria ruri sita, etiam in
» hospitum nobilium suorum præsentia, (celebrare vel)
» celebrari facere licite possit et valeat, licentiam
» auctoritate Nostra apostolica concedas et indulgeas.
» Non obstantibus... Volumus autem ut consanguinei
» et affines præfati Missam, ut præfertur, coram ora-
» tore duntaxat audire, nunquam vero celebrari facere
» valeant, utque familiares, servitiis suis tempore dictæ
» Missæ actu non necessarii, ibidem missæ hujusmodi
» adstantes, ab obligatione audiendi Missam in ecclesia
» diebus festis de præcepto minime liberi censeantur. »

3575 Circa clausulas Indulti, observa :

1° Indultarii sunt ii quibus conceditur licentia : vide § 15 et 16 supradictæ Encyclicæ. Præsente verò uno ex Indultariis, missa celebrari valet ; et consanguinei, affines et hospites nobiles si assistant, præcepto satisfaciunt (§ 14) : secus si ne unus quidem ex Indultariis præsens sit. Ita S. C. C., 12 feb. 1739. Bouix (*De Episc.*, t. 2, p. 131), Ferraris (v° *Orator.*, n° 81) ; et Bened. XIV, in præfatâ Encyclicâ (n^is^ 14 et 15). Vide *Analecta*, 25^e^ livr., col. 643, n° 63.

3576. — 2° Pater, mater, filii ac filiæ, fratres, sorores privilegiati, eorumque uxores ac viri non gaudent privilegio, si habitent in eâdem domo, sed vivant suis propriis expensis : quia in ipsis deficit conditio necessaria ad constituendam familiaritatem, nempe commensalitas. Ferraris (v° *Oratorium*, n° 55).

3577. — 3° Famuli autem non necessarii in domo custodiendâ (et hoc moraliter est intelligendum), in oratorio

privato nequeunt præcepto missam audiendi satisfacere. (Ferraris, *ib.*, n° 60.)

4° Nec inserviens missæ potest satisfacere, si non sit de privilegiatis, et adsit privilegiatus qui possit inservire. (Ferraris, *ibid.*, n° 63, etc.)

3578. — 5° In Gallia, quoad festivitates quæ non sunt de præcepto ipsa die, et quarum solemnitas in dominicam refertur, jam non vetantur missæ in oratoriis privatis, ex S. R. C. in *Romana*, 10 april. 1896, in *Quebecen.*, 6 maii 1896, et in *Andegaven.*, 2 augusti 1896. Nec prohiberi videntur in die dominica in qua fit solemnitas exterior, ex eisdem decretis.

3579.— 6° Sacramentum Pœnitentiæ administrari nequit in privatis oratoriis, nisi in casibus quibus id est licitum in privatis domibus (in eâdem Encyclicâ, § 20); *Rituale Romanum* idem habet. Juxta autem *Analecta* (25° livr., col. 649), Ordinarius potest hanc licentiam concedere.

3580. — 7° Necessaria est licentia Episcopi ut in eisdem oratoriis communio administrari valeat, nisi in ipso Indulto id fuerit permissum (Ead. Encycl., § 23, 24); communio autem paschalis sumenda est in parochiali ecclesiâ. Vide *Analecta*, 25° livr., col. 649; et totum tractatum *Des Chapelles*, *ibidem*.

3581. — 8° Generales et Provinciales regularium (non verò Superiores locales) possunt in suis conventibus erigere oratoria privata, ad solum cultum divinum deputata, in quibus, pluries in die, sæcularibus et regularibus liceat celebrare et audire missam prout in oratoriis publicis (Vide Ferraris, v° *Oratorium*, n° 72, etc.). Nihilominus ex Decreto Clementis XI, 15 decembr. 1703, Episcopi « debent » operam dare..., ne in privatis regularium cellis seu cubi- » culis, erigatur altare pro re sacrâ faciendâ..., remotâ » quâcumque in contrarium consuetudine. » (S. Liguor., lib. 6, n° 360.)

3582. — 9° Quamvis, ex variis Decretis, supra oratorium seu capellam aut ecclesiam nequeant esse cameræ, vel loca ad habitandum, dormiendum, deambulandum aut ad alium usum profanum..., plures tamen, ap. S. Liguor.

(lib. 3, n° 318, *Clausula* III), putant hæc non esse absolutè illicita : « Sed subtus possunt adesse horrea, cellæ vinariæ, » aut apothecæ... Ita in terminis S. Cong. Episc. et Regul., » in *Reatinâ*, 6 julii 1706, et S. Congr. Conc. in *Pisaurensi*..., 23 febr. 1710. » Quoad autem inhumationem cadaverum, vide infra (3609).

Circa varias clausulas rescriptis pro oratoriis privatis insertas, vide S. Liguor., lib. 3, n° 318.

3583. Quærit. 2° An Indultum Apostolicum sit necessarium ad asservandam Eucharistiam in oratoriis publicis ?

Resp. Regula generalis consignata in Constit. *Quamvis justo* Bened. XIV, 30 apr. 1749, est quòd : « Sacrosancta » Eucharistia in ecclesiis, quæ parochiales non sunt, retineri non potest absque præsidio Apostolici Indulti, vel » immemorabilis consuetudinis quæ hujusmodi Indulti » præsumptionem inducit. » Et ratio est, inquit Cardin. Petra, quia Eucharistiæ asservatio fit ad opus præcipuè morientium, et ideo tantùm est permissa ubi adsunt parochiani. Vide Bouix, *De Episcopo*, tom. 2, p. 122.

Potest etiam conservari Eucharistia in Ecclesiâ Cathedrali, sed non in altari majori, propter functiones episcopales, ab episcopo necessariò peragendas dorso verso ad altare. Vide S. Liguor., lib. 6. n° 424, v° *Hic ultimo*. Non potest asservari sinè Indulto Apostolico, in ecclesiis collegiatis, nisi pro servitio parochiarum. S. Liguor., *ibid.*

Excipiuntur tamen ecclesiæ regularium (non autem in granciis eorum) et monialium sub clausurâ viventium : in eis enim est necessitas ministrandi communionem infirmis (S Congr. Conc., in *Ulyssiponensi*, anno 1585). Vide S. Liguor., lib. 6, n° 424.

Sed 1° Indultum Apostolicum requiritur de jure etiam pro oratoriis hospitalium etsi secus sentiant Bouix, Maupied, etc. eo quod sint ecclesiæ quasi-parochiales.

3584. — 2° Item requiritur pro oratoriis Collegiorum etsi in iis sint convictores; et pariter juxta Cardinalem Petra. requiritur præfatum Indultum Apostolicum pro oratoriis monialium quæ clausuram non habent. quæque conservatoria dicuntur; et in probationem affert decisio-

nem S. Congr. Concil. (V. *Canoniste contemporain*, mai 1880, p. 176, etc.) Ita etiam S. Liguor. de omnibus collegiis solâ auctoritate Episcopi erectis. et à S Sede tantùm toleratis (*ib.*, n° 424), ut constat, inquit, decis. S. Congr Conc.. 9 aug. 1702, et 4 julii 1707.

3585.—4° In aliis oratoriis, etsi publicis, tam confraternitatum quàm capellarum ruralium, et etiam in oratorio Palatii Episcopalis requiritur Indultum Apostolicum, juxta eumdem Cardin. Petra, ap. D. Bouix (*De Episcopo*, t. 2, p. 123). — Excipitur, apud S. Liguor. (*ibid.*), casus ubi adesset consuetudo immemorabilis seu centenaria asservandi Eucharistiam in præfatis oratoriis, et esset necessitas consulendi saluti animarum : quæ consuetudo non suffragatur, si constet ab initio Eucharistiam fuisse asservatam ex solâ licentiâ episcopali : ita S. Cong. Conc. in *Neapolit.* 8 julii 1707.—Refert tamen Ferraris Decisionem S. Rit. C. in *Iscolensi de ferro*, 11 jun. 1604, ubi dicitur quòd ex causâ Episcopus potest concedere confraternitatibus, ut in earum ecclesiis conservetur SS. Sacramentum : et reverà apud nos Episcopi hoc solent concedere, sed non ex consuetudine centenariâ, cùm in hoc consuetudo fuerit abrogata tempore Concordati 1801.

3586 Nullo autem modo Episcopi possunt hoc permittere in oratoriis privatis. Vide *Analecta* (25° livr., col. 636).

3587. *Nota* ex Cardin. Petra, quòd jus retinendi claves tabernaculi privativè spectet ad parochum : idque non sit permittendum monialibus, neque laicis, etiam in feriâ V *Cœnæ Domini*, nisi adsit, in aliquo loco, immemorabilis consuetudo. (Vide S. Liguor., lib. 6, n° 424 *in fine*.)

3588. Lampas autem perpetuò collucere debet ante SS. Sacramentum (*Rit. Roman.*) nec in hoc videntur unquam dispensasse S. Congregationes Romanæ (*Analecta*, avr. 1855, col. 1426 7°.)

« Si ob graviter culpabilem negligentiam parochi, vel » ejus cui ista cura commissa est, integro die vel aliquot » integris noctibus, lumen non ardeat ante Venerabile » Sacramentum, peccare eum mortaliter docent Quinta, » etc. » Ita Busemb., ap. S. Liguor., lib. 6, n° 248.

3589. Hæc lampas ponenda est in medio ante tabernaculum, non autem supra valvas ecclesiæ, aut in loco laterali (S. R. C., 22 aug. 1699, n° 3376) ut ingredientes advertant locum ubi adorare debeant.

Oleum quo nutritur lampas debet esse ex olivis, saltem si haberi possit, et facultates suppetant. V. De Herdt, *Sacræ Liturg.*, tom. 3, pars 6, n° 14; et *Analecta* apr 1855, col. 1427; secus, judicio Episcopi, aliud, quantum fieri potest, ex vegetabilibus (S. R. C. 14 jul. 1864). Cf. App. V.

3590. Cu usnam sumptibus nutrienda sit hæc lampas?

Resp. Auctor *Analectorum* (*ib.*, col. 1425) dicit non omninò constare an parochi ad hoc teneantur ante Fabricam, vel Fabrica ante parochum; probabilius autem est, juxta eumdem, priùs teneri parochos, sed sequendam esse locorum consuetudinem, quæ apud nos Fabricis hoc onus imputat.

Si redditus deficiant, quæstor vel eleemosynarum collector est instituendus, juxta decis. S. C. Episcop. 14 mart. 1614, 28 januar. 1613; et Congr. Conc. 22 mart. 1594; si verò hæc non sufficiant, lampas est nutrienda ex redditibus parochi, modò excedant *congruam debitam :* illa verò *congrua*, juxta *Analecta* (*ibid.*, col. 1426), à canonistis determinatur ad summam centum scutorum romanorum pro parochiis propriè dictis, et quinquaginta scutorum pro vicariis perpetuis. Vide, *ibidem*, varias decisiones S. Congreg. Concilii.

3591. Dictum fuit initio hujusce paragraphi, *in ecclesiâ non violatâ*, etc. : de violatione ecclesiarum dicetur infra, ubi *de Locis Sacris ;* vide etiam S. Lig., lib. 6, n° 361, etc. *Ibidem*, et puncto etiam sequenti, dicemus de ecclesiâ et aliis rebus *execratis.* — Quinam autem sint effectus Interdicti quoad ecclesias, dicemus ubi *de Interdicto.*

§ VIII.

De requisitis ad missam.

3592. Multa requiruntur ad missæ celebrationem, videlicet : altare triplici mappâ coopertum, corporale, palla

linea, purificatorium, calix et patena, vestes sacræ, missale, crucifixus, candelæ ex cerâ, pulvillus, antipendium, etc.; tabernaculum si in altari servanda sit Eucharistia, minister, nudatio capitis, pedes calceati, vestis talaris.

3593. — I. *Altare triplici mappâ coopertum :* à primordiis suis, Ecclesia adhibuit altaria ad missæ celebrationem; Romæque servatur, in Basilicâ Lateranensi, tabula lignea quâ, tanquam altari, usus fuit Princeps Apostolorum, S. Petrus.

3594. De altari sic habet Rubrica Missalis : « Altare, in » quo SS. Missæ Sacrificium celebrandum est, debet esse » lapideum, ab Episcopo consecratum, vel saltem ara la- » pidea similiter ab Episcopo consecrata in eo inserta, quæ » tam ampla sit ut hostiam et majorem partem calicis » capiat. Hoc altare operiatur tribus mappis seu tobaleis » mundis, ab Episcopo vel ab alio habente potestatem be- » nedictis, superiore saltem oblongâ, quæ usque ad terram » pertingat » (quod tamen hodie non est in usu, inquit S. Liguor., lib. 6, n° 375), « duabus aliis brevioribus, vel » unâ duplicatâ. »

3595. Duplicis speciei sunt altaria, *fixa* nempe, et *mobilia* seu *portatilia;* ista in rubricis *aræ* vocantur, illa autem nomen *altaris* retinent. *Fixa* seu *stabilia* intelliguntur quando tabula superior basi immobiliter adhæret, et totaliter consecrantur : *mobilia* verò seu *portatilia* sunt, quando tabula quæ consecratur, basi non hæret, sed transferri potest ab uno altari ad aliud. Vide tamen exceptionem circa dictam denominationem supra (3538), et apud Decretum S. Congr. Rit., 3 decemb. 1661 à S. Liguor. relatum (lib. 6, n° 369).

3596. Altare, sive fixum sive portatile, lapideum esse debet, juxta rubricam modò relatam; lignea tamen primitùs admissa fuisse videntur, ad instar mensæ in quâ institutum fuit venerabile Eucharistiæ Sacramentum: quæ mensa in Lateranensi Basilicâ adhuc hodie asservatur, sicut pariter tabula supra quam S. Petrus celebrare solebat, ut modò diximus (3593). Vide Breviarium Rom. in festo Dedicat.

Basilicæ S. Joann. Lateran., et quid Bened. XIV dicat de ecclesiâ *S. Pudentianæ* (*De Sacrif. Missæ*, lib. 1, c. 2, n° 5). Imò aliquoties altaria fuêre aurea et argentea, ut asserit Collet (*Tr. des SS. Myst.*, c. 8, II, *nota* 3ª) cum Bened. XIV, *De Sacrif. Missæ* (*ibid.*, n° 8). Incertum est à quo primùm præceptum fuerit altare esse debere lapideum : nonnulli illud decretum Silvestro Papæ ascribunt. Bened. XIV (*ib.*, n° 6).

3597. Tabuia autem altaris, etiam fixi, unico lapide constare debet, et esse *tam ampla* ut *hostiam* et *majorem partem calicis capere valeat.* Imò capere debet etiam parvas hostiàs, quæ essent consecrandæ, quæque non tantùm momento consecrationis, sed toto sacrificii tempore, id est usque post communionem, reponi debent supra illam : nec sufficit quòd super Corporale sint collocatæ. Ita communiter, juxta S. Liguor. (lib. 6, n° 373), ubi Busembaum addit minus rectè facere eos sacerdotes qui, consecratione peractâ, statim particulas tradunt alteri ministro ab ipso distribuendas, siquidem super illas particulas, orationes et benedictiones à rubricis præscriptæ, sunt peragendæ. Illud tamen dicit esse tantùm veniale, imò omni peccato vacuum, si adsit necessitas expediendi communionem populi (*ibid.*).

3598. Altare majus, pro ecclesiâ consecrandâ, debet omninò esse fixum et simul consecrari cum eâ ; ita decisum 19 sept. 1665 (n° 2196, 2°) ; vide De Herdt, *Sacræ Liturg.*, pars 1, n° 56, *not.* 1°.

Basis altaris fixi ab omni parte obstrui debet, ita ut nulla foramina aut fenestellas ad aliquid conservandum habeat. Ita De Herdt, *ibid.*, *not.* 2°, qui tamen nullam allegat auctoritatem.

3599. Consecratum esse debet altare tam fixum quàm portatile ; et quidem ab Episcopo, vel Abbate, aut alio privilegium habente à S. Sede ; et hoc sub gravi : Prælati autem regulares, usu Pontificalium præditi, pro suis tantùm ecclesiis, altaria aut alia ab Episcopis consecranda, consecrare vel benedicere valent. Et ita declaravit pluries S. R. Congr. Vide Card. Soglia (*Inst. juris privati*, § 125);

secus tamen sentit S. Liguor. (lib. 6, n° 373) cum pluribus aliis, ex declarat. Cardinal., et Privil. Innoc. III : sed conciliari possunt duæ opiniones, dicendo cum S. Liguorio, validè consecrari in hoc casu altaria, sed illicitè, prout intelligi potest prima sententia.

3600. Quando altare est fixum, in quâlibet parte tabulæ superioris celebrari potest sacrificium. (S. Lig., lib. 6, n° 369.

3601. Execratur autem altare : 1° si, cùm fixum sit, lapis consecratus removeatur ab inferiori structurâ : non autem si aliqui tantùm lapides structuræ dimoveantur; imò Vasquez et Suarez dicunt non execrari, si tota mensa cum lapidibus quibus inhæret, alibi transferatur : quia textus non loquuntur de separatione à structurâ ; si verò altare sit portatile, non execratur si ara à lignis quibus includitur separetur.

3602.—2° Si ita frangatur, tam fixum quàm portatile, ut in nullâ ejus integrâ parte, calix cum patenâ et hostiâ possit consistere.—An autem ara possit fieri ex duobus lapidibus conjunctis, affirmant nonnulli apud Croix; sed communissimè et rectiùs negant Salmanticenses cum aliis, apud S. Liguor. (lib. 6, n° 369) : et in hunc sensum citatur decisio S. R. Congr. 17 junii 1843, n° 4820. Vide ap. De Herdt, pars 1, n° 56, I, qui ait quòd, si secus fiat, consecratio invalida videatur dicenda. Imò idem De Herdt (*ib.*, II) ait altare perdere suam consecrationem, si pars detracta contineat unam ex lateralibus crucibus ab Episcopo specialiter consecratis ; et affert in probationem Decisionem S. R. Cong., 6 octobr. 1837, n° 4680, apud Gardell. Vide etiam *Prælect. S. Sulpitii*, n° 518. Et cf. App. XXIV.

3603. Quærit. An altare amittat consecrationem, si frangatur sigillum, vel removeatur sepulchrum cum Reliquiis ? — Observa quòd nomine *sepulchri* intelligatur loculus ille in quo reliquiæ reconduntur, qui parvulo lapide clauditur.

Ante solutionem hujus dubii expendendum est an reliquiæ SS. sint necessariæ ad consecrationem altaris, et duplex est sententia : *prima* affirmans quæ variis capitulis juris canonici nititur, videlicet cap. *Placuit, de conse-*

crat., dist. 1, et can. 7 vel 9 Concilii Nicæni II, ubi dicitur nullum templum debere consecrari sinè Sanctorum Reliquiis; probatur insuper consuetudine Ecclesiæ manifestatâ per orationem : « Oramus te, Domine, per merita SS. quorum Reliquiæ hìc sunt. » *Secunda* sententia negat eò quòd, vel dicta capitula juris non emanent à Conciliis œcumenicis, vel si ab ipsis emanent, per consuetudinem sint abrogata : hæc sententia vocatur *communior* à S. Lig. qui tamen addit : « His...
» non obstantibus, puto non recedendum à primâ sententiâ,
» tum propter universalem contrariam consuetudinem...
» tum propter Decreta S. C. Rit., inter quæ citatur Decretum
» 19 jan. 1614 », ubi permittitur altare portatile ligneum, *dummodo habeat Reliquiarum repositorium*. Vide etiam respons. supra citatam S. Congr. R., octobr. 1837, n° 4680.

3604. Deveniendo nunc ad propositam quæstionem, duplex est pariter sententia : *altera negans* tunc altare suam amittere consecrationem, quia non constat de necessitate reliquiarum in consecrandis altaribus ; *altera* verò *affirmans*, quia consuetudo ecclesiarum est ut, fracto sigillo vel amoto sepulchro, denuò altaria consecrentur : hæc sententia est communior, et eam esse tenendam censet S. Lig., ex variis decretis S. Congr. Rit., inter quæ est Decretum 5 martii 1623, in quo dicitur : « Celebrari non potest su-
» per altare à quo furtim, non amotâ vel fractâ mensâ, sub-
» stractæ fuerint reliquiæ à militibus, nisi altare de novo con-
» secretur. » Multa alia decreta congerit De Herdt (pars 1, n° 56), videlicet decisiones S. R. Congr. 23 martii 1686 (n° 2955); 23 maii 1835 (n° 4590); 7 decembr. 1844 (n^is 4844 et 4851) et dicit altare esse denuò consecrandum, etsi deletum sit duntaxat sigillum episcopale cerâ hispanicâ impressum super sepulchrum, quamvis obseratæ inveniantur reliquiæ, si tunc non ampliùs constaret de earum authenticitate ; citat decisiones 23 martii et 23 maii 1847 (n° 4891 1-2 et n° 4897), et 23 sept. 1848 ; non ergo sufficit quòd reliquiæ de novo inserantur, ut vult Collet (*Tr. des SS. Mystères*, c. 8, n° X); dicunt tamen Tourn. et Sporer quòd, urgente necessitate, non esset illicitum in tali altari celebrare. (S. Liguor., lib. 6, n° 369, *dub.* 2.)

3605. Ad elucidationem totius materiæ præsentis utile nobis videtur hic transcribere ultimam decisionem S. R. Congr. modò citatam, nempe 23 sept. 1848; quæsitum fuerat : « 1° utrum altaria portatilia consecrationem suam » amittant, quando fractum est sigillum quod reliquiis in » sepulchro inclusis apponitur, an tantùm quando, ut » loquuntur theologi, fractum sepulchrum?

» 2° Utrum altare portatile cujus sigillum non existit, » mitti debeat ad urbem episcopalem et rursus consecrari; » an sufficiat tantùm novas addere reliquias veteribus reli- » quiis in sepulchro inclusis, et authenticitate carentibus, » et sigillum Episcopi apponere?

» Resp. Ad 1um — quoad primam partem, *negativè*, nisi » fractum sit sepulchrum, vel ejus operculum, aut etiam » solummodo, si hoc amotum fuerit; — quoad secundam » partem, provisum in primâ.

» Ad 2um — quoad primam partem, provisum in primo; » — quoad secundam, nunquam licere certas SS. reliquias » dubiis immiscere, ac semel execratâ arâ, vel fixâ vel » mobili, ex communi jure, novâ indigere consecra- » tione. »

3606. Juxta hoc Decretum, sigillum episcopale non est quid essentiale consecrationi altaris; unde non amittit suam consecrationem ex ejus fractione nisi simul sit fractum sepulchrum, vel ejus operculum, aut etiam si istud operculum amotum fuerit; proinde in casu fractionis sigilli episcopalis, si ex continuo usu vel aliter certò constet altare debitè esse consecratum, non est denuò consecrandum; secus autem, indiget consecratione, quando nempe, deleto hujusmodi sigillo, non certò constat per continuum usum fuisse olim consecratum, prout v. g. si altare fuisset à laicis servatum, aut legitimè non constaret reliquias in eo fuisse servatas; tunc sinè facultate Apostolicâ non posset reconciliari altare hujusmodi solâ repositione reliquiarum : posset tamen cum tali facultate, servatis cæremoniis *Pontificalis*, prout fuit indultum 1 maii 1668 (n° 3255, ap. Gardell.). Vide De Herdt (pars 1, n° 56).

3607. *Nota* quòd si Episcopus justè dubitans an violatum

fuerit sepulchrum altaris, et falsæ reliquiæ in eo fuerint insertæ, ruperit ipse sigillum, et reliquias authenticè agnoscens, denuò in sepulchro reposuerit et sigillaverit, tunc juxta Respons. S. Congr. Rit., 14 martii 1693, altare non indiget aliâ consecratione. Vide Richaudeau, *Traité des SS. Mystères*, chap. II *in fine;* et Gardellini, n° 3156.

3608. Notat adhuc De Herdt (*Sacræ Liturg.*, pars 1, n° 56 *in fine*) reliquias quæ altari includuntur, 1° debere esse Martyrum, juxta Decis. 6 oct. 1837 (n° 4680), et solùm permitti, ut cum his SS. Confessorum reliquiæ uniantur, illorum præsertim in quorum honorem ecclesia vel altare dedicatur; 2° partem aliquam corporis reponendam esse, non vestis tantùm, aut aliquid aliud hujusmodi; 3° plurium SS. reliquias esse ponendas, ut verba celebrantis *quorum reliquiæ hìc sunt*, verificentur. Gardellini in decisione (n° 4593).

3609. Ex Decreto S. Congr. Episcop. 10 nov. 1599, si sub altari vel sub ejus gradibus humata sint defunctorum cadavera, non est illic celebranda missa, donec aliò transferantur; Croix tamen dicit quòd si cadavera sint humata profundè, in cellà aliquâ sub alto fornice constructâ, non videtur prohibitum super hujusmodi altare dici missam, quia cadavera videntur satis separata ab altari, ut verba *quorum reliquiæ hic sunt* non possint illa respicere. Vide S. Liguor., lib. 6, n° 369, *in fine*; Collet, *Tr. des SS. Mystères*, c. 8, n° 6.

3610. *Triplici mappâ* altare, ut jam præmonuimus, debet esse coopertum : plures tamen, apud S. Liguor. (lib. 6, n° 375), dicunt quòd duæ mappæ sufficiant, vel una duplicata; imò quidam id dicunt, etiamsi hæ duæ mappæ totum altare non tegant, quia, ut dicunt, sic habet usus; sed S. Liguor. cum aliis putat non esse recedendum à Rubricâ supra relatâ, et contrariam opinionem non esse tutam : probabiliter tamen aiunt Escobar et Roncaglia, etc., id non excedere culpam venialem; celebrare autem sinè ullâ mappâ non excusatur à mortali, ut communiter docent DD., apud Roncaglia, qui addit nullam committi culpam, si adsit gravis necessitas celebrandi.

3611. Controvertitur an mappæ debeant necessariò esse benedictæ : sententia negans improbabilis non videtur sancto Liguorio, ob auctoritatem DD. qui sic sentiunt, præsertim Suarezii : sed, hoc non obstante, magis adhæret sententiæ oppositæ, ob rubricam supra relatam ; vide tit. *de defect.*, n° 4 ; talis verò defectus non excedit culpam venialem : unde nullum videtur esse peccatum si in necessitate, puta si in die festo adhibeantur non benedictæ eò quòd benedictæ haberi nequeant ; imò S. Liguorius putat minorem causam excusare, cùm à veniali excuset quævis causa rationabilis.

3612. Quærit. An mappæ et corporalia necessariò ex lino sint conficienda ?

Resp. Plures affirmare, et hoc probari posse ex cap. *Consulto* 46, de Consec., dist. 1, ubi dicitur : « Sacrificium » altaris non in serico panno aut tincto quisquam celebrare » præsumat, sed in *puro linteo*, ab Episcopo consecrato, *scilicet lineo procreato.* » Vide etiam c. 27, dist. 2. de Consec.

Plures ècontra communissimè et probabiliùs dicunt sufficere ex cannabe, quia linum et cannabis, juxta communem usum, indifferenter sumuntur pro se invicem. S. Lig., lib. 6, n° 375, *dub.* 3°. Et hoc est certum ex S. R. C. 15 mart. 1848.

3613. Decreto Pii VII, 15 maii 1819, prohibitum fuit uti corporalibus, pallis et purificatoriis ex gossypio confectis ; quoad mappas autem, albas et amictus, illicitum est quidem, ex eodem Decreto, ea ex gossypio conficere, sed uti licet iis quæ tempore præfati Decreti jam confecta erant. Vide Richaudeau (*Nouv. Traité des SS. Mystères*, ch. 12, III) ; Gardellini (n° 4413), cujus Decretum refertur integrum, apud De Herdt (*Sacr. Liturg.*, pars 1, n° 53).

Licet rubrica et decreta nihil statuant de rochetto et superpelliceo, hæc tamen videntur debere ejusdem materiæ esse ac alba cujus usum supplent. Vide Gardellini ad Decision., n° 4413 ; et De Herdt, pars 1, n° 53 II *in fine.*

3614. Ex rubricâ Missalis, corporale totum album esse debet : ex quo non videtur licere latinis uti corporali græcorum variis picturis tincto, quod ipsis locum tenet altaris

portatilis, et vocatur *Antimensa* : illud latinis prohibuit Bened. XIV Constit. *Imposito nobis;* concessit tamen illius usum missionariis in ecclesiis Moscovitarum, si lapidem consecratum non haberent.

3615. — II. *Vestes sacræ :* videlicet superpelliceum vel rochettum, amictus, alba, cingulum, manipulum, stola, casula seu planeta.

3616. Diximus supra (3223-3229) quænam sit obligatio adhibendi, sacras vestes, tam in Sacrificio missæ quàm in administratione sacramentorum : addendum hic tantùm quòd superpelliceum non sit à rubricâ rigorosè præceptum pro celebratione missæ, sed tantùm *si commodè fieri possit;* et sat generali consuetudine non ampliùs solet hodie à simplicibus presbyteris adhiberi.

3617. « 1° Certum est de præcepto benedici debere cor» porale, amictum, albam, manipulum, stolam et casulam » ex communi sententiâ. *Rubr.* in *Rit. celebr. Missæ*, tit. 1, » n[is] 1 et 2; et *de defect.* tit. X, n° 1 [1]. Licet autem quidam » censeant cingulum, pallam et mappas non debere bene» dici, probabiliùs tamen est... de præcepto esse benedi» cenda... (palla autem simul cum corporali benedici debet » ex rubricâ. S. Liguor., lib. 6, n° 388). 2° Dubitatur... » an benedici debeat pluviale, dalmatica, tunicella, super» pelliceum et rochettum : unde dicendum conveniens esse, » quamvis non necessarium, ut prædictæ vestes benedi» cantur. Purificatorium benedici non debet juxta respons. » S. R. C. 7 sept. 1816, n° 4376...; item benedici non » debent velum calicis, bursa, antipendium et manuter» gium....

3618. » Paramenta benedicenda sunt iis benedictionibus » quæ in fine Missalis assignantur, quæ sunt tres : prima, » pro indumentis sacerdotalibus in genere quâ omnia be» nedicuntur, exceptis mappis, pro quibus secunda, et » exceptis corporalibus et pallis, pro quibus tertia assigna-

[1] Hæc benedictio sub gravi obligat, juxta sententiam quam communem vocat S. Liguor.; excipit tamen amictum et cingulum, quorum benedictio probabiliter præcipitur tantum sub veniali (Lib. 6, n° 377).

» tur. Si pluviale, dalmatica, tunicella, superpelliceum, » rochettum benedicantur, adhibenda est benedictio prima, » absque ullâ mutatione et sinè nominatione rerum; eâ» dem benedictione, sed tantùm simul cum aliis para» mentis, etiam benedici possunt, licet non debeant, » velum calicis, bursa et antipendium. » Ita De Herdt (pars 1, n° 54, I).

3619. Sacræ vestes benedicendæ sunt ab Episcopo vel alio privilegium habente: Superiores autem regulares possunt quidem illas benedicere, sed pro suis duntaxat ecclesiis: si nihilominus pro aliis ecclesiis benedixerint, etsi peccaverint, paramenta tunc non sunt denuò benedicenda, ex Decreto Sacræ Rituum Congreg. 27 aug. 1707, n[is] 3626 3°.

An Episcopi possint simplicibus sacerdotibus delegare facultatem benedicendi sacras vestes et sacra linteamina, diximus supra (1170, etc.).

3620. *Vestes sacræ* benedictionem suam amittunt seu execrantur quando suam formam perdunt, seu quando nequeunt ampliùs decenter ad sacras functiones adhiberi: v. g., si alba etiam unâ manicâ careat, si rumpatur cingulum et nulla pars sit sufficiens ad cingendum; secus, si una pars esset sufficiens: tuncque commodiùs connecti posset cum parte detractâ; sed hoc fieri non posset si nulla pars esset sufficiens ad cingendum. Vide *Nouv. Traité des SS. Mystères*, D. Richaudeau, ch. 14, n° 6; idem auctor tamen (*ib.*, n° 7) existimat, contra Azor et alios, manipulum perdere suam benedictionem, si per additionem seipso majorem efficeretur stola; et idem sentit de stolâ, si per detractionem majoris suæ partis, manipulus fieret.

Generatim si vestes reficiantur paulatim, etiam adjectâ parte non benedictâ, benedictio non deperit: si autem uno actu addatur quid majus parte benedictâ, deperditur benedictio, majore parte ad se minorem trahente. (De Herdt, *Sacræ Liturg.*, pars 1, n° 54 II.)

Si verò deduplicaretur casula, duas habens facies duplicis coloris, ut modò serviret pro uno colore, modò pro alio, juxta rubricas, non ideo amitteret suam benedictionem

quia benedicta fuit pro utrâque facie, et per deduplicationem casula non amittit suam formam. Richaudeau, *ib.*

3621. Quærit. 1° Quid sit faciendum de vestibus sacris ita usu detritis ut decenter ad sacras functiones adhiberi nequeant?

Resp. Sic haberi in cap. 39, de consecrat., dist. 1 : « Altaris » pallæ, cathedra, candelabrum et velum, si fuerint vetus» tate consumpta, incendio dentur...; cineres quoque eo» rum, in Baptisterium inferantur, ubi nullus transitum » habeat; aut in pariete, aut in fossis pavimentorum jac» tentur, ne introeuntium pedibus inquinentur. » Usu introductum fuit ut vasa ex metallo confecta, in fusionem redacta, deinde ad usus etiam profanos possint reduci; sed hoc non licet quoad alia divino cultui consecrata. Vide Richaudeau, ch. 14, n° 8. — Ex vestibus detritis nova paramenta confici possunt : v. g. ex albâ amictus, manutergia, etc. Vide S. Liguor., lib. 3, n° 41.

3622. Non autem prohibetur ut res antea ad usus profanos adhibitæ, postea ad sacros usus convertantur : ut casula, v. g. conficiatur ex veste sericâ muliebri : sic etiam templa falsorum deorum gentilium, v. g. Pantheon et templum Lucinæ, à SS. Pontificibus in veri Dei templa mutata olim fuerunt (*ib.*, n° 9). — Non decet tamen ut donatorum nomina et stemmata (*armoiries*) in locis apparentibus sacrarum vestium depingantur (*ibid.*, n° 10) : sed hoc non absolutè prohibetur. Vide De Herdt, *Sacræ Liturgiæ*, pars 1, n° 53 III.

3623. Quærit. 2° Ex quâ materiâ conficiendæ sint vestes sacræ?

Resp. Supra diximus (3612-3614) ex quâ materiâ debeant confici mappæ, corporalia, pallæ et purificatoria; quoad sacras vestes, generatim dici debet quod ex serico confici debeant; exclusis lana (App. VI), telâ lineâ, vel gossypio, etiam coloribus præscriptis depictis : Sacra enim Congr. Rit. consulta *num planetæ, stolæ, manipula, possint confici ex telâ lineâ, vel gossypio vulgò* percale, *coloribus præscriptis tincta aut depicta* : sic respondit (23 sept. 1837, n° 4666) : « Serventur rubricæ et usus omnium ec-

» clesiarum quæ hujusmodi casulas non admittunt. »

Pariter S. R. Congreg. à Card. De La Tour d'Auvergne consulta, anno 1847, an sacræ vestes confici possent ex vitreis telis recenter inventis, quorum fila usu decidentia nociva fieri possunt : responsum fuit : *negativè*. Vide Richaudeau, *ib.*, n° 11.

Cingulum potest esse sericum et coloris paramentorum; sed, juxta præsentem Ecclesiæ usum, congruentius est quòd sit lineum et album. S. R. Congreg., 22 jan. 1701, n° 3426, et jun. 1709, n° 3660. Ita De Herdt, pars 1, n° 53. Ex rubricâ Missalis, calix tegi debet pallâ lineâ *et velo serico* (*De Præpar. sacerdot. celebr.*).

3624. Extremitates albæ, rochetti, superpellicei, purificatorii, corporalis, pallæ et mapparum texto denticulato circumduci possunt; sed in fimbriis et manicis albarum et aliarum vestium sub velo transparenti fundum rubrum mittere non licet. Ita S. R. Cong., 17 aug. 1833 (n° 4569 5); item in paramentis nigris nullæ imagines mortuorum, vel cruces albæ poni possunt : ita *Cærem. Episcop.*, lib. 2, c. XI, n° 1.

3625. Quærit. 3° Cujus coloris esse debeant vestes sacræ?

Resp. « Paramenta altaris, celebrantis et ministrorum » debent esse coloris convenientis officio et missæ diei, » secundùm usum Romanæ Ecclesiæ, quæ quinque colo» ribus uti consuevit : *albo, rubeo, viridi, violaceo* et » *nigro.* » Ita rubrica : quâ excludi videntur cæteri colores.

3626. Reverâ plures auctores communiter admittunt colorem flavum posse adhiberi pro colore albo, rubro et viridi, non verò pro nigro et violaceo; imò quidam putant colorem flavum omni colori æquivalere; sed contra censuit S. R. Congreg., 23 sept. 1837 (n° 4666, *dub.* VIII, ad 1^{m}; 12 nov. 1831 (n° 4520 54) ; 16 mars 1833 (n° 4558 4) : in quâ ultimâ decisione dicitur non licere uti colore flavo, vel cæruleo, in sacrificio missæ et expositione SS. Sacramenti. Cf. App. VI.

3627. Quis color in variis missis sit adhibendus, indicatur in rubricâ modò citatâ, n^{is} 2-6 : in festo autem SS. re-

liquiarum seu Sanctorum quorum reliquiæ asservantur, adhibendus est color rubeus, juxta Decis. 17 aug. 1771 (nº 4208); in festo Divisionis Apostolorum, Convers. S. Pauli et Cathedræ S. Petri, color albus esse debet. Vide De Herdt, p. 1, nº 49. Qui celebrat coram SS. Sacramento uti debet colore officio diei convenienti (S. R. Cong., 29 jan. 1752). Quoad colorem adhibendum in expositione SS. Sacramenti extra missam, item in benedictionibus, processionibus, etc., vide De Herdt (*ibid.*, III-VIII).

3628. Paramenta unius coloris esse debent, vel saltem unus color in eis prævalere debet (S. R. Congr., 19 dec. 1829, nº 4506; 12 nov. 1831, nº 4520 54; 7 apr. 1832, nº 4535 1) : in primâ tamen ex his decisionibus fit potestas Episcopo oratori indulgendi ut in ecclesiis pauperibus permittat uti paramentis diversi coloris donec consumantur. « Contra Rubricam agit, inquit De Herdt (*ibid.*, II 2), qui » casulâ albâ cum cruce rubeâ, et vice versâ, rubeâ cum » cruce albâ utitur pro colore albo aut rubeo, vel pro » utroque. »

3629. In alienis ecclesiis, juxta decreta S. R. C., 11 jun. 1701 et 7 maii 1746 : « Sacerdotes etiam regu» lares, diebus quibus officia recitant sub ritu duplici, » celebrantes in alienis ecclesiis,.... debent celebrare » missas, conformando se ritui et colori earumdem » ecclesiarum. In aliis verò diebus possunt se confor» mare, sed non tenentur, nisi quando color fuerit dis» similis.... Si tamen in ecclesiâ in quâ celebratur, non » prohibentur missæ privatæ defunctorum, tunc » nemo tenetur se uniformare, neque quoad colorem. »

3630. Hæc autem omnino immutata sunt per decretum S. R. C. dierum 9 julii et 9 decembris 1895 : » Omnes et singuli sacerdotes, tam sæculares quam » regulares, ad ecclesiam confluentes vel ad oratorium » publicum, Missas cum Sanctorum, tum Beatorum, et» si Regularium proprias, omnino celebrent officio » ejusdem ecclesiæ vel oratorii conformes, sive illæ in » Romano, sive in Regularium Missali contineantur,

» exclusis tamen peculiaribus Ordinum ritibus. Si » vero in dicta ecclesia vel oratorio officium ritus » duplicis inferioris agatur, unicuique ex celebranti» bus liberum sit missam de Requie peragere, vel vo» tivam, vel etiam de occurrente feria ; iis tamen ex» ceptis diebus in quibus præfatas missas Rubricæ » Missalis Romani vel S. R. C. decreta prohibent ».

3631. In hoc ultimo casu, sacerdos propriam missam celebrare potest, et quidem ritu festivo, non votivo (S. R. C. in *Basileen.*, 14 martii 1896, ad VI). Ceterum, præfato decreto abrogata sunt quæcumque privilegia Regularium (S. R. C., 8 febr. 1896) ; et servandum est quoad omnes ecclesias publicas et oratoria principalia « episcoporum, seminariorum, collegiorum, piarum communitatum, hospitalium et carcerum » (S. R. C. in *Ruthenen* ., 22 maii 1896). In solis proinde oratoriis domesticis, seu stricte privatis, celebrans semper se conformare debet proprio officio.

3632. Ex supra relatis decisionibus videtur esse concludendum colorem paramentorum esse de præcepto in missâ, quidquid dicant plures apud S. Liguor. (lib. 6 , n° 378 , *dub.* 5). « Benè tamen censent Sporer et Quarti, inquit idem » S. Liguor., hanc rubricam non obligare sub gravi , nisi » scandalum adsit, puta si in die Paschatis..., vel in quâ» cumque missâ festivâ..., celebraretur vestibus nigris. » Addit Sporer satius esse, quocumque die, facere sacrum » in quolibet colore, quàm illud omittere ; hinc rectè » dicit à fortiori excusare omnem rationabilem causam, » ut si concursui sacerdotum non sufficerent vestes debiti » coloris. » Ex rationabili causâ licitum est, ut jam diximus supra (3396), uti colore violaceo in missis *De Requiem.*

3633. *Nota* quòd vestes sacræ debeant assumi in sacristiâ ; cum causâ tamen sacerdos potest se iis induere in altari, modò non ponantur in medio : hoc enim Episcopis, et iis qui speciale privilegium habent reservatur. Vide De Herdt, pars 2 , n° 2,I.

3634. Observandum est insuper usum sacrarum vestium : Albæ, Dalmaticæ, Pluvialis et similium non permitti laicis, licet regularibus. S. R. C. 19 martii 1659

(n° 1825 6), et 11 sept. 1847 (n° 4942); quoad superpelliceum, contrarium habet consuetudo ferè communis. Vide De Herdt, *Sacræ Liturg.*, n° 50 VI.

3635. An tollendus sit usus rochetti ubi viget, et timendum est ne ejus sublatio turbas excitet? S. R. Congr. respondit, 27 febr. 1847 : *Non esse inquietandos.*

III. *Vasa sacra.* Calix « debet esse aureus vel argenteus » vel saltem habere debet cuppam argenteam intus inau» ratam. » Ita Rubrica : ob paupertatem vel persecutionem, permittitur stanneus; admittunt etiam aliqui ex plumbo, et plures alii ex gemmâ quæ æquè pretiosa sit ac aurum vel argentum, modò species non imbibat, nec sit periculum ne effringatur; non autem æreus ob æruginem, neque vitreum ob fragilitatem, neque ligneus ob porositatem. Pes autem calicis potest esse ex quâlibet materiâ solidâ et mundâ. Ita De Herdt, *Sacræ Liturgiæ*, n° 55,I; et S. Liguor., lib. 6, n° 383; Holzman tamen, apud S. Liguor. (lib. 6, n° 370), dicit à Rubricâ non prohiberi calicem ex ære vel aurichalco inauratum, cùm talis calix prohibeatur solummodo ne *vinum æruginem pariat* et *vomitum provocet*, quod non est timendum si calix æreus sit intus deauratus; sed si deauratio deficeret, esset timendum.

3636. Controvertitur an liceat celebrare in calice nunquam deaurato : — Probabiliùs autem videtur S. Liguorio illud non eximi saltem à culpâ veniali nisi paupertas excuset (*ib.* n° 370, *d.* 3). De calice ex aluminio v. App. VII.

3637. Patenam decet esse ejusdem materiæ ac calix, et saltem ipsius pars concava debet pariter esse deaurata.

Certa materia præcepta esse non videtur quoad pixidem seu ciborium, ostensorium, et lunulam; juxta tamen *Rituale rom.*, debet esse ex solidâ decentique materiâ, eâque mundâ. *Cæremoniale* autem *Episc.* (lib. 2 c. 30) vult ut pixidis cuppa sit aurea vel argentea, et intus deaurata; vel ob paupertatem, aut aliam causam justam saltem sit ex stanno perpolito intus deaurato; idem dicendum est de lunulâ ostensorii. Vide de Herdt. (p. 1, n. 55 II).

3638. Calix et patena debent esse consecrati, ritu scilicet et precibus ab Ecclesiâ præscriptis, nec sufficit

quòd in illis, nondum consecratis, oblatum fuerit missæ sacrificium, quidquid plures dicant, apud S. Lig. (lib. 6, nº 379) : quia per contactum sacramenti non ideo res consecrantur, ut patet de pavimento, si quandoque ibi decidat hostia consecrata, vel sanguis pretiosus; et de ecclesiis ubi à longo tempore celebratum est, quæque tamen postea ab Episcopis consecrantur. Vide Richaudeau (*Nouv. Traité*, etc., ch. 13, III).

3639. Episcopi jure proprio calices et patenas consecrant; sed nequeunt simplici sacerdoti, vel etiam Abbati hanc consecrationem committere. Abbates tamen possunt, ex Privilegio Apostolico, illos consecrare, sed pro suis duntaxat ecclesiis. S. R. Congr., 27 sept. 1659 (nº 1856 19); et si pro aliis consecrent, peccant quidem, sed vasa denuò non sunt consecranda.

3640. Etsi ex privilegio Superiores regulares soleant sacra paramenta, pixides, et ostensoria benedicere, non tamen possunt, si usum Pontificalium non habeant, consecrare calices et alia in quibus Unctio Sacra adhibetur. S. R. Congreg., 27 aug. 1707 (nº 3626 II). Vide apud De Herdt, *ibid.*, nº 55.

3641. Pixis quidem consecrari non debet, sed juxta sententiam, quam S. Liguor. (lib. 6, nº 385) putat probabiliorem, est benedicenda, prout etiam lunula ostensorii; quoad verò ipsum ostensorium decet saltem ut benedicatur (De Herdt, *ibid.*, II) : hæc autem tria benedici possunt ab iis qui habent facultatem sacra paramenta benedicendi (*ibid.*).

3642. Quærit. 1º Quandonam vasa sacra suam consecrationem aut benedictionem amittant?

Resp. Generatim id contingere quoties, per fractionem vel aliter, figuram aut formam essentialem sub quâ consecrata aut benedicta fuêre amittunt, vel inutilia et inepta fiunt ad convenientem usum ad quem sunt consecrata vel benedicta :

Unde 1º calix amittit suam consecrationem, et pixis suam benedictionem, si in eorum fundo (non verò in parte superiori) fiat foramen quantumvis exiguum. (S. Liguor., lib. 6, nº 370.)

2° Idem dicendum quando vasa ita franguntur ut non ampliùs, vel nonnisi indecenter, inservire possint, licet po breve tempus, imò etsi tunc reparentur. — Non autem amittitur consecratio per aliquos ictus à fabro inflictos quibus vasa non deformantur, ut ineptè à vulgo fuit creditum.

3° Item quando cuppa separatur à pede, nisi calix aut pixis sit tornatilis; imò in hoc casu, si pes tornatilis frangeretur, calix suam consecrationem amitteret, etsi alius pes conficeretur. (Richaudeau, *Nouveau Traité des SS. Myst.*, c. 13, IV.)

3643. — 4° Item quando calix de novo inauratur, quia non est consecrata superficies quæ sacras species immediatè tangit. Ita S. R. Congreg., 14 jun. 1845 (n° 4866); vide Richaudeau, *ibid.*, VI. Idem est dicendum de pixide et patenâ. — Certum est autem calicem non amittere suam consecrationem si paululum decidat ipsius inauratio; quinimò probabilius est nec illam perdere, etsi per longum usum omnino deficiat : sed maximè decet ut tunc de novo deauretur.

3644. Vasa autem sacra, uti et sacræ vestes suam non amittunt consecrationem aut benedictionem, si sacrílegè ad usus profanos adhibeantur. Vide De Herdt (*Sacræ Liturg.*, pars 1, n° 55 III).

3645. Quærit. 2° Quibusnam liceat tangere vasa et linteamina sacra?

Resp. 1° Si actu contineant SS. Sacramentum, extra casum necessitatis seu periculum profanationis, nulli licet, etiam sub gravi, illa tangere, etiam mediatè, præterquam sacerdoti aut diacono. Ita communiter.

3646. — 2° Si sint vacua, tangi possunt, non solùm à sacerdotibus et clericis ordini sacro initiatis ac acolytis, juxta cap. *Non liceat*, 32, dist. 23 : « Non liceat cuilibet » ministro tangere nisi subdiacono aut *acolyto* in secre- » tario vasa dominica » ; sed juxta plures et ex consuetudine, tangi possunt ab omnibus clericis, aut fratribus religiosis et monialibus. Sed hæc consuetudo non ubique viget, nec videtur existere in multis Galliæ diœcesibus.

3647. Laicis autem non licet ea tangere, nisi in casu

necessitatis vel ex licentiâ, aut nonnisi mediante velo : sed ex communi sententiâ, sub veniali tantùm hoc ipsis prohibetur. — Idem est dicendum de sacris linteaminibus. S. Liguor. (lib. 6, n° 382) ; et Richaudeau (*Nouv. Tr., etc.*, c. 13, VIII).

3648. Ante usum, tangi possunt à laicis ciborium, ostensorium ejusque lunula, etsi benedicta; imò ostensorium potest tangi post usum, quia sacras species immediatè non attingit; altaria autem et omnia quæ sacro chrismate consecrantur, non possunt tangi à laicis, juxta Quarti apud Richaudeau (*ib.*, n° X), et juxta communiorem sententiam apud Lequeux (n° 744, *not.* 10); mos est etiam ut agni cerei à Papâ benedicti et reliquiæ nudâ manu non tangantur, nisi à viris Deo sacris, vel à sanctimonialibus dum eas in thecis collocant et adornant. Theol. Tolos. (*De Euchar.*, pars 2, cap. 6, art. 6); esse tamen licitum laicis reliquias tangere, dicere videtur S. Liguor., lib. 3, n° 48, *in fine.*

3649. In casu reparationis, vasa sacra tangi possunt ab operariis propter necessitatem. Vide Reiffenst., lib. 3, tit. 40, n° 61.

Linteamina autem sacra, id est corporale, palla et purificatorium tangi possunt à laicis ante usum aut post lotionem, non verò post usum. —In cap. *Nemo* 40, *de Cons.*, dist. 1, Clemens Papa duo statuit : 1° ut sacræ pallæ tantùm a diaconis laventur; 2° ut lotio mittatur in sacrarium. Cùm hodie subdiaconatus ordo sit sacer, officium hoc nunc ad subdiaconos pertinet : imò, juxta S. Liguor. (lib. 6, n° 387, et lib. 3, n° 48), probabiliter hodiè hæc lotio à meris clericis fieri potest, cùm dicatur in præfato canone : *Diaconi cum humilibus ministris lavent;* decisum tamen fuit à S. Congr. Rit., 12 sept. 1857, ipsas moniales non posse, etiam cum licentiâ Ordinarii abluere corporalia, pallas et purificatoria. Vide *Analecta*, 23° livr. 1857, col. 852 : hæc quoad primam lotionem; quoad verò secundam vel tertiam, etsi decentiùs fiant à sacris ministris, nullum tamen est peccatum si à laicis fiant. Vide S. Lig., *ib.*; De Herdt, *ib.*, p. 1, n° 55 IV; Richaudeau, *ib.*, n° IX.

Lotionis verò aqua in piscinam est projicienda, ut dicitur

in præfato cap. *Nemo;* vide etiam, c. 29, de Consecr., relatum (3621).

3650. — IV. *Corporale, Palla, Purificatorium.* Ex quânam materiâ confici debeant diximus supra (3612-3614); celebrans autem sinè corporali aut cum eo non benedicto, excusari nequit à mortali, nisi gravis urgeat necessitas celebrandi. Ita S. Liguor., lib. 6, nº 387, qui rem ut certam habet.

3651. Item graviter peccat qui utitur corporali notabiliter immundo; sed notat Tamburin. difficilè evenire quòd sit valde immundum : uti autem corporali aut paramentis non enormiter immundis, est solùm veniale, imò nullum peccatum si alia haberi non possunt : unde peregrinus excusari potest celebrando in eis per transitum; nec etiam esset mortale uti notabiliter immundo in necessitate, si omittendum esset sacrum de præcepto. Vide S. Liguor., nis 376 et 386.—Nec pariter licet uti corporali in quo esset foramen, quantumvis exiguum, in loco ubi reponitur hostia; imò volunt plures non ampliùs posse adhiberi hujusmodi corporalia; sed de hoc ultimo nullum potui deprehendere decretum prohibens. Intellige : modo reparentur.

3652. Palla erat olim ipsummet corporale quatenus replicabatur super calicem : unde eamdem habet benedictionem et pro eodem servire posset si sat capax esset. Potest autem esse intus cartana, sed à parte superiori et inferiori lino seu cannabe circumduci debet, non *drappo deaurato vel serico*, uti fuit prohibitum à S. R. Congr. 27 aug. 1707 (nº 2326 3); attamen hoc tolerari potest ex Decis. ejusd. Congr. 10 jan. 1852, in *Cenoman.*, ab *Analectis* relatâ (avr. 1855, col. 1429-1430), in quâ dicitur: « An, non obs» tantibus Decretis S. R. Congr. editis, uti liceat pallâ *à* » *parte superiori* panno serico coopertâ? — Ad 1um per» mitti posse, dummodo palla linea subnexa calicem coo» periat, ac pannus superior non sit nigri coloris, aut » referat aliqua mortis signa. »

3653. Controvertitur an sit mortale celebrare sinè pallâ, aut cum eâ non benedictâ; si verò palla desit, aut per quadrantem sit expectanda, poterit ejus loco adhiberi aliud corporale,

aut, eo deficiente, purificatorium vel bursa. (Apud S. Lig., lib. 6, n° 388.)

3654.—V. *Missale* sub gravi requiritur, canonem saltem continens : tabella autem secretorum non requiritur ex præcepto, sed ad majorem tantùm commoditatem ; media tamen tabella à rubricâ præscribitur : sed juxta Herdt (*ib.*, n° 60,I), quæ in rubricâ præscribuntur de tabellâ, cussino, campanulâ [1], ampullis, manutergio, sunt pro instructione et non de præcepto. Vide etiam S. Liguor. (lib. 6, n° 295 *in fine*).

3655. Sacerdos ritûs romani graviter peccaret utendo *Missali* locorum quà transit ; ita S. R. Cong. 19 nov. 1622 : hoc tamen intelligitur si suum ritum possit servare ; alioquin uti potest ritu et Missali diœcesis in quâ reperitur, ut communiter docetur. Vide supra dicta (1540).

3656. Olim missalia habentia in canone : *Pro Rege nostro N...* erant interdicta ; sed hodie sinè scrupulo adhiberi possunt ob consuetudinem juxta S. Liguor. (lib. 6, n° 390) ; illud constat de consuetudine immemorabili, ex Brevibus Clementis XIII, ab *Analectis* relatis (14° livr., col. 2163, n° 76) ; saltem permitti possunt si sint correcta ; vide, *Revue des Sciences ecclés.*, n° 5, p. 470.—sed quidquid sit, ad tempus in Galliâ licuit nominare Imperatorem in canone, ex Decreto S. R. Congr. 10 sept. 1857, antiquum Galliæ usum approbante (reperitur in *Ordine Valent.*, pro anno 1859) ; non ideo tamen licet imprimere in canone Missalis *Pro Rege Nostro N...* ; nec etiam *Pro Imperatore*. (Vide *Revue des sciences ecclés.*, n° 5, p. 470.)

3657. « Confessarii et capellani monialium, quæ ad » chorum tenentur et officium magnum, possunt quidem » dicere missas SS. de quibus ipsæ recitant officium (imò » et debent), non tamen proprias illius Ordinis (nisi et

[1] Omittenda est pulsatio campanulæ in missis tempore quo fiunt processiones in ecclesiâ, vel celebratur in choro divinum officium, vel expositum est SS. Sacramentum. Si verò campanula pulsetur, est genuflectendum, juxta De Herdt, pars 6, n° 32 XI, qui citat decisiones S. R. Congr., 2 maii 1620 ; et 1 martii 1681. Ad summum pulsetur ad *Elevationem* et ad *Sanctus* : quæ duæ pulsationes solæ in rubricis præscribuntur. De Herdt, *ibid.*, IV.

» ejusdem Ordinis ipsi sint) sed cum Missali Romano et » de communi. Ita S. R C., annuente Clem. XI, 1 dec. » 1717. » Ita S. Lig. (lib. 6, n° 390); vide De Herdt, *Sacræ Liturg.*, pars 1, n° 35, *resp.* 2° I; n° 34. 2. — Imò debebant facere commemorationes officii à monialibus celebrati: vide *ibid.* et dicta supra (1540). Sed vide n° 3630.

3658. Quærit. An unquam liceat celebrare sinè Missali?

Resp. Quosdam negare ob periculum errandi, etsi quis firmiter sciret memoriter quæ sunt dicenda : sententia tamen communissima affirmat, casu quo Missale deficit, et ob præteritum experimentum, scitur abesse morale periculum errandi.

3659. Hinc probabiliter infertur licitè celebrare posse sacerdotem, qui ob visûs debilitatem memoriter missam recitat, modò discernat calicem et hostiam quantum sufficit ad evitandam irreverentiam, et habeat Missale vel alium librum in altari, ad notam effugiendam.

Reverà S. Conc. Congr., licentiam cæcutientibus impertiendo, solere videtur apponere clausulam : « Quòd non sit » omnino *cæcus* et *memoriter non recitet* » ; sed his verbis non peremptoriè probatur hanc secundam opinionem rejici ut improbabilem : tutiùs tamen est, inquit S. Liguor. (lib. 6, n° 390), obtinere dispensationem circa hanc clausulam : « Certum autem est apud omnes sacerdoti penitus » cæco illicitum esse celebrare, quamvis referat Bened. XIV, » (*Notif.* 29, n° 5), die 23 augusti 1727, S. Congr. Concil. » hanc licentiam concessisse cuidam parocho pauperi ex » speciali gratiâ, cum assistentiâ tamen sacerdotis. »

3660. Cæcutiens celebrans vi Indulti, die Natalis Domini, unam tantùm votivam de Beatâ, non autem tres potest dicere, juxta decis. 11 apr. 1840 (n° 4731 4). Vide De Herdt, pars 1, n° 22 3°.

3661. — VI. *Crucifixus.* De eo sic habet Bened. XIV, Decret. *Accepimus*, 16 julii 1746 : « Nullo modo patiamini » rem divinam fieri.., nisi Crucifixus inter candelabra ita » promineat, ut sacerdos celebrans ac populus sacrificio » assistens eumdem Crucifixum facilè et commodè in- » tueri possint ; quod evenire nequit, si exigua solùm

» crux minori tabulæ defixa fidelibus exhibeatur. »

3662. S. Rit. Congreg. decrevit ut etiam in altari, ubi expositum est Venerabile Sacramentum collocetur crux cum imagine Crucifixi, sed tantùm ubi est consuetudo (16 maii 1707, n° 3624); nam, ubi non adest, crux tunc non est apponenda (21 sept. 1741, n° 3970). Bened. XIV, Const. *Accepimus*, 16 julii 1746, decr. 287 et 288. Vide De Herdt, p. 1, n° 58.

3663. Imago autem Crucifixi non requiritur cum tanto rigore ac crux, quæ jam in mentem revocat sacrificii cruenti memoriam : imò, quidquid dicant nonnulli, juxta communissimam sententiam, ipsamet crux sub gravi non requiritur ; unde ex rationabili causâ potest sinè eâ missa celebrari. Vide S. Liguor., lib. 6, n° 393.

3664. Ex *Cæremoniali Episcoporum* (lib. 1, c. 12) in altari, in quo adest magna statua SS. Crucifixi, non est necesse ut ponatur alia crux dum celebratur missa ; idque confirmatum fuit per Decretum S. Congreg. Rit., 16 junii 1663 : et idem esse dicendum de imagine Crucifixi depictâ plures aiunt ex Decreto S. Congr.: attamen « crux » parva cum imagine Crucifixi super tabernaculum in quo » asservatur SS. Sacramentum in altari, non est sufficiens » in missâ, sed poni debet alia crux in medio candelabro» rum. » Ita S. Congreg., 16 jun. 1663 in *Rossan.* Vide S. Liguor., lib. 6, n° 393 ; De Herdt, pars 1, n° 58. — Nec crux nec imagines sunt necessariò benedicendæ, juxta Decret. S. C. 12 jul. 1704, *ibidem*.

3665. Ex Decis. S. R. Congreg. 12 sept. 1857, ad 11^{m}, « tolerari nequit ut, tempore missæ et officiorum, candela» bra altaris, ne pulvere sordescant, aliquo drappo vel » telâ permaneant vestita : imò ipsa crux eodem modo » involvatur, positâ aliâ cruce minore pro cruce altaris » pretiosiori sic obtectâ. » (*Analecta*, 23e livr., col. 335 et 336.) Extra dies solemnes id toleratur. (Dec. 16 sept. 1865.)

3666. — VII. *Lumen*. In Rubricâ, p. 1, tit. 20, sic habetur : « Super altare collocentur candelabra saltem duo, » candelis accensis, hinc et indè, in utroque latere. » Certum est apud omnes mortale esse celebrare sinè ullr

lumine, ut constat ex cap. *Litteras*, ult., *de celebrat. missæ*, ubi in perpetuum deponi jubetur sacerdos qui sinè *igne* et *aquâ* sacrificabat; et hoc, etsi urgeret necessitas ministrandi viaticum; ita communiter. — Attamen si post consecrationem deficiat lumen, nec candelæ possint reaccendi, aut nonnisi post quadrantem, meliùs est pergere: quia continuatio missæ ad unitatem sacrificii pertinet. — Quidam autem dicunt posse absque peccato recitari evangelium S. Joannis, extincto lumine; sed probabiliùs judicat S. Liguor. candelas non debere extingui nisi post hoc Evangelium, quia hodie ipsius recitatio obligat, ob mandatum S. Pii V. — Hodie pariter communis usus habet ut non accendatur tertia candela post *Sanctus*, quamvis illud præcipiat rubrica. S. Liguor. (lib. 6, n° 394).

3667. Celebrare cum unico lumine cereo est tantùm veniale, juxta communiorem et probabiliorem sententiam : à quo peccato excusat, secluso scandalo, quæcumque causa rationabilis, et etiam sola devotio, inquit S. Liguor. (*ibid.*, *dub.* 2).

3668. Idem Sanctus addit (*ibid.*) non esse licitum, etiam Vicariis Generalibus, celebrare missas privatas cum quatuor candelis; ita ex Declar. S. Congr., 7 aug. 1627; solis autem Cardinalibus, Episcopis et Abbatibus usum Pontificalium habentibus (et his ultimis solùm cùm in Pontificalibus celebrant), hoc licere, ex Decreto 9 febr. 1675, ap. Bened. XIV (*Notif.* 29, 16). — Usus tamen invaluit in Galliâ, ut quædam missæ privatæ, diebus festis, cum certâ solemnitate, ideoque cum quatuor aut pluribus candelis celebrentur; hocque legitimatum fuit ex Declarat. S. Rit. Congreg., 12 sept. 1857, ubi, ad 7 et 9, sic respondetur : « servanda esse quidem Decreta quoad missas strictè privatas : sed quoad missas parochiales vel similes, diebus solemnioribus, et quoad missas quæ celebrantur loco solemnis aut cantatæ, occasione realis atque usitatæ celebritatis et solemnitatis, tolerari posse duos ministros missæ inservientes, servatis ordinationibus S. C. in *Tuden.*, ad 11 et 12, et sub die 7 sept. 1816. » Et idem dicitur ad quæsitum de quatuor candelis. Vide *Ana-*

lecta, 23ᵉ livr., col. 356. — Missa verò conventualis, liceì non cantata, privata non censetur; et ideo adhiberi possunt in eâ duo ministri et plures candelæ, præsertim in festis majoribus. Ita *Ordo Valent. pro anno* 1861, nº 49.

3669. Quærit. An liceat celebrare cum lumine ex sebo, vel oleo?

Resp. Doctores communiter docere id esse mortale, inquit S. Liguor. (*ibid., dub.* 1), ob indecentiam: et hoc etiam in necessitate, juxta Suarez et quosdam alios; sed plures alii communiter tenent illud probabiliter licere in necessitate, secluso scandalo, ad communicandum, v. g. infirmum, vel ad implendum præceptum missam audiendi; non sufficit autem sola devotio, etsi aliud lumen haberi nequeat: sufficeret autem, juxta D. Richaudeau, ratio tentationem superandi, vel lucrandi honorarium necessarium pro victu (*ibid.* 2, c. 12).

3670. Hanc decisionem extendit idem D. Richaudeau (*ibid.*, nº 9), ad candelas vulgò dictas *stéarines*, citatque novos editores Ferraris, qui dicunt hoc esse abusum ab Ecclesiâ non tolerandum, et Respons. S. R. Cong., 16 sept. 1843, quæ in hoc ad rubricas remittit.

Eadem S. Congreg. ex diœcesi Divionensi, consulta an liceat uti dictis candelis, respondit 7 sept. 1850: *Nihil innovetur* (*Dict. des Décrets*, D. Boissonnet, vº *Cierges*). Hanc tamen licentiam concessit, iisdem die et anno, missionariis Oceani, sed propter necessitatem. (Vide *Rev. des sciences ecclésiast.*, nº 6, p. 550.)

3671. « *Nota* candelas, non tantùm in sacrificio missæ, » sed etiam in expositione SS. Sacramenti, item illas quæ » benedicuntur in festo Purificationis... et pro Cereo pas- » chali, ex cerâ esse debere; alias tamen, quæ... ultra » determinatum numerum, quando plures permittuntur, » accenduntur ad augendam solemnitatem, convenienter » quidem, non tamen necessariò ex cerâ, sed etiam ex » aliâ materiâ decenter compositâ, esse posse. Vide Gar- » dellini, in *Inst. Clem.*, § 6, nº 2; Congr. Arch. Mechl. » 1848, *De Sacr. Missæ*, nº 12. » Ita De Herdt, pars 1, nº 59.

3672. Pro missis solemnibus, numerus candelarum

non determinatur. De Herdt (*ib.*) deducit ex Rubricâ incensationis sex esse accendendas; quatuor tamen in missis minus solemnibus adhiberi solent, et plures quàm sex etiam accendi possunt,

3673. Quando verò exponitur SS. Sacramentum, ad minus sex candelæ cereæ sunt accendendæ, ex Decreto S. R. Congr. 15 martii 1698, n° 3315. Vide *Rev. des sciences ecclésiast.*, n° 6, p. 546, etc. — De lampade coram SS. Sacramento, vide supra (3588-3590).

3674. — VIII. *Antipendium* seu pallium requiritur, ut anterior pars altaris decenter ornetur, nisi altare per modum tumbæ confectum sit; ita enim se habet Rubrica: « Altare *pallio* quoque ornetur coloris, quoad fieri potest, » diei festo vel officio convenientis. » (S. Liguor., lib. 6, n° 295; et De Herdt, pars 1, n° 57 III.)

3675.—IX. *Tabernaculum* requiritur si Eucharistia in altari servetur : sic enim habet *Rituale Romanum :* « Curare.... » debet (parochus) ut perpetuò aliquot particulæ conse» cratæ, eo numero qui usui infirmorum et aliorum fidelium » communioni satis esse possit, conserventur in pixide ex » solidâ decentique materiâ, eâque mundâ et suo operculo » benè clausâ, albo velo coopertâ, et quantùm res feret, » ornato in *tabernaculo clave obserato.*

» Hoc autem tabernaculum conopeo decenter opertum, » atque ab omni aliâ re vacuum, in altari majori vel in alio » quod venerationi et cultui tanti Sacramenti commodiùs » ac decentiùs videatur, sit collocatum, ita ut nullum aliis » sacris functionibus, aut ecclesiasticis officiis impe» dimentum afferatur. »

3676. In Cathedralibus, tabernaculum SS. Sacramenti non debet esse in majori altari, propter functiones pontificales, quæ fiunt versis renibus ad altare. Econtra in ecclesiis parochialibus aut regularibus, in altari majori regulariter esse debet, tanquam digniori. S. Congr. Episc., 10 febr. 1579, et 29 nov. 1594, apud Ferraris (v° *Eucharistia*, art. 1, n° 56).

3677. Regulariter tabernaculum debet esse ligneum ad majorem siccitatem, extra deauratum, intus verò panno

serico decenter contectum (S. Congr. Episc., 26 oct. 1575). Non tamen, juxta Cavalieri, inhibetur illud confici ex nobiliori materiâ solidâ, v. g., marmoreâ, intus auro vel argento vestitâ, aut saltem pannis sericis albi coloris.

3678. In summitate tabernaculi crux est collocanda, quæ parva esse debet si conopeo cooperiatur (Gardell. in decis. 4428 6); ante illud poni non debet vas florum aut theca reliquiarum vel quid simile : S. R. Congr., 22 jan. 1701 (n° 1426 10), 6 sept. 1845; sed poni debent in humiliori et decentiori loco; neque superponi possunt imagines aut reliquiæ Sanctorum. De Herdt, *Sacr. Liturg.*, p. 6, n° 14; *Revue des Sciences ecclés.*, n° 2, p. 110 et 111.

3679. Debet esse benè nitidum, mundum et vacuum ab omni aliâ re. Unde juxta Congr. Episcop. (3 maii 1693), in illo non esse debent vasa SS. Oleorum, reliquiæ, purificatorium, vas ad abluendos digitos, vel quid aliud (*ibid.*).

3680. Debet esse benè clausum, opertum conopeo coloris convenientis : quod tamen non ubique observatur. (De Herdt, *ibid.*); sed juxta Decretum S. C. R. 21 jul. 1855, hoc est observandum; color autem potest esse vel albus, vel idem ac paramentorum in die adhibitorum, et confici potest etiam ex gossypio, vel lanâ, vel cannabe. (*Revue des Sciences ecclés.*, n° 2, p. 111.)

3681. Benedictum esse debet tabernaculum : quod tamen negatur à Cavalieri, ap. De Herdt (*ibidem*).

Baldachinum poni debet supra altaria, nisi adsit fornix desuper; et Canonici cogi possunt ab Episcopo ad illud ponendum supra altare majus (apud Gardellini, n^{is} 3272 et 3837 ad 5 et 6). V. *Dictionn. des Décrets* D. Boissonnet, v° *Baldaquin.*

3682. Si contingat tabernaculum à Sanctissimo vacuari, relinquendum est apertum, lampasque est extinguenda, ne fideles existiment adhuc præsens esse SS. Sacramentum. Vide De Herdt (*ibidem*).

3683. — X. *Minister.* Certum est apud omnes requiri sub mortali ministrum in celebratione missæ; constat ex cap. *Proposuit* 6, *de filiis presbyt.*, ubi dicitur : « Non » enim solus presbyter missarum solemnia potest sinè

» ministri suffragio celebrare. » Excipitur communiter si esset necessitas ministrandi Viaticum; si populus deberet audire missam *de præcepto*; imò, juxta Diana, si ipse celebrans debeat eam audire *de præcepto* (S. Liguor., lib. 6, n° 391); item si, cœptâ missâ, maximè si, factâ oblatione, minister abscesserit et de brevi non sit reversurus, probabiliter est licitum pergere. Ita plures.

3684. « Probabiliter etiam dicunt Salmantic... quòd ce-» lebrans non faciat scrupulum, si minister malè pronun-» tiet, nec facilè corrigat errores, ne turbet seipsum vel » circumstantes, vel ordinem missæ : quamvis moneat » Croix cum Gobat, quòd celebrans suppleat omissa à » ministro...; rationabiliter.... advertit Lugo... minorem » necessitatem sufficere ad celebrandum cum ministro » nesciente respondere, quàm sinè ministro. » Ita S. Lig. (lib. 6, n° 391). — In hoc casu sibi ipsi sacerdos respondere potest. Vide De Herdt, pars 2, n° 34 III.

3685. In missâ privatâ unicus minister esse debet, etiamsi missa celebretur ab Abbate aut à Prælatis Episcopo inferioribus, non obstante cap. 61, *de consecr.* dist. 1, qui intelligitur de missâ solemni. S. Liguor., lib. 6, 391; De Herdt, *ibid.*, II, et n° 2 I. Vide supra (3668).

In missis privatis non est permittendum ministro ut aperiat Missale ad designandam missam; nec ipsi quamvis subdiacono, aut etiam sacerdoti licet præparare calicem, illud abstergendo et infundendo vinum et aquam ante Offertorium; nec potest illum extergere in fine post ablutiones. S. R. C. 1816. Vid *Ordo Valentinensis pro anno* 1861, n° 50.

3686. « Minister debet esse masculus, ita quidem ut fœ-» mina, licet etiam sanctimonialis, nunquam ministrare » possit; et urgente necessitate, satius sit celebrare sinè » ministro quàm cum feminâ ministrante; urgente tamen » necessitate, si masculus deserviens haberi non possit, » potest femina, maximè si sit sanctimonialis, longè ab » altari respondere, sacerdote sibi ipsi vinum et aquam » ministrante ac librum transferente, juxta Decision. S. R.

» Congreg. 27 aug. 1836, n° 4633. » (De Herdt, pars 2, n° 34 III.)

3687. Communiter negatur esse mortale quòd mulieres respondeant sacerdoti celebranti, modò immediatè altari non ministrent; plures, apud S. Liguor., lib. 6, n° 392, dicunt benè permitti ut feminæ quandoque à longè respondeant, maximè si sint moniales.

Quomodo autem minister debeat suum officium implere, vide apud Rubricistas, præsertim apud De Herdt (pars 2, n° 34 IV).

3688. — XI. *Nudatio capitis.* Certum est illicitum esse capite cooperto celebrare; constat ex can. *Nullus, de consecr.*, dist. 1 : « Nullus Episcopus, presbyter aut diaconus » præsumat velato capite altari Dei assistere. » Item ex prohibitione Urbani VIII Missali insertâ : « Nemo audeat » uti pileolo in celebratione missarum, sinè expressâ licen- » tiâ Sedis Apostolicæ, non obstante quâcumque contrariâ » consuetudine » : hâc prohibitione non tenentur Chinenses, apud quos tegere caput est signum honoris, et detegere est irreverentia. (S. Liguor., lib. 6, n° 397.)

3689. Controvertitur autem utrum sub peccato mortali prohibeatur uti pileolo; sed non improbabiliter plures distinguunt et dicunt esse mortale celebrare totam missam cooperto capite, secus si usque ad Canonem, seclusis contemptu et scandalo : et in hoc posteriori sensu, probabile est nullum esse peccatum si fiat ex rationabili causâ, in loco privato, vel si causa sit astantibus nota, nempe sacerdotis senectus, infirmitas, loci frigus, etc. (S. Liguor., *ib.*). Juxta autem D. André (*Cours de droit canon*, v° *Perruque*), senectus et loci humor, aut hyemale tempus, vel etiam notabile incommodum non essent rationes legitimæ celebrandi capite velato *in loco publico* sinè dispensatione; si tamen causa rationabilis imprævisa suaderet, v. g., subitanea et gravis infirmitas, quæ recursum ad Episcopum non permitteret, non esset peccatum uti pileolo usque ad Præfationem, juxta Bened. XIV, *De Sacrific. Missæ*, lib. 1, cap. 9, n° 3.

3690. Facultas autem concedendi usum pileoli in missâ

spectat ad Papam, juxta decis. S. R. C., 24 apr. 1626; et Decretum Urbani VIII modò relatum (3688). Potest autem Episcopus hanc licentiam dare Canonicis in choro (Gard., 3293), vel etiam aliis sacerdotibus tempore missæ usque ad Præfationem, uti dicitur in Rituali Valentin. (p. 243), Bellicensi, et apud André, *Cours de droit canon.*, v° *Perruque;* contradicit tamen Bened. XIV (*De Sacrific.*, lib. 1, c. IX, 3, apud *Curs. Compl.*, tom. 23, col. 913), et Ferraris; vide supra (984).—Quoad Viaticum, vide supra (3228).

3691. Insuper, ex variis Decretis S. R. Cong. usus pileoli prohibetur: 1° Canonicis preces et orationes cantantibus pluviali indutis, ac iis qui juxta Episcopum officio Diaconi aut Subdiaconi funguntur aut aliud ministerium implent (n° 1725 et apud Gardell.); 2° omnibus, etiam Episcopis tempore quo thurificantur; 3° iis qui lectionem, vel passionem cantant, vel qui genuflectunt, pacem dant aut accipiunt; 4° tempore quo cantatur Evangelium, et à *Sanctus* usque post Cleri communionem. Vide alia apud D. Boissonnet, *Dictionn. des Décrets,* v° *Calotte.*

3692. Quærit. An liceat uti comâ fictitiâ in celebratione Missæ?

Resp. Affirmare Pasqualigum, Theoph. Reginaldum, et Rituale Valentinense (p. 244 *in notâ*): « Attamen, inquit » Bened. XIV, certum est Reginaldum et Pasqualigum » falli, et Card. Grimaldum (Archiep. Aquensem, qui sa» cerdoti cuidam licentiam concesserat missam celebrandi » cum comâ supposititiâ) suæ potestatis limites prætergres» sum. Etenim nemo... inficiari potest per fictum capilli» tium sacerdotis caput cooperiri; in altari autem cooperto » capite ministrare, ne Episcopo quidem permittendum » statuit Zacharias Papa in Concilio Romano anni 744 » c. 13 (Vide supra 3688): cuilibet verò compertum est » non posse Episcopum relaxare legem à Superiore latam » neque alteri illam licentiam impertiri quam sibimet » ipsi concedere nequit... Cùmque in Congregatione par» ticulari ab Alexandro VIII anno 1690... fuerit speciatim » discussus articulus.., an *pileoli* nomine comprehendatur » etiam coma supposititia.. Responsum fuit: *Comprehendi.*

» In cujus Decreti sequelam Innocent. XII... locorum Or» dinarios moneri jussit, ne quemquam permitterent, sinè » Apostolicæ Sedis privilegio, cum adulterino capillitio » Sacro-Sanctum peragere missæ Sacrificium » (*De Syn.*, lib. 11, cap. 9, V). Vide insuper S. R. Congr., n° 3365, ad 4 et 5; Phillipps, tom. 1, p. 510; André, v° *Perruque*; *Traité des SS. Mystères*, tom. 2, p. 226; S. Liguor., lib. 6, n° 398. In Rituali autem Avenionensi dicitur: (p. 10, § 6): «Interdicitur usus comæ fictitiæ, nobis incon» sultis »; et (p. 62, § XCVI): « de fictitiâ autem cæsarie » servetur quod supra statutum est. »

Ultra progrediuntur Ritualia Bellicense et nostrum Valentin. (p. 244), ubi dicitur adeo communem evasisse comæ fictitiæ usum, ut non ampliùs illicita censeri debeat in missæ celebratione. Vide Lequeux (n° 716) et DD. Bouvier (*De Sacrif. Missæ*, c. 7, art. 7).

3693. Observat autem Bened. XIV (*Inst.* 34) non omnino prohiberi, etiam in missâ, usum coronæ capillitii quâ tonsura non velatur. Hic quidem usus prohibitus fuerat à Concil. Romano sub Bened. XIII; sed ipsius Decreta vim non habent obligandi extra Romanam Provinciam. Vide *Dict. des décrets*, D. Boissonnet, v° *Calotte.*

3694. — XII. *Pedibus calceati*, et *veste talari induti*. De hoc sic habet Rubrica: « Sacerdos celebraturus... accedit » ad paramenta... ubi *calceatus pedibus* et indutus vestibus » sibi convenientibus, quarum exterior saltem *talum pedis* » attingat, induit se, etc. » Sufficit autem ut celebrans sit calceatus crepidis, vulgò *pantoufles*.

Celebrare nudis pedibus, absque contemptu, quamvis sinè causâ, non excedit veniale, juxta communem sententiam; cum causâ autem nullum est peccatum. In multis locis, sub pœnâ suspensionis, etiam ipso facto incurrendæ præcipitur celebrare cum veste talari nigri coloris (Vide *Ordonn. de Valence*, p. 242; *Rituale Avenion.*, p. 9, 55; et Theolog. Tolos., *De Eucharistiâ*); sub pœnâ suspensionis ferendæ sententiæ prohibetur in diœcesi Bellicensi (tom. 1, p. 316, 4° édit.).

§ IX.

De Rubricis.

3695. Leges servandæ in missâ et cæteris officiis, *Rubricæ* dicuntur, à colore rubro quo olim conscribebantur, et hodiedum etiam aliquando imprimuntur.

3696. Quærit. 1° An Rubricæ Missalis sub peccato obligent?

Resp. Ante solutionem hujus dubii, referendum est 1° quid statuat Concil. Trident. (sess. 7, can. 13): « Si quis » dixerit, receptos et approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus, » in solemni Sacramentorum administratione adhiberi con- » suetos, aut contemni, aut sinè peccato à ministris pro » libitu omitti, aut in novos alios per quemcumque Eccle- » siarum pastorem mutari posse, anathema sit. »

2° Quid mandaverit S. Pius V, in Bullâ quæ Missali præponitur: « Mandantes ac districtè omnibus... virtute sanc- » tæ obedientiæ præcipientes ut... missam juxta ritum, » modum ac normam quæ per Missale hoc à Nobis nunc » traditur, decantent ac legant; neque, in Missæ celebra- » tione, alias cæremonias vel preces quàm hoc Missali con- » tinentur, addere vel recitare præsumant. »

Ad solutionem nunc deveniendo, quatuor sunt sententiæ, inquit S. Liguor. (lib. 6, n° 399): *Prima* dicit omnes rubricas esse directivas, proinde *per se* sub peccato non obligare: ita Fagund. et Henno; sed ex textibus modò relatis, patet hanc primam sententiam esse falsam et rejiciendam. *Secunda* sententia dicit omnes rubricas esse præceptivas: ita Suarez et alii plures, et probant ex Bullâ S. Pii V, supra relatâ. *Tertia* sententia admittit alias rubricas esse præceptivas, alias verò directivas: ita Gavantus, Lugo et alii: *præceptivæ* autem sunt quando vel ex verbis legis vel consuetudine, vel ex naturâ rerum deduci potest illas esse obligatorias; secus sunt tantùm *directivæ*.

3697. *Quarta* sententia quam amplectitur S. Liguor., distinguit inter rubricas quæ servantur intra missam vel

solemnem Sacramentorum administrationem, et alias rubricas: priores dicit obligare, et etiam sub peccato mortali ex genere suo, id est quoties levitas materiæ non excusat, nisi sub consilio tantùm præcipiantur, ut *Dies iræ* in missâ quotidianâ *pro defunctis;* posteriores verò sunt tantùm directivæ, nisi ex lege vel alio modo legitimè concludi valeat illas esse obligatorias : v. g., jejunium naturale, ante communionem ; hæc sententia probatur ex duobus textibus supra relatis Concilii Trident., et Bullâ S. Pii V.— Vide etiam De Herdt, *Sacræ Liturg.*, p. 1, n° 2.

Unde à peccato veniali non excusatur sacerdos omittendo etiam benedictiones, genuflexiones, inclinationes à rubricâ præscriptas, vel non genuflectendo advertenter usque ad terram, vel nimis celeriter aut prolixè ista omnia peragendo : mortale autem posset esse peccatum si in quantitate notabili hæ cæremoniæ omitterentur.

3698. Hinc pariter dicit S. Liguorius (lib. 6, n° 400) « difficulter posse excusari à mortali sacerdotem qui » infra quadrantem missam absolveret, etiamsi missa sit » ex brevioribus vel de S. Mariâ in Sabbato : quia in tam » brevi spatio necessariò committere debet duos graves » defectus : alterum gravis irreverentiæ erga Sacramen- » tum, alterum gravis scandali erga populum. » Porrò, inquit idem Sanctus (*ibid.*, n° 399 *in fine*), optimè docet Bened. XIV (*notif.* 34, n° 30) cum communi : « missam » non breviorem triente, nec longiorem dimidiâ horâ » debere esse. »

Insuper si quis violet rubricam essentialem vel quasi essentialem missæ, vel si nullam planè servet, peccat mortaliter. Ita Busembaum (apud S. Liguor., n° 417 *in fine*).

3699. Non concordant autem liturgistæ an directivæ vel præceptivæ sint rubricæ spectantes ritus servandos à ministris, puta diaconis, subdiaconis, etc., vel à populo. (Vide Lequeux, n° 728.)

3700. Sed ut accuratiùs et magis sigillatim pateat quomodo quisque peccet rubricas violando, distinguendum est inter *ordinarias* et *extraordinarias* missæ partes. *Ordinariæ*

sunt illæ quæ semper dicuntur vel aguntur : porrò has omittere *de se* est peccatum mortale, nisi levitas materiæ excuset. Unde ùt grave peccatum communiter habetur omittere Confessionem cum aliis precibus quæ in infimo gradu altaris dicuntur, Epistolam, Evangelium, Collectas principales, Offertorium, fractionem hostiæ et illius mixtionem in sanguine, Præfationem. In Canone autem mortale est omittere quamlibet orationem, aut ejus verba ita mutare vel omittere ut sensus alius fiat, aut deficiat : idem dicendum de omissione *Pater noster* vel *Agnus Dei...*; idem de omissione purificationis patenæ et calicis; idem si quis omittat octo vel decem nomina SS. in Canone. (S. Lig., lib. 6, n^is^ 404 et 405.)

3701. Veniale autem esset omittere *Kyrie eleison*, Evangelium S. Joannis (modò absit scandalum), unam vel alteram crucem super oblata, vel tunsionem pectoris, vel signum crucis super aquam, aut lavationem manuum, aut ablutionem digitorum, vel psalmum *Judica me*, aut unam ex tribus Collectis principalibus, secus si duæ omitterentur; si verò omissa fuerit prima Oratio, cum Secretâ est recitanda, non autem postea; « ita, inquit S. Lig., de Collectâ » propriâ : nam aliæ Orationes, quæ præter eam adducuntur » in missâ, non erit mortale eas omittere. » (*Ibid.*, n° 406.)

3702. Si verba sint detrita in Canone, et non possit haberi aliud Missale nisi post longum tempus, omitti possunt sinè peccato quando è memoriâ excidunt, modò priùs sacerdos non adverterit. (S. Liguor., *ibid.*)

3703. Mutilare autem verba aut syncope intermediare, salvo sensu et secluso scandalo, est tantùm veniale, et probabiliter non est peccatum quando ex naturali defectu hoc procedit. (S. Liguor., *ibid.*, n° 407.)

3704. Quidam dicunt esse mortale si regulares nominent suum Generalem in Canone vice Episcopi; allegatur Declar. S. C. : sed non constat de ipsius authenticitate, et materia multis non videtur gravis. Notandum est autem quòd nominari debeat Episcopus non celebrantis sed loci, ut constat ex rubricâ, ubi dicitur quòd si Episcopus loci sit

vitâ functus, omittitur ipsius nomen. (S. Liguor., lib. 6, n° 410.)

3705. Regulariter non sunt repetenda quæ in missâ fuerunt omissa : sic non debent repeti *Gloria*, *Credo*, Præfatio, Epistola, vel Evangelium, quando unum pro alio dictum fuerit. — Dicitur *regulariter*, quia omissa repeti debent quando sunt de substantiâ, vel pertinent ad consecrationem, vel quando, post pauca verba, advertitur omissum fuisse aliquid notabile secretò recitandum, v. g., *Communicantes*, vel *Hanc igitur* propria diei Paschæ. (S. Liguor., lib. 6, n° 403.)

3706. Peccaret quidem sacerdos qui in purificatione calicis solâ aquâ uteretur (cap. *Ex parte*, *de celebr. missæ*): sed communiter ut veniale tantùm hoc habetur; unde quidam dicunt nullum esse peccatum si id fiat ab abstemio; à fortiori esset tantùm veniale uti solâ aquâ in ablutione digitorum; imò quidam volunt in hoc nullum adesse peccatum, et ratio sufficiens S. Liguorio videtur quòd vinum sit rubeum, eò quod ex illo purificatoria maculentur.

3707. Quoad verò partes missæ *extraordinarias*, nempe quæ non in omni missâ dicuntur, eas omittere non est peccatum mortale, nisi simul sumptæ notabilem materiam constituerent : sic veniale tantùm esset omittere *Gloria*, *Credo*, Sequentiam, Collectas (præter Missæ propriam), Tractum; item Præfationem, vel *Communicantes* aut *Hanc igitur* specialia. Ita communiter (S. Liguor., *ibid.*, n° 409): item incensationem in missâ solemni. (De Herdt, p. 1, n° 2 IV.).

3708. Ex præfatis deduci posse videtur quòd debiles et infirmi non debeant celebrare, si partem notabilem vel partium minorum notabilem quantitatem omittere cogantur; si verò solùm genuflectere nequeant, celebrare possunt, secluso scandalo (De Herdt, *ibid.*). — Partes autem minores omissæ, si simul sumptæ adæquent quantitatem integræ Epistolæ aut Evangelii nec nimis prolixi nec nimis brevis, censentur materia notabilis. (De Herdt, *ibid.*)

Nota quòd Croix, cum quibusdam aliis, dicat licitè posse uti baculo qui sinè eo non posset celebrare; « additque

» Gobat quòd si quis nequiret celebrare nisi utroque brachio super altari innixo, licitè sic celebraret privatim, non autem publicè, nisi hoc faceret ex necessitate : hoc tamen puto non excedere veniale... Dicunt Croix... et P. Concina... quòd si quis non possit elevare hostiam, sed potest reliqua, potest celebrare privatim, et etiam publicè si adsit necessitas et populus moneatur, sed puto satis esse populum monere si quis ex devotione celebrat. » Ita S. Liguor., lib. 6, n° 402.

3709. Quærit. 2° An obligent quæ à rubricâ præcipiuntur ante vel post missam?

Resp. 1° Lotio manuum ante missam fieri debet saltem sub levi, imò sub gravi si valdè immundæ essent manus; ita plures ap. S. Liguor. (*ib.*, n° 409), qui addit nullum esse peccatum omittere lotiones post missam.

2° Communis sententia tenet esse veniale omittere orationes dum sacerdos sacris vestibus se induit.

3° Omittere autem orationes quæ indicantur recitandæ ante vel post missam, communiter non habetur ut peccatum, etiam veniale, quidquid dicat Favrel (p. 1, c. 1, *Quest.* 2) de Cantico trium puerorum; immunis tamen ab omni culpâ non videtur sacerdos qui sinè ullâ præparatione, saltem domi factâ, ad sacrificandum accederet, aut qui ab ecclesiâ recederet absque ullâ gratiarum actione. S. Liguor., lib. 6, n° 410.

3710. Quærit. 3° An peccet sacerdos si in missâ solemni non recitet quæ in choro cantantur?

Resp. De hoc controverti, ut videre est apud S. Liguor., lib. 6, n° 410, *dub.* 4; non autem improbabiliter dici potest in hoc peccatum esse tantùm veniale, quia tunc illæ partes non omninò omittuntur; imò quidam dicunt in hoc nullum adesse peccatum; sed videtur obstare Bulla S. Pii V supra relata.

Juxta Quarti et alios, rubricæ in missâ solemni servandæ sunt tantum directivæ: quia, inquit, præceptum S. Pii V, ad illas non extenditur; contrarium tamen plures alii sustinent et meritò, cùm S. Pius V mandaverit in virtute sanctæ obedientiæ, non tantùm *legere*, sed etiam *decan-*

tare missam, juxta *ritum*, *modum* ac *normam* quæ in suo Missali determinantur. Huic sententiæ favet S. Rit. Congr. in suâ Decis. 19 aug. 1651, n° 1480, 2. — Vide De Herdt, pars 1, n° 2 II.

3711. *Nota* quòd ex Decis. S. Congr., 3 aug. 1632, non liceat bis cantare missam Dominicæ vel Festi in eâdem ecclesiâ. (*Rev. des sciences ecclésiast.*, 20 avr. 1861, p. 370.)

3712. Quærit. 4° An et quatenus sit peccatum addere aliqua in missâ?

Resp. Certum est apud omnes, inquit S. Liguor. (*ibid.*, n° 411), esse mortale addere aliqua in missâ, animo introducendi novum ritum; si verò ex importunâ devotione adderentur plures Collectæ, vel *Credo*, aut *Gloria*, *Pater*, *Ave*, vel quid simile, veniale peccatum hoc non excederet; ita communiter : meritò tamen quidam censent esse mortale addere *Gloria* et *Credo* in missâ *De Requiem*.

Quidam pariter, aliis contradicentibus, ab omni peccato excusant, addere secretò aliquam orationem jaculatoriam, v. g., in elevatione, *Adoramus te*, etc., *Te ergo famulis*, etc.; vel infra cantum *Gloria* et *Credo* recitare submissâ voce aliquas orationes. De Herdt, p. 1, n° 2 III, *Collig.* 2°.

Quando ritus non permittit celebrationem missæ privatæ votivæ, vel non præscribit tertiam orationem *ad libitum*, non licet missæ currenti commemorationem addere alicujus sancti vel mysterii (S. R. C. 7 sept. 1850.) Collecta pro publicâ necessitate non potest esse tertia *ad libitum*; et si à superiore præcipiatur oratio pro Papâ, tertio loco dici debet oratio Pro Ecclesiâ. (S. R. C. 22 maii 1835, n° 4597 ad 1.) Communior opinio est ut omittenda sit in festis 1æ et 2æ classis. S. Liguor., lib. 6. n° 412

3713. Non obstantibus *Libris Consuetudinariis* qui etiam antiqui asseruntur, non licet à rubricis et S. Cong. decretis absona peragere, v. g. thurificationes in missâ lectâ, et alia hujusmodi. Ita S. R. C., 12 sept. 1857, ad 19 (*Analecta*, 23e livr., col. 343 et 355).

3714. Quærit. 5° Quid Rubrica præscribat circa modum pronuntiandi in missâ?

Resp. Sic de hoc habere Rubricam : « Sacerdos autem

» maximè curare debet ut quæ clarâ voce dicenda sunt,
» distinctè et appositè proferat, non admodum festinanter,
» ut advertere possit quæ legit; nec nimis morosè (*id notent
» qui in Missâ indiscretam devotionem protrahunt*), ne au-
» dientes tædio afficiat : neque etiam voce nimis elatâ, ne
» perturbet alios qui fortasse in eâdem ecclesiâ tunc temporis
» celebrant; neque tam submissâ, ut à circumstantibus audiri
» non possit; sed mediocri et gravi, quæ et devotionem mo-
» veat, et audientibus ita sit accommodata, ut quæ legun-
» tur, intelligant; quæ verò secretò dicenda sunt ita pro-
» nuntiet ut ipsemet se audiat, et à circumstantibus non
» audiatur. » Præterea Concil. Trident. (sess. 22, can. 9)
sic decernit : « Si quis dixerit Ecclesiæ Romanæ ritum
» *quo submissâ voce* pars Canonis et verba Consecrationis
» proferuntur, damnandum esse, aut linguâ tantùm vul-
» gari missam celebrari debere.., anathema sit. »

3715. Controvertitur autem an sit peccatum mortale, ita submissè pronuntiare verba ut ipse celebrans nequeat se audire ; imò in hoc quidam dicunt nullum adesse peccatum : sed rectè, inquit S. Liguorius (lib. 6, n° 414), Tournely ait hoc non excusari à peccato veniali, ob rubricam modò relatam. — « Benè verò dicit Quarti... non excusari à
» mortali qui sic proferret verba Consecrationis, quia ex-
» poneretur sacramentum periculo nullitatis. » (*Ibid.*)

3716. Similiter controvertitur an peccatum sit submissè recitare quæ altâ voce sunt pronuntianda juxta rubricam ; plures dicunt in hoc adesse peccatum mortale, dum Tambur. nullum in eo reperit peccatum : sed meliùs dicendum putat S. Liguor. (*ib.*, n° 415) id non esse quidem mortale, cùm non videatur materia gravis, sed minimè posse excusari à veniali, propter rubricam supra relatam : nec sufficit excedere modum Secretæ Orationis, quidquid nonnulli dicant : siquidem ex rubricâ, alia sunt recitanda voce altâ, et alia voce mediocri; et omnia ita elatè ut à circumstantibus audiantur ; quamvis minimè sit necessarium ut omnis populus vocem audiat, sed sufficiat ut qui propè sunt altare percipere valeant quæ leguntur. (S. Liguor., *ib.*)

3717. Quoad ea quæ submissè sunt dicenda, communiter

dicunt DD. nullum esse peccatum si verba à solis ministris audiantur : sunt etiam qui tenent mortale esse pronuntiare altè totum Canonem vel notabilem ejus partem, præsertim verba Consecrationis, ita ut celebrans audiatur ultra decem passus, si intra tale spatium magna pars populi adsit; sed, inquit S. Liguor. (*ib.*, 416), « dicam... quod sentio : nul-
» lum dubium non posse excusari à veniali, qui altè in
» missâ profert quæ submissè dicenda sunt, cùm sit
» contra rubricam...; facilè insuper assentirem posse pec-
» care mortaliter, qui verba Consecrationis vel Canonis in
» magnâ parte tam altè proferret, ut audiri possent ad 40
» passus...; sed quis nisi mente captus hoc facturus est?
» Extra autem hunc casum, agnoscere non valeo in hoc
» grave peccatum, præsertim si celebrans devotè verba
» proferat... »

§ X.

De missis votivis.

3718. Missa votiva est ea quæ celebratur extra ordinem officii.

« Ex rubricâ tit. 4, n° 3, missæ votivæ, inquit S. Lig.
» (lib. 6, n° 418), prohibentur in Dominicis et in omni
» Festo duplici; item intra Octavam Epiphaniæ, Paschatis,
» Pentecostes, in Die Cinerum, Hebdomadâ Majori, et in
» Vigiliis Nativitatis Domini et Pentecostes, ex Decret.
» S. C. Rit. 28 aug. 1627...; item infra Octavam Corporis
» Christi, ex Decreto ejusdem S. C. 21 jun. 1670, appro-
» bato à Clemente X... Idem tantò magis dicendum de
» missis defunctorum, quæ insuper nec dici possunt in
» expositione SS. Sacramenti 40 horarum » (quia tunc interrumpi non debet expositio : De Herdt, p. 1, n° 16, I, 5°; hoc tamen ubi servatur forma *Instr.* Clementis XI, ut mox (3721, *in notâ*) dicturi sumus, « et in ecclesiâ ubi cele-
» bratur de festo Duplici, etiamsi illæ ex præscripto testa-
» torum essent celebrandæ, ut in Decreto 27 apr. 1698. »
Sed vide infra *Quær.* 3°.

3719. Inter dies in quibus prohibentur missæ votivæ, De Herdt annumerat Octavam Nativitatis Domini (pars 1, n° 10).

Vide id decisum à S. R. Congr. 25 sept. 1706, n° 3754; et 15 sept. 1714, n° 3873, apud *Revue des sciences ecclés.*, n° 25, p. 51; et addit De Herdt: « Id intelligendum est de » omni missâ votivâ privatâ, sive cantetur sive legatur, sive » solemniter celebretur sive non, sive fiat pro re levi, sive » pro gravi: modò non habeatur indictio vel specialis Ordi- » narii licentia, sive missa sit fundata et quotannis cele- » branda sive non, juxta Decret. citat. 28 sept. 1675, et » 24 jul. 1683, n° 2880 6; 4 sept. 1745, n° 4026 2; » 22 decembr. 1753, n° 4088. »

3720. Die autem quo fit de Mysterio aut de Sancto, si missa votiva de iis sit dicenda, pro eâ missa ejus diei recitari vel cantari debet, non more votivo, sed juxta regulas Officii ejusdem: item in Vigiliis, quando in iis missa votiva Mysterii aut Sancti est celebranda, laudabiliùs est ut missa celebretur de Vigiliâ; S. R. Cong., 3 sept. 1661 (n° 1986); 10 martii 1787 (n° 4275 3); 26 jan. 1793 (n° 4298 2). Vide *Revue des sciences ecclés.* (20 mars 1861, p. 261). Quid autem sit faciendum infra Octavas, si votiva sit celebranda de Mysterio vel de Sancto de quibus fit Octava, vide ap. De Herdt (*ibid.*): ubi pariter dicitur quid sit agendum si missa votiva sit in honorem Sancti de quo, eâdem die, fit commemoratio in Officio. Vide etiam *Revue des sciences ecclés.*, *ibidem.*

3721. Quærit. 1° Quibusnam diebus celebrari possit missa votiva solemnis, quæ indicitur vel permittitur ab Ordinario pro re gravi vel publicâ Ecclesiæ causâ?

Resp. « Omnibus diebus et festis, exceptis Duplicibus » 1æ classis, Dominicis 1æ classis, feriis Cinerum et Majo- » ris Hebdomadæ, Vigiliis Pentecostes et Nativitatis Domini » (S. R. Congr. 27 mart. 1779, n° 4244 20). *Notatur* au- » tem, ut missa his diebus cantari possit, requiri ut so- » lemniter et cum ministris sacris celebretur, vel saltem, » si paramenta aut ministri sacri desint, cum aliquâ solem- » nitate, quæ eam à simplici et privatâ distinguat, in cantu » celebretur. *Rubr. gener.*, t. 9, n° 14, Decret. cit. » 27 mart. 1779... — *Not.* 2° Decret. citat.... et alia si- » milia non esse extendenda ad alias votivas, ut pro pre-

» cibus 40 horarum [1].... — Gardellini, in *Instructione* » Clementis XI, § 12, n° 19.

» Si diebus exceptis, votiva solemnis præscribatur, cele» branda est missa diei : cujus Orationi principali sub unâ » conclusione addenda est Oratio missæ votivæ, juxta De» cretum S. R. Congr. 12 sept. 1767, n° 4193, et 27 mart. » 1773, n° 4212. » (De Herdt, *ibid.*, n° 10.)

Regulæ modò dictæ non sunt applicandæ missæ anniversariæ Electionis seu Consecrationis Episcopi, ipsomet præsente : vide quomodo tunc sit faciendum, et alia, apud De Herdt, *ibid.*, III; vide etiam *Revue des sciences ecclés.*, 20 mars 1861 ; et infra (3749) ubi expenditur quænam sit *causa gravis* pro quâ Ordinarius potest votivam solemnem præscribere.

3722. Quærit. 2° Quibusnam diebus dici possit missa pro sponso et sponsâ?

Resp. Omnibus diebus, exceptis Dominicis omnibus, Festis de præcepto in populo, Duplicibus 1 et 2 classis (S. R. C., 20 decembr. 1783, n° 4266), toto tempore quo nuptiæ prohibentur, infra Octavas Epiphaniæ et Pentecostes, Vigiliâ Pentecostes, die Octavâ Corporis Domini et aliis diebus duplicia 2 classis excludentibus. Vide apud De Herdt, pars 6, n° 40 II. Ut autem hæc missa gaudeat suis privilegiis requiritur ut celebretur causâ benedictionis nuptiarum, et ut in illâ fiant quæ præscribuntur pro hâc benedictione (De Herdt, *ib.*); unde non est dicenda pro viduis (*Dictionn. des Décrets*, D. Boissonnet, v° *Missa*, n° 63).

3723. Diebus autem quibus missa votiva pro sponsis vetatur, dicenda est de die, cum commemoratione missæ pro sponso et sponsâ, et cum reliquis Orationibus quæ in eâdem missâ pro benedictione nuptiarum habentur (De Herdt, n° 4011), vetito tamen tempore excepto. S. R. C. 30 juin. 1853.

[1] In precibus 40 horar., missa votiva permittitur omnibus diebus, exceptis Duplic. 1 et 2 classis, Dominicis 1 et 2 classis, Feriâ IV Cinerum, Hebdomadâ Sanctâ, diebus infra Octavas Epiphaniæ, Paschatis et Pentecostes, atque Vigiliis Nativ. Domini et Pentecostes : sed supponitur quòd in expositione servatur forma *Instr.* Clem. XI, 1 sept. 1736. Missa de die est cantanda diebus quibus votivæ prohibentur. — Vide De Herdt, pars 1, n° 10; et S. Liguor., lib. 6, n° 421 III.

3724. Quærit. 3° Quibusnam diebus celebrari possit missa *De Requiem?*

Resp. Vel agi de missâ exequiali; vel de anniversariâ; vel pro diebus 3ª, 7ª, 30ª; vel de quotidianâ.

I. « *Missa exequialis*, præsente corpore, celebrari potest » omni die, dum tamen *missa conventualis* ubi obligat, » aut parochialis si sit dies Dominica aut Festiva, et offi- » cia divinâ non impediantur, magnaque diei celebritas » non obstet. Rit. Rom., *de exequiis*, S. R. C., 26 jan. 1793, » n° 4299 7).... Propter magnam diei celebritatem prohi- » betur : 1° in triduo sacro Majoris Hebdomadæ, etiam in » Sabbato post missam solemnem de die. S. R. C., 16 apr. » 1831, n° 4519; 23 maii 1835, n° 4599 7.

» 2° Prohibetur in Festis Dupl. 1 class. quæ festiva sunt » de præcepto, nempe quibus est præceptum populo au- » diendi missam et abstinendi ab operibus servilibus (S. R. » C., 11 maii 1754, n° 4095 5), et solemniter seu cum multo » apparatu et pompâ exteriori celebrantur (S. R. C., 29 jan. » 1752, n° 4074 12; 9 apr. 1803, n° 4511) : qualia sunt Na- » tivitas Domini, Epiphania, Dominica Paschatis et Pente- » costes, Ascensio Domini, Festum SS. Corporis Christi, As- » sumptio B. M.V..., Festum... SS. Apostolorum Petri et » Pauli, Omnium SS., et Patroni principalis loci. » De Herdt, p. 1, n° 16.

3725. — 3° Prohibitio quoad festa Epiphaniæ, SS. Corporis Christi, SS. Apostolorum Petri et Pauli, et Patroni principalis loci, extenditur ad dies Dominicas in quas solemnitas eorum festorum translata fuit in toto territorio Reipublicæ Gallicanæ. S. R. C., 23 maii 1855, n° 4597 14, q. 6.

4° In Festo principalis Titularis Ecclesiæ, licet non sit Patronus loci, sed in ecclesiâ duntaxat cujus est titulus. S. R. C. 27 mart. 1779 (n° 4244 4), 9 apr. 1808 (n° 4357 1), 7 sept. 1816 (n° 4376 44).

5° Prohibetur etiam tempore expositionis SS. Sacramenti : unde recondi debet Venerabile Sacramentum, si fieri possit. Vide De Herdt (*ibid.*, 1 5°).

6° Prohibetur in Festo Nativitatis S. J.-Baptistæ, ubi est de præcepto pro populo. Vide De Herdt (*ibid.*, 6°).

3726. His exceptis, permittitur Missa exequialis, præsente corpore : 1° etiam Dominicis 1 classis (S. R. C., 23 sept. 1837, n° 4674 2): v. g. Dominicâ Palmarum, et aliis Adventûs et Quadragesimæ, Dominicâ in Albis et Trinitatis; — 2° Feriis 2ª et 3ª Paschatis et Pentecostes (2 sept. 1741, n° 3970 4); — 3° Feriis 2ª, 3ª, 4ª Majoris Hebdomadæ; Feriâ IVª Cinerum, Vigiliis Nativ. Domini et Pentecostes; 4° Festis etiam 1 classis quæ non sunt de præcepto, vel si sint de præcepto, non talem exteriorem solemnitatem habent, v. g., in Anniversario Dedicat. Ecclesiæ, etc.; vel in festis 2 classis licet sint de præcepto, et magnâ solemnitate celebrentur. Vide De Herdt (*ibid.*).

3727. « Cadaver absens ob civile vetitum vel morbum » contagiosum, non solum insepultum, sed et humatum, » dummodo non ultra biduum ab obitu, censeri potest » ac si foret physicè præsens, ita ut missa exequialis in » casu cantari licite valeat, quoties præsente cadavere » permittitur ». S. R. C. in *Calagurritana*, 13 febr. 1892, ad 27.

Extra hunc casum, corpore nondum sepulto, sed non præsente, missa exequialis prohibetur in omnibus duplicibus I classis, licet non de præcepto. S. R. C., 2 sept. 1741 (n° 3970,4) et 3 aug. 1839 (n° 4713,7). Non ergo licet feriis 2ª et 3ª Paschæ et Pentecostes, nec triduo sacro majoris Hebdomadæ.

3728. Corpore sinè missâ sepulto, celebrari potest Missa exequialis die sequenti, non impeditâ die Dominicâ aut Festo duplici 1 et 2 classis ac Festo de præcepto : permittitur autem omnibus aliis diebus juxta Decret. 7 sept. 1816; etiam in Hebdomadâ Sanctâ, excepto Triduo Sancto (3 sept. 1837, n° 4674 1); proinde infra Octavas privilegiatas, Feriâ IV Cinerum et in Vigiliâ Nativit. Domini et Pentecostes. Vide De Herdt, pars 1, n° 16.

3729. In dicto autem casu, Missa exequialis modò dictis privilegiis gaudere non potest si differatur ad diem sequentem, vel ad diem non impeditum, prout modò diximus. Ita S. R. Congr. 27 martii 1779 (n° 4244 2) : quæ pariter declaravit missam *De Requiem* quæ cantatur cùm primum

nuntium accipitur de obitu alicujus, non posse differri ad triduum, sed ad primam diem non impeditam (*ib.. Resp* IV). — « An dicta missa cantari possit in Vigiliâ Epiphaniæ et » infra Octavas privilegiatas? » Resp. — « *Affirmativè* quoad » primam partem. — *Negativè* quoad secundam. » Decret. S. R. Congr. 27 mart. 1779, n° 4393, apud *Revue des sciences ecclés.*, 30, p. 554. — De his v. *De la sépult. eccl.* n° 206.

3730. Quænam autem missa sit dicenda quando est exequialis, vide ap. De Herdt, pars 1, n° 15. — *Nota* tamen quòd si ultra primam diem non impeditam transferatur hæc missa, *quotidiana* est dicenda; vel si alia eligatur, prout licet ex rubricâ positâ in fine missæ quotidianæ, dicenda erit semper cum Oratione *Inclina* pro defuncto, vel *Quæsumus* pro defunctâ.

3731. *Nota* insuper quòd *unica* missa *De Requiem*, in supradictis Duplicibus cantari potest, juxta decis. S. R. C. 2 sept. 1741 (n° 3970 4) et alias decis. ap. De Herdt (*ibid.*) relatas. Nec etiam poterat legi, si officium esset duplex, absque speciali Indulto, etiam in ecclesiis ruralibus; at ex decreto S. R. C., 9 maii 1899. « pro paupere de» functo, cujus familia impar est solvendi expensas » missæ exsequialis cum cantu, hæc missa legi potest » sub iisdem clausulis et conditionibus quibus præfata » missa cum cantu conceditur. » Et cf. App. IX.

3732. In hâc diœcesi Valentin. habetur Indultum anni 1852, vi cujus, in supradictis diebus, missa legi potest in ecclesiis ubi *cantus omnino obtineri nequit*. Cf. App. VIII.

3733. — II. *Anniversaria missa*. Per *anniversarium* defunctorum, intelligenda est missa *De Requiem* cantata, relicta ex dispositione testatoris, quotannis in die ipsius obitûs celebranda. Ita De Herdt, pars 1, n° 17 I.

Dicitur 1° missa *De Requiem* : nam missa de die nequit applicari defuncto in hoc casu : vide infra (3753); sed si hæc dies sit impedita, missa anniversaria *De Requiem* cantari debet in die præcedente vel subsequente non impeditâ (S. R. C. 20 nov. 1628, n° 628; 22 dec. 1753, n° 4088 3). Præterea si missa fundata, esset de Festo, non gauderet privilegio vi cujus in dupl. applicari potest (*ibid.*).

3734.— 2° *Cantata :* secus non gaudet privilegiis (Decis. 6 apr. 1680, n° 2770). Excipiuntur tamen ecclesiæ minores, in quibus missæ cantari non solent, et ubi nihilominus missæ simpliciter lectæ iis privilegiis gaudere videntur. S. R. C. 19 jun. 1700, n° 3416.

3° *Relicta ex dispositione testatoris*, sive pro ipsomet sive pro aliis. S. R. C. 5 dec. 1733, n° 3871; et Cavalieri, apud De Herdt, *ib.*, 3° et 5°.

4° *Quotannis :* quod intelligendum est etiam de fundatione non perpetuâ, modò tamen sit duratura per plures annos. Vide De Herdt (*ib.*, 4°).

3735. — 5° *In die obitûs*, non verò sepulturæ aut aliis diebus (22 aug. 1682, n° 2846 1 ; 23 januar. 1683, etc.) : vide De Herdt (*ib.* 5°) ; — nisi dies sepulturæ vel alia, ex locorum consuetudine, vel testatorum dispositione fixa sit pro celebrandis anniversariis.

3736. Porrò Anniversaria permittuntur etiam in Duplici majori et in Vigiliâ Epiphaniæ : deducitur ex decis. 27 mart. 1799, n° 4244 ; sed excipiuntur Dominicæ et omnia Festa de præcepto pro populo (S. R. C. 20 nov. 1628), Duplicia 1 et 2 class. (13 sept. 1704, n° 3552), dies infra Octavas sequentes, Epiphaniæ, Paschatis, Pentecostes et SS. Corporis Christi; Feria IV Cinerum, tota Hebdomada Sancta, Vigiliæ Nativit. Domini et Pentecostes (S. R. Congr. 20 nov. 1677, n° 2695 ; 2 sept. 1714, n° 3970 4; 5 julii 1698, n° 3328 9). Item excipi debet tempus expositionis SS. Sacramenti, quo Anniversaria etiam ad omnia altaria prohibentur, si fuerit expositum ob causam publicam : si autem exponatur ob privatam causam, prohibentur duntaxat ad altare expositionis. Ita De Herdt, *ibid.*, n° 17 II.

Addit tamen idem auctor loquendo de missis privatis (*ibid.*, n° 19) : « Consuetudine... in his locis vigente, non » servatur ut missæ *De Requiem* non celebrentur ad alia » altaria, quandocumque SS. Sacramentum... publicè ex» ponitur, nisi expositum sit majori cum solemnitate, ut » in precibus 40 Horarum, perpetuâ adoratione et simi» libus, quibus missæ *De Requiem* certò non conveniunt. »

3737. Anniversariis occurrentibus in supradictis diebus

impeditis, non potest applicari missa de die, prout supra diximus (3733); sed anticipari vel transferri debet in aliam diem non impeditam, etsi sit duplex majus. Vide De Herdt (*ibid.*, II).

Si ultra primam diem non impeditam, anticipentur vel transferantur Anniversaria, nullo gaudent privilegio. S. R. C. 3 dec. 1701 (nº 3455 3), et in hoc casu orationes non sunt dicendæ ut in Missâ anniversariâ, sed *Inclina*, etc., *Quæsumus*, etc., ut inter orationes diversas pro *defunctis*. (De Herdt, *ib.*, *Not...* 4º.)

3738. Si autem a testatoribus certi et determinati dies assignati sint, Missa *De Requiem* cantari potest, iisdem diebus ac Anniversaria in die obitûs celebranda, similique modo anticipari vel transferri potest et debet: S. R. Congr. 4 maii 1686 (nº 2961 1); 22 dec. 1753 (nº 4088 1 et 4); et tunc de anniversario Missa est cantanda. S. R. C., 9 dec. 1719, nº 3936, q. 1.

3739. Si verò missæ fundatæ sint pro singulis diebus vel aliquibus per hebdomadam, vel sinè assignatione dierum, *De Requiem* celebrari possunt, duntaxat illis diebus quibus permittuntur missæ privatæ defunctorum (3 jun. 1662, nº 2024; 27 mart. 1694, nº 3180, etc.). Vide De Herdt (*ibid.*, III, *not.* et *resp.* 2).

3740. *Nota* 1º quòd juxta Decretum S. R. Congr. 19 jun. 1700 (nº 3416 10), « ex privatâ devotione petentium (absque fundatione) per annum Anniversaria pro defunctis parentibus, fratribus, amicis, et aliis defunctis, missa cantari potest *De Requiem*, in Festo duplici minori [1], dummodo sit in die verè anniversariâ à die obitûs. » Proinde hujusmodi missa, si *De Requiem* cantetur, non potest anticipari vel transferri in aliam diem Festo duplici minori impeditam. (S. R. C., 11 maii 1754, nº 4095).

3741. « *Nota* 2º Missas confraternitatum quæ cantantur menstruè, infra Octavam fidelium defunctorum, vel infra annum, pro defuncto confratre, extra diem obitûs, seu de-

[1] Dubitatur an idem dici possit de Duplici Majori. Vide *Revue des sciences ecclés.*, nº 30, p. 565, etc.

positionis, vel extra diem cùm primum nuntium accipitur de obitu : item anniversaria, quæ celebrantur à Capitulis Collegiis, confraternitatibus, etc., pro omnibus in genere defunctis, Canonicis, confratribus, etc.; necnon anniversaria pro omnibus defunctis, religiosis, benefactoribus, etc., ut à religiosis Ordinibus fieri solet : absque speciali privilegio seu indulto, *De Requiem* tantùm posse celebrari diebus quibus permittuntur missæ privatæ. (De Herdt, *ib.*, n° 17 *in fine*.)

3742. — III. « In diebus 3°, 7° et 30°, missa canitur ut in die » obitûs[1], cum Orationibus in fine ejusdem missæ assignatis; » aliis autem diebus intermediis, si pro eodem defuncto » celebretur, dicitur missa quotidiana, et alius dies præter » 3m, 7m et 30m, in Orationibus nunquam nominari potest » (S. R. C., 16 Jan. 1677, n° 2659 3). »

3743. Missa *De Requiem*, in diebus 3ª, 7ª et 30ª, celebrari potest iisdem diebus ac anniversaria fundata, et similiter potest anticipari et tranferri in primam diem non impeditam; sed ut hoc fieri valeat, requiritur ut cantetur, etiam in minoribus ecclesiis : proinde, si tantùm legatur, legi debet de die, prout missæ privatæ. Vide decisiones citatas apud De Herdt (*ibid.*, n° 18 III).

3744. Prædicti dies 3ª, 7ª et 30ª numerari possunt à die obitûs vel à die sepulturæ, secundùm ecclesiæ consuetudinem (23 aug. 1766), sed potius à die sepulturæ (De Herdt *ib.* IV). Vide *Revue des sciences ecclés.*, n° 30, p. 558, ubi citatur Decretum S. R. Congr. 23 aug. 1766, n° 4336, q. 2.

3745. — IV. *De missis privatis defunctorum*. Istæ prohibentur omnibus diebus Dominicis, et Duplicibus, infra Octavas Epiphaniæ, Paschatis, Pentecostes, SS. Corporis Christi et Nativitatis Domini; Feria IV Cinerum, totâ Hebdomadâ Sanctâ; Vigiliis Epiphaniæ, Pentecostes et Nativitatis Domini; tempore expositionis SS. Sacramenti. Ita Rubrica generalis et varia Decreta, ap. De Herdt relata (*ib.*, n° 19); omnibus reliquis diebus, missa *De Requiem* privata permittitur (*ibidem*).

[1] Idem est dicendum de missâ quæ canitur cùm accipitur primum nuntium mortis (vide *Revue des sciences ecclés.*, n° 31, p. 36 et 37).

3746. Sinè speciali Indulto, illæ missæ *De Requiem* prohibentur diebus supra enuntiatis, etiamsi sint cantatæ et solemniter celebratæ cum sacris ministris; sed si incidant in diem ut superiùs impeditam, missa de die applicari potest defunctis (5 aug. 1662, n° 2031; 4 aug. 1674, n° 2557). Vide De Herdt (*ib.*, *not.* 2° et 3°)[1].

3747. « Dicitur una tantum Oratio. *quandocumque » pro defunctis solemniter celebratur* (*Rubricæ*, tit. 5, » n° 3), scilicet conveniens personæ pro quâ celebratur.... » Ut autem missa sit solemnis et in eâ tantùm dicatur Oratio, non sufficit quòd missa cantetur: nam in missâ, » quæ singulis diebus officio duplici non impeditis can- » tatur, dicuntur tres Orationes juxta Decreta S. R. C., » 4 sept. 1745, n° 4026, ut in missis privatis; sed requiri- » tur et sufficit, ut missa cantetur, sive cum sive sinè » sacris ministris, cum extraordinario concursu, apparatu » et pompâ exteriori, relativè tamen ad ecclesias in quibus » celebratur : ita ut in pauperibus et dissitis, modicus » concursus et apparatus sufficiat; in ditioribus autem et » frequentioribus major requiratur; sic... in missis Con-

[1] Indultum sequens concessum fuit Episcopo Valentinensi in Galliâ : « Sanctissimus D. N. Pius IX... ad... preces Rev. Valent. Episc... de » speciali gratiâ, benignè annuit ut in singulis parochialibus ecclesiis » Civitatis atque integræ Valentinensis diœcesis, missæ solemnes *De » Requiem* cum cantu locum habeant, etiam in diebus ritûs Duplicis, » corpore præsente, diebus 3a, 7a et 30a *ac bis in quâlibet hebdomadâ*, » exceptis tamen Duplicibus 1 et 2 classis, festis de præcepto ser- » vandis, Feriis, Vigiliis, et Octavis privilegiatis; indulsitque pariter » ut in illis parœciis, in quibus cantus obtineri omnino nequit, missa » hæc *De requiem* celebretur absque cantu, præsente tantùm corpore, » reliquisque diebus suppleatur per applicationem sacrificii, celebrando » missam de officio occurrente, juxta Decreta s. memoriæ Alexandri VII » aliorumque Roman. PP., quibuscumque in contrarium disponentibus » minimè obstantibus. Die 23 decemb. 1852. A. Card. Lambruschini » S. R. Cong. Præf... — D. Gigli S. R. C. Pro-Secretarius. »

Ex Brevi diei 28 sept. 1854 : « Sanctitas sua gratiam concessam » per indultum præfatum extendit ad ecclesias quæ non sunt paro- » chiales » Vide *Ordinem Valentinensem pro anno* 1856. Ex concessione factâ eidem Episcopo Valentinensi, 22 decemb. 1854, missæ *De Requiem* non cantatæ conceduntur in Festis Duplicibus minoribus, ad evitandas fidelium murmurationes (*ibid.*, p. 20).

» fraternitatis fidelium defunctorum, opificii, sodalitii, etc.
» potest dici unica Oratio, juxta decis. 23 sept. 1837,
» (n° 4666, *dub.* XI 2). In missâ autem principali seu con-
» ventuali defunctorum primo die mensis et Feriâ II
» non impeditâ, vel unica, modò solemniter celebretur,
» vel tres pro libitu dici possunt, juxta decis. 27 febr. 1847
» (n° 4910 3). » Ita De Herdt, *ib.*, n° 20 2°, ubi plura alia. Vide etiam, *Revue des sciences ecclés.*, n° 31, p. 38, etc.

Ultima Oratio semper esse debet *Fidelium Deus*, juxta Decis. 2 sept. 1741. De his vide adhuc *Revue des sciences ecclés.*, n° 31, p. 38, etc.[1] Vid. App. IX.

3748. Quærit. 4° An missæ *De Requiem* vel aliæ votivæ, semper liceant diebus non vetitis?

Resp. Sic habet Rubrica: « Missæ... votivæ, in missis pri-
» vatis dici possunt pro arbitrio sacerdotum, quocumque
» die officium non est duplex, aut Dominicâ...; id verò
» passim non fiat, nisi rationabili de causâ; et quoad
» fieri potest, missa cum officio conveniat. » — Ex verbis *nisi rationabili causâ*, S. Lig. putat cum Merati posse deduci quòd non sufficiat, ad celebrandas missas votivas, ut sacerdos citò se expediat, vel alia similis ratio; sed non dubitat sufficere petitionem dantis eleemosynam pro missâ votivâ; et probabile habet etiam quòd sit sufficiens devotio specialis ad aliquod Mysterium vel Sanctum, prout est praxis timoratorum; imò sunt qui præfatam rubricam dicunt esse tantùm de consilio; eis tamen non acquiescit S. Liguorius ob verba *id passim non fiat.* Et tandem admonet quòd missæ conventuales debeant semper omnino concordare cum officio diei, ex Decreto S. Congregat., 16 maii 1626 et 16 jan. 1627; aliàs Canonici non lucrantur distributiones, ex Decreto 25 jun. 1611, 22 jan. 1612. Vide S. Lig. (lib. 6, 419.)

3749. Quænam verò causa requiratur ut concedi possit missa votiva solemnis, de quâ diximus supra, *Quærit.* 1°, (3721)?

[1] « Aliquas strophas illius (sequentiæ *Dies iræ*) cantores prætermit-
» tere posse » dixit S. C. Rit., 12 aug. 1854, apud *Revue des sciences ecclés.*, n° 31, p. 45.

Resp. Requiri spiritualem vel temporalem necessitatem quæ saltem majorem partem communitatis afficiat, v. g., pacem obtinendam, serenitatem aeris restituendam, recuperandam sanitatem S. Pontificis, Episcopi, Regis, etc., gratias agendas pro magno beneficio publico accepto, etc. Sed pro his non potest missa indici in perpetuum, sed pro unâ vice (S. R. C., 4 sept. 1745, n° 4026,2); sic, etsi exercitium missionis sit causa sufficiens ut unâ vice cantetur votiva de Spiritu Sancto, si licentia Ordinarii accedat, non sufficit ut, singulis missionis diebus, eadem missa celebretur cum privilegiis supra enumeratis (3721); nec etiam adoratio perpetua est sufficiens ratio ad celebrandum de SS. Sacramento.

3750. Præterea, pro causâ gravi et sufficienti ad cantandam votivam solemnem, non habetur electio Abbatissæ, neque vestitio vel professio religiosa, neque processio, neque novenna, neque primitiæ neosacerdotum, neque jubilæum etiam 50 annorum, nec votiva de SS. Sacramento, quæ potest cantari singulis feriis V, si rubrica permittat, et non aliter. Decret. 28 apr. 1708 (n° 3637,6); 24 jul. 1683 (n° 2880,5); 26 aug. 1702 (n° 3482); 11 martii 1837 (n° 4663); 8 mart. 1749 (n° 4050); 6 dec. 1653 (n° 1545); 2 sept. 1690 (n° 3083,5 et 6). Vide De Herdt, pars 1, n° 9 V; et *Rev. des sciences ecclés.*, 20 avr. 1860, p. 346.

3751. Quærit. 5° Quodnam sit peccatum celebrare missam votivam, vel *De Requiem*, diebus vetitis?

Resp. Quidam dicunt id esse mortale; sed communiter hoc negatur, seclusis scandalo et contemptu, quia in hoc non videtur adesse notabilis perversio ritûs: in Festis tamen solemnibus, si missa esset publica, vix posset non adesse grave scandalum, præsertim si missa esset pro *defunctis*. Vide S. Lig., lib. 6, n° 420; et De Herdt, pars 1, n° 10 VII.

3752. Quærit. 6° An obligatus dicere missam votivam *De Beatâ* aut *De Sancto*, vel *De Requiem*, ratione eleemosynæ, vel capellaniæ, satisfaciat, celebrando missam currentem, diebus quibus permittitur missa votiva vel *De Requiem*?

Resp. Negare Layman, etc., quia sacerdos tenetur

exsequi voluntatem rationabilem præstantis stipendium; sed affirmare communissimè Suarez aliosque à S. Liguor. citatos (lib. 6, 422); quia licet Ecclesia permittat missas votivas, decentiùs est tamen se uniformare ritui communi; unde in rubricâ dicitur : *quoad fieri potest, missa officio conveniat ;* et hoc valere dicunt Salmant., etiamsi sacerdos expressè missam promisisset, vel vovisset illâ die dicere missam votivam, quia tàle votum non est de meliori bono. Excipiendum est tamen si missa in altari privilegiato esset dicenda, quia, ut acquiri valeat indulgentia, missa *De Requiem* est recitanda diebus non vetitis : ita S. Lig. (*ib.*); sed adhuc excipiendum omninò est, si testator aut dans eleemosynam expressè voluerit missam dici *De Requiem,* diebus permissis, juxta Decret., 3 jun. 1662, n° 2024; 3 mart. 1761 n° 4150 14; et 12 sept. 1840 : quia ut dicitur in citato Decreto 1761, expressa voluntas testatorum vel postulantium debet adimpleri quando est rationabilis; alioquin sacerdos ageret contra fidelitatem. Ita De Herdt (p. 1, n° 21, *resp.* 1°), qui addit tamen quòd si celebrans in casu dicat missam diei non videtur graviter peccare (*ib.*, IV *not.*).

3753. Imò si agatur de Anniversariis cantatis fundatis in die obitûs, non satisfacit sacerdos per missam de die; ita statuit S. R. C., 22 dec. 1753 (n° 4088,3), ubi dicitur quòd, « obitûs die impedito, non possit, pro defunctorum » anniversario, cantari missa de occurrenti Festo vel Fe-» riâ privilegiatâ *per applicationem.* » Ideoque Decreta statuunt quòd si dies impeditus occurrat, missa anticipetur vel transferatur, ita ut pro Anniversario non cantetur alia missa nisi *De Requiem :* idem est dicendum de Anniversariis cantandis, non in die obitûs, sed fundatis pro certis et determinatis diebus. Vide De Herdt (*ib.*, II).

3754. Missa autem diei celebrari potest si testator vel dans eleemosynam consentiat, prout censetur consensisse si missæ fundatæ fuerint pro singulis diebus vel statis per hebdomadam diebus, cùm sæpe eveniant dies impediti; imò celebrans satisfacit pro vivis, dicendo etiam missas *De Requiem,* ut fuit decisum à S. R. Congr., 29 mart. 1856 : « Consuetudo invaluit in quibusdam ecclesiis, ut in festis

» ritûs semiduplicis paramenta tantùm nigra offerantur
» sacerdotibus sacra celebraturis...
» 1° Dubit. An liceat sacerdotibus uti paramentis nigris,
» et celebrare missam *De Requiem* ut satisfaciant obligationi quam susceperunt celebrandi secundùm intentionem dantis eleemosynam, quando prorsùs ignorant quænam sit illius intentio, pro defunctis, necne.
» 2° Dubit. An liceat sacerdotibus uti paramentis nigris
» et celebrare missam *De Requiem*, ut satisfaciant obligationi quam susceperunt celebrandi pro vivis?
» .. Em. et RR. Patres, sacris ritibus tuendis præpositi,
» singulis maturè perpensis, tolerandum minimè censuesunt abusum de quo in precibus... hâc ratione impediendi quominus legere præ lubitu possint missas vel festo correspondentes, vel votivas juxta permissionem rubricæ; propositisque dubiis rescribere rati sunt:
» Ad 1^m affirmativè.
» Ad 2^m affirmativè, dummodo non diversè præscripserit
» qui dedit eleemosynam.
» Die 29 nov. 1856. » Vide *Univers*, 18 julii 1857.

3755. Circa hæc tamen referenda est alia decisio S. R. Congr., 12 sept. 1840 (n° 4750 7); quæ sic habet: « In » variis diœcesibus Belgii... usus invaluit ut, his diebus » quibus per rubricas licet missas *De Requiem* et votivas » celebrare, sacerdotes, missas privatas, oblato manuali » stipendio pro... *defunctis*, vel... in honorem alicujus Mysterii vel Sancti habentes, celebrent conformes officio.., » dummodo fideles expressè non rogaverint dici missas *De* » *Requiem* vel votivas... Petitur... an præfati sacerdotes » satisfaciant suæ obligationi? Et S. R. C. respondendum » censuit: — *Affirmativè, quoad missas pro defunctis, juxta* » *gener. decis. diei 5 aug. 1662; — in reliquis, Negative.* »

Ratio inquit De Herdt (p. 1, n° 21), cur per missam diei satisfiat obligationi celebrandi pro defunctis, est dispensatio vel interpretatiò S. Pontificis qui talem habet potestatem quoad *benefactorum* pias voluntates, non verò quoad omnes eorum voluntates etiam pias sed non benefactorias.

Notandum est autem quòd, ubi loco missæ votivæ

promissæ celebratur de die, consultum est postulantem instruere ne ei detur occasio offensionis. Vide De Herdt, *ib.*, n° 21, *versus finem*.

3756. Illicitum est autem post missam de die, etiam depositis paramentis coloris missæ celebratæ, facere absolutionem pro defunctis.—S. R. C., 12 sept. 1855, ad XXI (*Analecta*, 23° livr., col. 346, 355).

3757. Quærit. 7° An et quatenus missæ aut Orationes certis diebus assignatæ, dici valeant tanquam votivæ in aliis diebus?

Respondet S. Liguor. (lib. 6, n° 423): « Non debent dici
» missæ votivæ seu Collectæ missarum Nativitatis Domini
» (et etiam Circumcisionis), Epiphaniæ, Paschatis... (Nati-
» vitatis, Purificationis et) Assumptionis B. Mariæ et omnium
» similium festorum, quæ proprios habent Introitus et
» Collectas, ut declaravit Paulus V...; in aliis verò missis
» votivis, in quibus veritas et ritus verborum non violatur,
» nihil prohibet quin ipsæ dici possint, licet meliùs sit
» dicere missam votivam quæ habetur in Missali...; si pos-
» sit omitti verbum *hodie* ubi reperitur, vel mutari in
» Oratione verba *Natalitiis*, *Festivitas*, etc., dicendo *com-*
» *memoratio*, *aut memoria*, tunc missa illa benè poterit
» recitari. » Decret. Paul. V. 19 maii 1614; et *Ordo Valent. pro anno* 1861, n° 73.

3758. « Advertendum... quòd benè possunt dici missæ
» votivæ de quocumque Sancto, modò de ejus canoniza-
» tione constet ex Martyrologio, vel aliundè..; non verò
» de iis qui non coluntur publico et universali cultu Unde
» missæ de Beatis concessæ alicui Religioni, aut loco, non
» possunt celebrari ab aliis personis, ecclesiis et diebus,
» quàm conceduntur in diplomate.., ex Decreto S. Congr...
» 10 sept. 1625... » Vide insuper ap. De Herdt (p. 1, n° 11); et *Revue des sciences ecclésiast.*, 20 mart. 1861, p. 259, etc.

Quomodo autem missæ votivæ sint dicendæ, vide apud De Herdt (p. 1, n[is] 12, 13, 20, etc.) S. Liguor. (lib. 6, 423, *adv.* IV); *Revue des sciences ecclés.* (20 avr. 1861).

SCHOLIUM CIRCA EXPOSITIONEM ET BENEDICTIONEM SS. SACRAMENTI.

3759. Quæstio an frequentes esse possint Sanctissimi Sacramenti expositiones, indecisa relinquitur etiam à Bened. XIV; sed imprimis commendatur ut ipsæ cum omni apparatu et decentiâ requisitis fiant (*Revue des sciences ecclés.*, n° 5, p. 428). Ex variis autem Decretis et imprimis ex Decreto Bened. XIV, 16 ap. 1746. *Non licet exponere publicè divinam Eucharistiam, nisi causa publica et Episcopi facultas intervenerit.*

3760. Unde certum videtur, inquit S. Liguor. (lib. 6, n° 424), non licere exponere SS. Sacramentum, ob litis victoriam, ob valetudinem alicujus, nisi sit persona publica cujus salus communitatis bono expediat; liceret tamen ad publicam devotionem promovendam, etiam erga defunctos, v. g., per Octavam Commemorationis Omnium Fidelium defunctorum (*Revue des sciences ecclés.*, *ib.*, p. 434). In hoc autem spectandum est an, in locis in quibus fit expositio, cultus SS. Sacramenti et devotio augeantur vel minuantur : laudari enim debet illa expositio si exinde boni fructus proveniant, modò non sit nimis frequens, quia ex illâ nimiâ frequentiâ reverentia erga tantum Sacramentum certè minueretur (S. Liguor., *ibid.*). Non approbatur à pluribus quòd in festis, totâ die, SS. Sacramentum exponatur, quia hoc retraheret à recordatione Mysterii vel Sancti de quo festum celebratur (Bened. XIV, *Inst.* 30, n° 15). Non reprobatur tamen quòd in festis SS. Sacramentum expositum sit per totum Vesperarum officium. (*Revue des sciences ecclés.*, n° 10, p. 329, 333.)

3761. Notandum est hîc Decretum S. C. Episcop. et Regul. 9 decembr. 1602 : « Si quandocumque *privatâ ex » causâ*, Sacrosancta Eucharistia exponenda videbitur, à » tabernaculo nunquam extrahatur, sed pixide velatâ in » aperto ejusdem tabernaculi ostiolo, cum assistentiâ ali- » cujus sacerdotis stolâ et superpelliceo induti, et cum » sex saltem luminibus cereis collocetur; quod idem in

» ecclesiis sæcularium servari mandamus. » (S. Liguor., *ibidem.*)

3762. Pro hujusmodi expositionibus non est necessariò obtinenda licentia, modò benedictio cum SS. Sacramento non detur antequam obseratur tabernaculum. (Vide *Revue des sciences ecclés.*, n° 8, p. 187.)

3763. Notandum etiam quòd, ex Decreto Innocentii XII 1 sept. 1730, prohibentur apponi statuæ, reliquiæ, ac imagines animarum Purgatorii in altari ubi fit expositio, sed poni possunt angeli adoratores. S. Liguor., *ib.*; De Herdt, pars 2, n° 66; *Revue des sciences ecclés.*, n° 6, p. 552.

3764. In altari in quo SS. Sacramentum est expositum, non licet cantare vel celebrare missam, nisi pro eo reponendo, aut nisi desint alia altaria in quibus celebrari possit, et celebrandi occurrat necessitas, vel saltem causa rationabilis, ut præceptum audiendi missam, vel ne sacramentum sinè adoratoribus relinquatur, vel longæva adsit consuetudo difficillimè sinè offensione abrumpenda (S. R. C., aug. 1670, n° 2356; 13 jun. 1671, n° 2390 6; Gardellini, *In Instr.* Clement., § 12, n^is 1-7) : ratio hujus prohibitionis est ut populus adorationi SS. unicè sit intentus.—Decet autem ut SS. Sacramentum exponatur in majori altari (De Herdt, p. 2, n° 66 IV, etc., ubi plura alia inveniuntur). Non idem de communione, quæ non est danda in altari ubi SS. exponitur, ex decisione S. R. Congr., 12 nov. 1831, n° 4528. (*Revue des sciences ecclés.*, n° 10, p. 340.)

3765. In omni missâ cantatâ coram SS. Sacramento exposito etiam in pixide tantùm, debet ultimo loco poni Oratio SS. Sacramenti : in Festis autem 1 et 2 classis, dicitur sub unicâ conclusione (S. R. C., 23 jun. 1756, 7 maii 1746). Si in Festis hujusmodi occurrat commemoratio Dominicæ vel alia, Oratio de SS. Sacramento dicitur ultimo loco, et commemorationi jungitur (S. R. C., 30 martii 1764). In missis privatis commemoratio SS. Sacramenti fit ad libitum.

3766. « In benedicendo populum cum SS. Sacramento,
» celebrans nihil dicere, cantores et musici nihil quoque
» canere interim debent, ad præscriptum *Ritual. Roman.*

» et *Cærem. Episcop.*, non obstante quâcumque contrariâ » consuetudine. » S. Rit. C., febr. 1762, n° 4159 (apud De Herdt, pars 2, n° 68).

3767. Produci debet à simplici sacerdote unicum crucis signum in benedictione cum SS. Sacramento; tria verò producuntur ab Episcopis. *Cærem. Episcop.*, lib. 1, c. 25, n[is] 3, 5 et 6, cap. 33, n° 37; *Missale Roman.*, pars 2, tit. 12, n° 1. Vide *Dict. des Décrets*, D. Boissonnet, v° *Bénédiction*, § 2 2°.

3768. Ex *Cæremoniali Episcop.* et *Rituali Romano*, una tantùm benedictio est danda cum SS. Sacramento in ipsius processione, scilicet in fine. Ita S. R. C., 11 maii 1652, (n° 1492); et 19 jul. 1687 (n° 2992). — Attamen eadem S. Congr. 23 sept. 1820 (n° 4424), in *Volaterranâ*, respondit, in ecclesiis vel altaribus per viam, cum SS. Sacramento dandi benedictionem « vetustissimam consuetu-» dinem tolerari posse, eo tamen modo ut saltem servetur » regula *Cæremonialis* quòd non toties pausatio fiat et » benedictio elargiatur quoties altaria occurrunt, sed semel » vel iterum. » Apud De Herdt, p. 6, n° 46 IV.

3769. Quæsitum fuit: « An unica tantùm Oratio de » SS. Sacramento dicenda sit (post *Tantum ergo*, ante be-» nedictionem), vel addi possit aliqua Collecta, nempe » Principis, etc? —Responsum fuit: Affirmativè, in Ora-» tione 40 horarum et Duplicibus 1 et 2 classis; *Negativè* » verò, in Festo et per Octavam SS. Corporis Christi. » 23 sept. 1837 n° 4667. *Revue des sciences ecclés.*, n° 9, p. 248. Ab eâdem Collectione (20 mart. 1861), refertur adhuc sequens Decretum S. R. Congr. 20 aug. 1860, pro Episcopo Mimatensi: « Cùm Amplitudo Tua ab hâc Sede » declarari petierit utrum in benedictione SS. Sacramenti, » dum ante *Tantum ergo* præmittuntur quædam antiphonæ » vel hymni, vel litaniæ, his etiam adjungi continuò pos-» sint singuli singulis respondentes versiculi cum Oratio-» nibus propriis, ante prædictam strophem hymni *Pange* » *lingua?* — S. R. Congr. respondendum censuit: *Præs-* » *criptionem et methodum precum in casu pendere ab Epis-* » *copi arbitrio.* »

CAPUT V.

DE PŒNITENTIA.

3770. Pœnitentia *est Sacramentum à Christo institutum per formam judicii, ad peccata post Baptismum commissa remittenda, homini contrito et confesso, per absolutionem sacerdotalem :* Ita P. Gury (tom. 2, n° 294).

His præsertim verbis institutum fuit à Christo : « Accipite » Spiritum Sanctum : quorum remiseritis peccata remit» tuntur eis, et quorum retinueritis retenta sunt » (S. Joan., c. 20, v. 23).

3771. Partes essentiales Sacramenti Pœnitentiæ sunt *Contritio, Confessio, Satisfactio* quatenus à Pœnitente acceptanda est, et *Absolutio.* Per modum judicii reconciliativi institutum fuit : proinde ad illud necessaria est Confessio dolorosa cum dispositione subeundi pœnam infligendam, et insuper Ministri absolutio.

3772. Satisfactio autem, quatenus imponenda aut implenda, est solùm pars integralis hujus Sacramenti, quia reconciliatio peccatoris aliquando contingere potest sinè satisfactione : v. g., in articulo mortis. (P. Gury, *ibidem*, n° 297.)

3773. *Materia remota,* seu potius removenda Sacramenti Pœnitentiæ, sunt omnia peccata post Baptisma commissa, quæ dicuntur materia *circa quam*, quia circa illa destruenda versantur actus pœnitentis et sacerdotis absolutio (P. Gury, *ib.*, n° 300). Materia *remota* alia est *necessaria*, nempe omnia peccata *mortalia* post baptismum commissa, nondum vi clavium directè remissa, quia hujusmodi peccata sunt ex præcepto divino accusanda ; alia est *sufficiens* et *libera*, videlicet peccata etiam venialia, quia etsi possint remitti per Sacramentum Pœnitentiæ, aliis quoque viis possunt relaxari ; imò ipsa peccata sive mortalia sive venialia, jam per absolutionem remissa, iterum atque iterum submitti possunt Ecclesiæ clavibus, et sufficientem subministrant materiam Pœnitentiæ Sacramento. Non autem

sufficeret se accusare non satis se respondisse divinis inspirationibus, nec fecisse bonum quod fieri poterat, aut similes imperfectiones admisisse: quia hæc non sunt de se peccata. Peccatum verò originale, vel peccata ante Baptismum commissa deleri nequeunt per sacramentum Pœnitentiæ, sed duntaxat per Baptismum. (S. Liguorius, lib. 6, n^is 425-427.)

3774. *Materia* autem *proxima* sunt actus pœnitentis: *Contritio* videlicet, *Confessio* et *Satisfactio*, qui potius vocantur *Quasi-Materia* sacramenti Pœnitentiæ, juxta Trid. (sess. 14, can. 4): « Si quis negaverit ad integram et per» fectam peccatorum remissionem, requiri tres actus in » pœnitente, *Quasi-Materiam* sacramenti Pœnitentiæ, vi» delicet Contritionem, Confessionem et Satisfactionem, » quæ tres Pœnitentiæ partes dicuntur..., anathema sit. »

3775. *Forma* autem hujus sacramenti essentialiter in verbis consistit; nec validè dari potest scripturâ aut aliis signis; unde à Clemente VIII, Const. 20 junii 1602, proscripta fuit, tanquam *falsa et temeraria*, propositio sequens: « Licere *per litteras* seu internuntium, confessario absenti » sacramentaliter confiteri et ab eodem absente absolutio» nem obtinere. » In eâdem Constitutione prohibitum fuit, sub *excommunicatione* Papæ reservatâ, et ipso facto incurrendâ, ne hæc propositio *unquam tanquam aliquo casu probabilis defendatur, aut ad praxim quoquo modo reducatur*; quod demonstrat talem absolutionem esse non tantùm illicitam, sed etiam omninò invalidam, cùm alioquin, saltem in extremâ necessitate, in praxim reduci posset. V. (1640)

3776. Porrò præsentia pœnitentis requisita ad validitatem absolutionis est ea, intra quam homines communi voce, quamvis altiori, possunt et solent loqui; major tamen propinquitas requiritur quàm pro audiendâ missâ vel concione; nec sufficit quòd sacerdos videat pœnitentem. Plures dicunt ipsum posse absolvi ad 20 circiter passus, et sinè scrupulo posse absolvi eum qui recedit à confessionali, si certò sciatur eum adhuc esse intra paucos passus: sed ipse est revocandus quoties commodè id fieri potest; si nonnisi à longè quis posset absolvi, quia, v. g., ruit è tecto,

aut in flumen immergitur: tunc sub conditione absolutio est danda. Vide S. Liguor., lib. 6, n° 429.

3777. Sic autem absolutio est exprimenda, juxta *Rituale Romanum* : « *Misereatur tuî Omnipotens Deus, et dimissis* » *peccatis tuis, perducat te ad vitam æternam. Amen.* » Deinde dextrâ versùs pœnitentem elevatâ » (elevatio manûs perdurare debet usque ad verba : *in Nomine Patris*, etc. De Herdt, pars 6, n° 12, IV) « dicit : *Indulgentiam, absolu-* » *tionem et remissionem peccatorum tuorum tribuat tibi, om-* » *nipotens et misericors Dominus. Amen.*

» *Dominus Noster J. C. te absolvat* » (verba quæ sequuntur usque post absolutionem, dicuntur capite cooperto: De Herdt, *ib.*) « *Et ego auctoritate ipsius te absolvo ab omni* » *vinculo excommunicationis, suspensionis et interdicti, in* » *quantum possum et tu indiges; deinde, Ego te absolvo à* » *peccatis tuis, in Nomine Patris* † *et Filii* † *et Spiritûs* † » *Sancti* (si pœnitens sit laicus omittitur verbum *suspen-* » *sionis*).

» *Passio D. Nostri J. C., merita B. M. Virginis et om-* » *nium SS., quidquid boni feceris, et mali sustinueris, sint* » *tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiæ et* » *præmium vitæ æternæ. Amen.*

» In confessionibus autem frequentioribus et brevioribus » omitti potest, *Misereatur*, etc., satis erit dicere : *Domi-* » *nus Noster J. C.*, etc., ut supra, usque ad illud : *Passio* » *Domini*, etc.

» Urgente verò aliquâ gravi necessitate in periculo mor- » tis, breviter dicere poterit : *Ego te absolvo ab omnibus* » *censuris et peccatis, in Nomine Patris*, etc. »

3778. Non ergo omnia verba præfatæ formulæ sunt essentialia : « Docet... S. Synodus (*Trident.*, sess. 14, c. 3) » sacramenti Pœnitentiæ Formam, in quâ præcipuè ipsius » vis sita est, in illis Ministri verbis positam esse : *Ego te* » *absolvo*, etc. : quibus quidem, de Ecclesiæ sanctæ more, » preces quædam laudabiliter adjunguntur : ad ipsius » tamen Formæ essentiam, nequaquam spectant, neque ad » ipsius sacramenti administrationem sunt necessariæ. »

3779. Certum est apud omnes essentialia esse verba *te*

absolvo : controvertitur an etiam essentialia sint verba *a peccatis tuis* ; plerique auctores negant ; sed quia sunt etiam affirmantes quorum sententia non videtur omnino improbabilis, in praxi adhærendum est ipsorum sententiæ, præsertim cùm ex sententiâ communi hæc verba non possint omitti absque mortali peccato ; verba autem *in Nomine Patris*, etc., requiruntur tantùm sub peccato veniali, juxta communem sententiam. Quoad cætera verba, magis communiter tenetur posse illa omitti, sinè ullo peccato ; et hoc veriùs putat S. Liguor., quamvis convenientius sit illa omnia adjicere, præsertim in longioribus confessionibus.

3780. Etsi per verba *te absolvo* pœnitens posset absolvi tam à peccatis quàm à censuris, meritò tamen advertunt Roncaglia et Salmantic. id non excusari à veniali, cùm sit contra usum Ecclesiæ. Cæterum, rectè ait P. Concina peccare mortaliter sacerdotem qui, contra prohibitionem Ecclesiæ, absolveret priùs pœnitentem à peccatis et deinde à censuris, quamvis satis communis sit opinio quòd validè pœnitens (si ipse sit in bonâ fide) possit absolvi à peccatis, non præmissâ absolutione à censuris, eò quòd prohibitio Ecclesiæ nequeat invalidare Sacramentum cujus valor pendet à jure divino. (S. Liguor., lib. 6, n° 430.)

3781. Elevatio autem manûs, ejusque impositio in caput, item formatio crucis, sunt liberæ, etsi servari debeat consuetudo ; idem dicendum est de cooperitione capitis. (S. Liguor., *ib.;* De Herdt, pars 6, n° 12 IV.)

3782. Circa absolutionem impertiendam, attendantur verba *Ritualis Romani :* « Videat autem diligenter sacer-
» dos, quando et quibus conferenda, vel neganda, vel
» differenda sit absolutio, ne absolvat eos qui talis beneficii
» sunt incapaces : quales sunt qui nulla dant signa doloris ;
» qui odia, et inimicitias deponere, aut aliena, si possunt,
» restituere, aut proximam peccandi occasionem deserere,
» aut alio modo peccata derelinquere, et vitam in meliùs
» emendare nolunt ; aut qui publicum scandalum dede-
» runt, nisi publicè satisfaciant et scandalum tollant ; ne-
» que etiam eos absolvat, quorum peccata sunt Superio-

» ribus reservata. » De his omnibus consulendi sunt præsertim theologi morales.

3783. Quærit. An validè et licitè absolutio possit dari sub conditione?

Resp. Certum apud omnes habetur validam esse absolutionem datam sub conditione de præterito vel præsenti, si conditio sit adimpleta; invalidam econtra absolutionem datam sub conditione de futuro.

3784. Quoad liceitatem, communiter docetur, contra aliquos, licitum esse absolvere sub conditione de præterito vel præsenti, dummodo justa adsit causa, nempe, si, negatâ absolutione, notabile detrimentum immineat animæ pœnitentis.

3785. Justæ autem causæ habentur à DD.: 1° si sacerdos prudenter dubitet an absolverit, necne; 2° si confessarius dubitet an habeat jurisdictionem : sed hoc S. Liguor. non admittit nisi pœnitens diù deberet carere absolutione; et exigit insuper ut de dubio pœnitens admoneatur, ut possit ipse sibi providere si deinde notum fiat quòd reverà confessarius jurisdictione carebat; 3° si urgeat necessitas Eucharistiam suscipiendi : sed pœnitens non potest accedere ad communionem nisi certò dispositus, vel saltem juxta quosdam probabiliter dispositus (S. Lig., lib. 6, n° 475); 4° si dubitetur an pœnitens sit ritè dispositus: sed in hoc casu vult S. Liguor. aut quòd adsint extraordinaria contritionis signa si agatur de recidivis, aut quòd sit periculum mortis, vel prudenter timeatur ne peccator, in peccatis suis tabescens, non ampliùs redeat ad confessionem: alioquin probari debet pœnitens ante absolutionem, quod intelligi debet etiam de recidivis in venialia : excipiendi sunt tamen pueri vel semifatui, qui probabiliter possunt sub conditione absolvi, quando dubitatur de illorum dispositionibus : quia, quoad ipsos, deest spes ut meliùs brevi disponantur; et hoc dici potest etsi tantùm confiteantur peccata venialia. Item probabiliter sub conditione absolvi potest pœnitens pius qui imperfectiones tantùm confitetur, de quibus dubitatur an pertingant ad venialia; « hoc » tamen, inquit S. Liguor., non admitterem sæpe, neque

» si ille posset materiam certam de vitâ anteactâ præbere.
» Cæterùm, cùm pœnitens non dat materiam certam,
» non tenetur confessarius eam exquirere ut absolvat, nec
» tenetur absolvere sub conditione. » Ita S. Liguor., lib. 6, nº 432.

3786. Commune est peccatum esse mortale administrare Sacramenta cum dubio effectûs, si non adsit causa necessitatis vel gravis utilitatis. Si quis verò judicans pœnitentem esse dispositum, eum tamen sub conditione absolveret, dicendo : *Ego te absolvo, si dispositus es,* non excusaretur quidem à culpâ levi, cùm ageret contra ritum Ecclesiæ, sed certè eum non peccare mortaliter dicunt Tournely et Salmantic. (S. Liguor., lib. 6, nº 28).

Multa alia hîc essent addenda circa sacramentum Pœnitentiæ : sed quia ad Moralistas hæc specialiter pertinent, ad eos remittimus ; vide præsertim S. Liguor. Jam autem multa diximus circa approbationem et jurisdictionem confessariis necessariam, tàm pro reservatis quàm pro aliis peccatis. Vide supra *de Confessario.*

Quædam tantùm hîc subjiciemus, ad nostrum *Manuale* magis pertinentia, aut magis in memoriam revocanda ; unde :

ART. I.

DE CONTRITIONE.

3787. Absolutè necessaria est Contritio, saltem imperfecta, pro validitate absolutionis : ad quod attendendum etiam quando sola confitentur venialia, cùm facile sit de iis non verè dolere, defectu sinceri propositi se emendandi ; proinde absolutionem præcedere debet contritio ; an verò etiam confessionem præcedere debeat, communiter negatur, attamen confessio debet esse aliquo modo dolorosa, et non mera peccatorum narratio. Vide S. Liguor., lib. 6, nº 445.

3788. Contritio definitur à Concilio Trident. (sess. 14, c. 4.) : « Animi dolor, ac detestatio... de peccato commisso,
» cum proposito non peccandi de cætero. »

3789. Duplex distinguitur : *Perfecta* quidem, quæ est detestatio orta ex speciali motivo charitatis perfectæ, seu bonitatis Dei propter se summè dilecti.

Imperfecta autem quæ *attritio* vocatur, et est detestatio peccati orta ex motivo quidem supernaturali, sed charitate perfectâ inferiori ; v. g. ex metu inferni, aut turpitudine peccati per fidem apprehensâ, aut ex amore beatitudinis æternæ, etc.

Omnis contritio, etiam imperfecta, debet esse *interna*, *supernaturalis*, *universalis* et *summa*.

3790. Contritio perfecta statim justificat, modò in pœnitente sit saltem votum implicitum ad minus mortalia sua confitendi; Contritio verò imperfecta non justificat nisi per sacramentum, sed *cum eo, ad justificationem* disponit (Conc. Trid., sess. 14, cap. 4).

Reverà, ex eodem Conc. (sess. 6, cap, 6), ad justitiam recuperandam, requiritur aliquod initium amoris Dei tanquam omnis justitiæ fontis; sed quoties attritio voluntatem peccandi excludit, et cum spe veniæ excitat ad faciendum quod impositurus sit sacerdos ad obtinendam remissionem peccatorum, necessariò, ut videtur, continet in se illud initium amoris Dei tanquam omnis justitiæ fontis : etenim necessariò saltem incipit sic Deum diligere qui illius justitiam appetit, ad illam tendit, et illi vult satisfacere prout sibi fuerit impositum ; possuntne hujusmodi actus elici ab eo qui nec etiam *incœpit* justitiam Dei, et proinde Deum omnis justitiæ fontem amare ? Meritò igitur Concil. Trid., in cap. 4, sess. 14, dicit talem attritionem, *pœnitentem ad Dei gratiam, in sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponere.*

3791. Controvertitur autem an ad validitatem sacramenti Pœnitentiæ, contritio debeat elici cum intentione confessionis; sed quamvis sententia negans videatur probabilior, in praxi tamen opinio affirmans est sequenda ; est enim probabilis et tutior ; porrò in sacramentis, quando agitur de illorum validitate, sententia tutior amplecti debet. Exhinc est etiam concludendum pro praxi quòd novus actus contritionis sit eliciendus, casu quo, statim post abso-

lutionem, aliquis confitetur peccatum oblitum pro quo est danda absolutio : nam, etsi elicitus fuerit actus contritionis in ordine ad priorem absolutionem, et illa contritio moraliter perseveret, attamen controvertitur utrum sufficienter perseveret in ordine ad secundam absolutionem quæ nullatenus fuerat intenta ; ergo in praxi quod tutius est faciendum, proinde novus actus contritionis est etiam tunc eliciendus. Vide S. Liguor., lib. 6, n[is] 447, 448.

3792. Controvertitur pariter an ad validitatem sacramenti pœnitentiæ requiratur ut propositum non ampliùs peccandi sit explicitum, an verò sufficiat propositum virtuale sive implicitum, quale includitur in vero dolore; porrò in praxi sequenda est, ut tutior, sententia quæ requirit ut tale propositum sit formale et explicitum. Vide S. Liguor., lib. 6, p. 460.

3793. Hujusmodi propositum tres habere debet conditiones, nempe debet esse *firmum*, *universale et efficax*.

1° Debet esse *firmum;* non tamen requiritur ut credatur nullum relapsum fore secuturum ; sed satis est tunc adesse seriam voluntatem non relabendi : nam benè consistere potest voluntas resipiscendi cum timore lapsûs ex mutatione voluntatis.

3794. An verò firmum propositum judicandus sit habere qui assserit nolle ampliùs relabi, sed certò credit se relapsurum ? — Etsi plures affirment, omnino sequendam esse oppositam sententiam existimat S. Liguorius : quia talis pœnitens certam suspicionem præbet propositum suum non satis esse firmum, cùm impossibile sit, ut quis firmiter proponat se emendare, et sciens Deum certò adjuvare facientem quantùm in se est, tamen certò credat se ad sua peccata rediturum ; unde talis pœnitens, antequam absolvatur, disponi debet ut speret, non per vires proprias, sed per Dei auxilium à peccatis liberatum iri. (Vide S. Liguor., lib. 6, n° 451.)

3795. 2° Debet esse *universale :* unde etsi sufficiat quòd dolor extendatur solùm ad peccata mortalia commissa, propositum tamen non ampliùs peccandi, debet se extendere ad omnia peccata saltem mortalia. Ita communis sen-

tentia, quæ est tenenda, juxta S. Liguor. (lib. 6, 451 II).

3796. — 3° Debet esse *efficax :* ad quod non requiritur ut semper efficiatur quod promittitur : aliàs quoties pœnitens recideret, toties essent repetendæ confessiones præteritæ; sed sufficit quòd pœnitens sincerè proponat peccatum vitare, et proinde verum habeat animum adhibendi media ad vitandum peccatum necessaria et signanter occasiones proximas peccandi, ut communiter docent DD. (S. Liguor., *ib.*, III.)

Quomodo autem gerere se debeat confessarius cum iis qui versantur in occasione proximâ peccandi, et quoad consuetudinarios et recidivos, vide apud theologos morales, et ap. S. Liguor. (*ib.*, n^is 452-465).

ART. II.

DE CONFESSIONE.

§ I.

De ipsius necessitate.

3797. Confessio est accusatio peccatorum post Baptisma commissorum, facta sacerdoti approbato, in ordine ad absolutionem obtinendam.

Hujusmodi Confessio est necessaria tum jure divino, tum jure ecclesiastico : 1° *Jure divino :* « Si quis dixerit in » sacramento Pœnitentiæ ad remissionem peccatorum » necessarium non esse *jure divino* confiteri omnia et » singula peccata mortalia..., anathema sit. » Ita Concil. Trid. (sess. 14, can. 7).

3798. Illam necessitatem imposuit Christus dando in perpetuum suis Apostolis et eorum in sacerdotio Successoribus potestatem, non tantùm remittendi peccata, sed etiam retinendi : sic enim imposuit necessitatem recurrendi ad illorum ministerium : alioquin frustra eis dedisset potestatem peccata retinendi ; sed quoniam aliundè Christus eis non dedit potestatem remittendi nisi peccata quæ veniâ digna sunt, et retinendi nisi ea quæ tali veniâ sunt indigna,

de illâ dignitate vel indignitate dijudicare debent Apostoli et eorum Successores : unde ab ipsomet Christo judices circa illa peccata constituti fuerunt : proinde ipsis necessariò peccata sunt patefacienda seu confitenda : meritò igitur Synodus Trident. (sess. 14, cap. 5) ait : « Ex institutione « Sacramenti Pœnitentiæ... universa Ecclesia semper intel- » lexit institutam etiam esse à Domino integram peccatorum » confessionem, et omnibus post Baptismum lapsis jure » divino necessariam existere. »

3799. — 2° *Jure ecclesiastico;* et constat can. 21 Concilii Lateran. IV : « Omnis utriusque sexûs fidelis, post- » quam ad annos discretionis pervenerit, omnia solus » peccata confiteatur fideliter, saltem semel in anno, pro- » prio sacerdoti ; et injunctam sibi pœnitentiam studeat » pro viribus adimplere..., alioquin, et vivens ab ingressu » Ecclesiæ arceatur, et moriens christianâ careat sepul- » turâ. » Vide insuper Concil. Trident. (sess. 14, cap. 5).

3800. Huic præcepto non potest satisfieri per confessionem invalidam, ex proposit. 14 ab Alexandro VII damnatâ. S. Liguor., lib. 6, n° 672.

3801. Certum est præceptum divinum confitendi obligare saltem in gravi periculo mortis, proinde ante periculosam navigationem, vel conflictum, ante partum si sit primus et mulier sit tenera, vel si soleat partus experiri difficiles, etc.—Vide S. Liguor., lib. 6, n° 665. Dubium est an obliget *per se* sæpius in vitâ : negat S. Thomas cum quibusdam aliis : ratio quia talis obligatio nullo certo fundamento probari videtur, cùm peccator per contritionem possit Deo se reconciliare ; sed communiùs et probabiliùs affirmant Salmanticenses et alii plures : quia de eo præcepto idem judicium ferri potest ac de præcepto communionis, quod Christus reliquit determinandum ab Ecclesiâ, quæ determinavit obligare saltem semel in anno. Vide dicta supra (3407, 3416).

3802. Præterea, inquit S. Liguor. (lib. 6, n° 663), hoc præceptum « per accidens obligat peccatorem, etiam infra » annum, si non conteritur, ratione charitatis erga seipsum » ne diu maneat in mortali. »

3803. Præceptum ergò divinum confitendi peccata obligat saltem singulis annis, ob determinationem Ecclesiæ; porrò, inquit S. Liguor. (*ib.*, nº 662), « quamvis, per se » loquendo, annus esset computandus à januario ad de» cembrem, tamen, spectatâ universali consuetudine, » computatur incipiendo à paschate ad pascha. » Vide supra (3416, 3421).

3804. Qui per annum non implet præceptum confitendi, non ideo eximitur deinde ab hâc obligatione; sed tenetur quamprimùm, anno sequenti, adimplere: quia terminus non apponitur ad finiendam, sed ad non differendam obligationem; unde continuè peccat, usquedum firmiter proponat præceptum adimplere; et recidit in peccatum, quoties à proposito suo recedit, vel illud implere omittit; secus tamen sentit S. Antoninus cum aliis quibusdam; sed vide S. Liguor., lib. 6, nº 668 et nº 297.

3805. Disputatur autem utrum per confessionem factam anno sequenti, satisfiat præcepto utriusque anni; verior sententia sic distinguit: vel pœnitens, in confessione, manifestat peccata mortalia tam antecedentis quàm præsentis anni, et tunc benè satisfacit utriusque anni obligationi; vel in anno sequenti, post confessionem, incidit in peccata mortalia, et tunc tenetur iterum confiteri, alioquin non satisfacit obligationi confitendi omnia sua peccata pro hoc anno. Vide S. Liguor., lib. 6, nº 669.

3806. Qui prævidet se ante finem anni non posse præceptum adimplere, tenetur prævenire; si autem postea in alia peccata mortalia incidat, tenetur iterum ea, si possit, confiteri hoc eodem anno. Vide S. Liguor., lib. 6, nis 669, 71.— Qui tamen involuntariè oblitus est confiteri aliquod mortale peccatum, non tenetur illud confiteri ante finem anni; sed potest expectare confessionem anni subsequentis. (...queux, nº 796.)

3807. Controvertitur utrum ad annuam confessionem teneatur ille qui tantùm habet peccata venialia; communis verior sententia negat: quia Ecclesia non præcipit nisi confessionem jure divino præscriptam; atqui jure divino non est obligatio peccata venialia confitendi, cùm ipsa ex

Trident. (sess. 14, cap. 5), « *taceri citra culpam..; possunt* ». Verba autem Concil. Lateran. intelligi debent de solis mortalibus, cùm certè Concilium non potuerit velle ut singuli fideles *omnia sua* peccata, etiam venialia, confiterentur saltem semel in anno; ergo, etc. (S. Liguor., lib. 6., n° 667.)

3808. Ad hanc annuam confessionem tenentur omnes fideles, postquam ad annos discretionis pervenerint : id est, etiam pueri doli capaces et peccatorum rei, saltem post septennium. Vide S. Liguor., lib. 1, n° 155, et lib. 3, n° 270; item hæretici et apostatæ. S. Liguor., lib. 6, n° 665.

3809. Annua confessio, ex Concilio Lateran., fieri debet *proprio sacerdoti;* et si quis velit alieno confiteri, debet priùs obtinere licentiam à proprio sacerdote : sed per illum intelligendus est, non tantùm parochus, sed Episcopus et S. Pontifex : « Nemo, inquit Bened. XIV, salvâ fide negare » potest etiam S. Pontificem in totâ Ecclesiâ, et Episcopum » in commissâ sibi diœcesi, proprium esse sacerdotem qui » fidelium confessiones excipere ac facultatem illas exci» piendi alteri delegare valeat..; qui oppositum sentiret » in errores incideret Joannis De Poliaco proscriptos à » Joanne XXII. » (*De Syn.*, lib. 11, cap. 14, II.) Vide supra (1571).

Quoad pœnas contra violatores præfati mandati latas vide supra (3417).

3810. Cùm sit obligatio confitendi ante mortem, quæri hic potest 1° Quatenus medici teneantur monere infirmos de confessione?

Resp. Ab Innocentio III, in Concil. Lateranensi IV (C. *Cùm infirmitas* 13, *De pœnit. et rem.*), omnibus medicis præceptum fuisse, et quidem sub *gravi* (ut omnes concedunt), ne infirmos in suam curam recipiant, nisi priùs confiteantur ipsi infirmi : postea verò S. Pius V, *in motu proprio*, *Super gregem* anni 1566, eadem sancivit his verbis : « Ne medicus incipiat curare infirmum, nisi eum moneat » de confessione faciendâ, neque ultra tres dies eum invisat, nisi, scripto confessarii, resciat eum esse confessum

» et ut medici, antequam doctoratûs gradus assumant,
» jurent se hoc præceptum observaturos : et Ordinarii illos
» non admittant in suis diœcesibus, nisi constiterit de hoc
» juramento [1]. »

3811. Porrò juxta communiorem sententiam, hoc præceptum intelligi quidem non debet de solis morbis periculosis, ut plures cum Layman existimârunt, ne monitio differretur usque ad tempus quo faciliùs periculosa evaderet, ut ait Bened. XIV (*Notif.* 22, n° 19); sed nec etiam intelligi debet de quocumque morbo etiam levi, ut voluit S. Antoninus cum Sylvio, sed de gravi morbo etsi non periculoso: ratio est quia S. Pontifex loquitur de *infirmis lecto jacentibus*, quod est intelligendum de lecto jacentibus, non ob majorem commoditatem, sed ob necessitatem, proinde de gravi morbo qui deinde periculosus effici posset.

3812. Notant verò DD. sufficere quòd medicus moneat per alios; sufficere pariter aliorum testimonium (etiam non scriptum) quòd infirmus sit confessus, modò testes sint fide digni; dicunt insuper medicum ad hujusmodi monitionem non teneri, si moraliter sit certus infirmum esse in bono statu; tandem medicum non teneri ad deserendum infirmum, si ipse obstinatè nollet confiteri, et esset in periculo mortis, quia præfata decreta charitati non adversantur.

3813. Hæc S. Liguor. (lib. 6, n° 661), qui addit : « Cùm
» Decreta Pontificum non obligent, nisi secundùm quod
» sunt usu recepta.., hinc dicunt Salm. cum Cajet., Sanch.
» et aliis... præfata Decreta et juramenta in Hispaniâ non
» obligare, quia ibi non sunt usu recepta, vel sunt abro-
» gata; idemque testatur Mazzott... de nostro regno, dum
» ait juramentum S. Pii, Neapoli ex usu recepto (ut etiam
» mihi constat), tantùm in morbis periculosis observari. » — Quæ certè applicanda esse Galliæ videntur, ubi non observatur Bulla S. Pii V, nec dictum juramentum præstant medici; sed apud nos, sicut ubique, sub gravi medici

[1] Insuper à Paulo IV et à S. Pio V prohibitum fuit christianis uti medicis judæis aut aliis infidelibus, in curandis suis infirmitatibus : quæ prohibitio confirmata fuit à Gregorio XIII, in Constit. *Alias piæ memoriæ*. Vide *Analecta*, juillet et août 1859, col. 1728.

tenentur, saltem ex charitate, ægrum *per se vel per alios* monere de periculo mortis, ut suæ saluti æternæ tempore opportuno providere valeat : de hoc omnes concordare videntur. Vide ap. S. Liguor., lib. 6, nº 664 ; Antoine, *de Oblig.*, c. 7 ; Theolog. Tolosan., *de obligat.*, pars 1, c. 5, 3° ; Gury, tom. 2, nº 20.

3814. *Analecta* tamen (juillet 1859, col. 1755) asserunt à nullo auctore fuisse affirmatum potuisse abrogari Constitutiones modò relatas, etiam quoad obligationem medicis impositam cessandi invisere ægrotum post diem tertiam si non confiteatur; aut quoad obligationem præstandi juramentum se dictas Constitutiones esse observaturos, aut tandem quoad pœnas in iis sancitas; quod mirum est, *Analecta* citant S. Liguorium in loco modò relato, sed illum mutilant, et non referunt integra verba quæ supra protulimus (3813); unde à tantâ auctoritate non feliciter se expediunt.

3815. Pœnæ autem latæ contra medicos non observantes supra dictas S. Sedis præscriptiones sunt : 1° juxta cap. *Cùm infirmitas*, interdictum ab ingressu ecclesiæ; sed hæc pœna est ferendæ sententiæ: *ab ingressu ecclesiæ arceatur;* 2° juxta Encyclicam Bened. XIV, apud *Analecta* relatam *(ibid.,* col. 1750), excommunicatio latæ sententiæ Episcopis reservata. Vide supra (1649). Pœna sublata est C. *Ap. Sed.*

3816. Quærit. 2° An ex institutione divinâ confessio debeat esse secreta vel publica ?

Resp. Solutionem hujus dubii ab ipsomet Concil. Trid. fuisse datam (sess. 14, c. 5) : « Quoad modum, inquit, » confitendi secretò apud solum sacerdotem, etsi Christus » non vetuerit quin aliquis in vindictam suorum scelerum » et suî humiliationem, cùm ob aliorum exemplum, tùm » ob Ecclesiæ offensæ ædificationem, delicta sua publicè » confiteri possit; non est tamen hoc divino præcepto » mandatum, nec satis consultè humanâ aliquâ lege præ- » ciperetur, ut delicta, præsertim secreta, publicâ essent » confessione aperienda. Unde cùm à sanctissimis et anti- » quissimis Patribus, magno unanimique consensu, secreta » confessio sacramentalis, quâ ab initio sancta Ecclesia usa

» est et modò etiam utitur, fuerit semper commendata; » manifestè refellitur inanis eorum calumnia, qui eam à » divino mandato alienam et inventum humanum esse, atque » à Patribus in Concilio Lateranensi congregatis initium » habuisse, docere non verentur. » — Deinde eadem S. Synodus (eâd. sess., can. 7) sic dictos errantes anathemate perculit : « Si quis negaverit confessionem sacramen- » talem vel institutam vel ad salutem necessariam esse jure » divino ; aut dixerit modum secretò confitendi soli sacer- » doti, quem Ecclesia Catholica ab initio semper observavit » et observat, alienum esse ab institutione et mandato » Christi, et inventum esse humanum : anathema sit. » — Error autem hìc profligatus apertè exprimitur in Dictionario Gallico *Bescherelle*, v° *Confession.*

Circa præfatam quæstionem consuli possunt auctores à Devoti citati (lib. 2, tit. 2, sect. IV, § LXX, *nota 2ª*).

§ II.

De Dotibus Confessionis.

3817. Plures dotes habere debet Confessio sacramentalis, prout videre est apud theologos ; præcipua ex his est integritas : de eâ conditione nobis est aliquid dicendum : certum est jure divino Confessionem integram esse debere quoad species, numerum et circumstantias peccatorum, saltem speciem mutantes, quantùm pœnitens moraliter potest : id constat ex can. supra relato Concilii Lateran. IV (3779); et ex Concil. Trident. (sess. 14, can. 7), ubi dicitur : « Si quis dixerit in sacramento Pœnitentiæ ad remis- » sionem peccatorum necessarium non esse jure divino » confiteri omnia et singula peccata mortalia, quorum » memoria cum debitâ et diligenti præmeditatione habea- » tur, etiam occulta, et quæ sunt contra duo ultima Deca- » logi præcepta, et circumstantias quæ peccati speciem » mutant... : anathema sit. »

Quoad circumstantias solùm aggravantes, controvertitur utrum sit obligatio illas explicandi in Confessione quando sunt notabiliter aggravantes; et ipsemet S. Liguo-

rius ut probabiliorem habet sententiam quæ hanc obligationem negat. Vide S. Liguor., lib. 6, n° 467; fatetur tamen quòd adsit aliquando obligatio illas patefaciendi, « quando » scilicet inducunt censuram vel reservationem, aut quan» do.... confessarius interrogat, putatque necesse id scire » ad medicinam, vel restitutionem imponendam. » (*Ibid.*)

Multa de integritate confessionis expendunt DD. moralistæ, ut est videre apud S. Liguor. (lib. 6, 465-491) et alios theologos : duo duntaxat hic discutiemus.

3818. Quærit. 1° An et quomodo sit absolvendus moribundus qui sua peccata confiteri non valet?

Resp. 1° Si det signa pœnitentiæ sacerdoti præsenti, certum est illum esse absolvendum et quidem absolutè ; imò expedit ut ille toties absolvatur quoties nova præstat doloris signa; his enim signis pœnitentiæ moribundus sua confitetur peccata, et hæc confessio est sufficiens in tantâ necessitate; sed tunc absolutio cadit directè super omnia peccata sub ratione genericâ peccati, ut accidit in naufragio, bello, etc., et indirectè super peccata in specie, quæ ideo sunt postea sigillatim confitenda, si ad sanitatem moribundus redeat.

3819.—2° Si, præsente sacerdote, moribundus sit sensibus destitutus, sed sciatur per adstantium testimonium illum ostendisse desiderium absolutionis, dando signum doloris, vel absolutionem postulando, quidquid dicant Canus, Ledesman, etc., omninò affirmandum est cum communi illum esse absolvendum; id multis probat S. Liguor. (lib. 6, n° 481); sufficiat referre : 1° can. 76, Concil. Carthagin. IV, in quo dicitur : « Is qui pœnitentiam in in» firmitate petit, si casu dum ad eum sacerdos invitatus » venit, oppressus infirmitate obmutuerit vel in phre» nesim conversus fuerit, dent testimonium qui eum » audierunt et accipiat pœnitentiam. Et si continuò credi» tur moriturus, reconcilietur per manûs impositionem, » et infundatur ori ejus Eucharistia. » 2° *Rituale Romanum, de Sacram. Pœnitentiæ*, § *Ordo ministrandi*, ubi legitur : « quòd si inter confitendum, vel etiam, antequam » incipiat confiteri, vox et loquela ægro deficiat, nutibus

» et signis conetur, quoad ejus fieri poterit, peccata pœ-
» nitentis cognoscere : quibus utcumque vel in genere vel
» in specie cognitis, vel etiam si confitendi desiderium,
» sive *per se sive per alios ostenderit*, absolvendus est. »

3820. Perperam objiciunt adversarii hoc *Rituale* fuisse à privato Doctore confectum, etsi approbante Pontifice; et illud non excedere privatam auctoritatem, cùm approbationem pontificiam duntaxat habeat, non verò auctoritatem : nam Paulus V, postquam in suâ Bullâ *Apostolicæ Sedi* approbativâ dicti *Ritualis*, memoraverit quòd post evulgationem *Breviarii* et *Missalis* à Pio V factam, « restabat ut sacri Ecclesiæ Catholicæ ritus, *Apostolicæ Sedis* (nota) *auctoritate*, prodirent »; deinde subdit: « quapropter hortamur in Domino... Episcopos..., parochos, etc.., ut in posterùm... Ecclesiæ Romanæ... *auctoritate* constituto Rituali in sacris functionibus utantur, et in re tanti momenti, quæ Catholica Ecclesia et ab eâ probatus usus antiquitatis statuit, inviolatè observent. »

3821. Quamvis DD. communiùs censeant absolutionem esse dandam absolutè in hâc secundâ hypothesi, quia in necessitate probabilitas sufficit ut absolutè administrentur sacramenta, tamen plures dicunt illam nonnisi conditionatè impendi debere, et hoc tutiùs sancto Liguorio videtur, præcipuè in casu ubi prudenter de signis datis dubitatur, prout facile est dubitandum si infirmus sit rusticus (lib. 6, n° 481).

3822. — 3° Sed quid si nullus adsit testis de signo Pœnitentiæ præstito ab ægroto; absolvine potest talis ægrotus qui omnino sensibus est destitutus ?—Scinduntur in hoc DD.; alii enim negant, quia in hoc casu deest materia sacramenti quæ sensibilis esse debet; alii communiùs affirmant, casu saltem quo infirmus christianè vixerit; probatur ex verbis S. Antonini *Sacerdotali Romano* insertis : « Infirmus qui amisit loquelam vel usum rationis, si benè vivebat, quamvis non petierit sacramenta, quia ex insperato talia acciderunt..., debet præsupponi contritus; et sacerdos faciat absolutionem ab omni peccato. »

Probatur etiam ex S. August. (lib. 1, *De adulter. conj.*,

c. 26) : « Catechumenis in hujus vitæ ultimo constitutis, si » morbo aut casu aliquo sic oppressi sunt ut petere Baptismum non possint, prosit eis quòd eorum in fide » christianâ nota voluntas est, ut eo modo baptizentur quo » baptizantur infantes. »—Deinde (cap. 28) pergit S. Doctor : « quæ autem Baptismatis eadem reconciliationis est » causa, si fortè pœnitentes faciendæ vitæ periculum præoccupaverit ; nec ipsos ex hâc vitâ, sinè arrhâ suæ pacis » exire velle debet Mater Ecclesia. »

2823. Sed dices : Ubi tunc habetur materia sacramenti, Confessio nempe et Contritio ?

Respondent Viva, Salmantic. et alii non esse improbabile moribundum habere tunc lucida intervalla, et meritò præsumi posse velle et petere absolutionem, signis quidem verè sensibilibus, per suspiria nempe, motus corporis, saltem per anxiam respirationem, etc., quamvis hujusmodi signa confessarius non percipiat : « Des malades, revenus d'une » extrémité où ils ne paraissaient avoir aucun sentiment, » ont dit ensuite, que, dans cet état, ils désiraient beaucoup » l'absolution, mais qu'ils n'avaient pu le témoigner que » par des signes qu'ils (les ministres) n'apercevaient pas » (*Instr. pour les pasteurs, publiée en* 1817, *avec l'autorisation de Mgr l'Archev. de Chambéry*, apud Gousset, *Théol. morale*, tom. 2, p. 586); porrò in tantâ necessitate, talia signa sufficiunt ad dandam absolutionem sub conditione ; et si dari possit, est obligatio, etiam sub gravi, illam impendendi, alioquin minister reus esset animarum : « Benè tamen advertit » Roncaglia... non esse sæpiùs absolvendum moribundum » sensibus destitutum, intra breve spatium temporis, sinè » novo signo certo, nisi bis vel ter, servatâ proportionatâ » distantiâ : quia reverà tunc cessat necessitas, quæ adfuit » in antecedentibus absolutionibus præstitis; secus verò dicendum, si destitutio perseverat per longum tempus. » Ita S. Liguor., lib. 6, nº 482.

3824.— 4º Sed quid tandem, si quis sensibus fuerit destitutus in actu peccati, v. g., adulterii, duelli, etc.; potestne etiam is absolvi ?

Quamvis multi negent, sunt tamen et plures graves DD.

affirmantes etiam hujusmodi moribundum posse et debere absolvi sub conditione, modò constet ipsum esse catholicum; probant auctoritate S. August. qui, libro citato (c. 28), dicit : « Ego non solùm alios catechumenos, ve-
» rùm etiam ipsos qui viventium conjugiis copulati retinent
» adulterina consortia, si desperati, et intra se pœnitentes
» jacuerint, nec pro se respondere potuerint, baptizandos
» puto : quis enim novit utrum fortassis adulterinæ carnis
» illecebris usque ad Baptismum statuerant retineri ? —
» Quæ autem Baptismatis, *eadem reconciliationis est causa,*
» *si fortè pœnitentem finiendæ vitæ periculum præoccupa-*
» *verit : nec ipse ex hâc vitâ sinè arrhâ suæ pacis exire velle*
» *debet Mater Ecclesia.* » Ita S. Liguor. (lib. 6, n° 483), et plures apud ipsum; ita etiam Theol. Tolosana, *De Pœnitentiâ*, c. 5, sect. 2, art. 5, citans Henno et d'Argentré; Gury, tom. 2, n° 391; DD. Gousset, *Théol. mor.*, tom. 2, n° 586.

3825. Dictum fuit *modò constet moribundum esse catholicum :* hæretici enim, inquit S. Liguorius (*ibid.*), etiamsi in vitæ periculo dent signa pœnitentiæ, non debent absolvi, nisi expressè absolutionem petant, quia non præsumuntur ea signa præbere in ordine ad confessionem à quâ summoperè abhorrent, saltem si negent existentiam hujus Sacramenti; reverà probabilius esse diximus supra (3791), ad validitatem sacramenti Pœnitentiæ non requiri quòd contritio eliciatur cum intentione confessionis; sed nihilominus certum est saltem aliquam confessionem esse necessariam; porrò, in casu supposito, nulla omnino legitimè præsumi potest confessio ; ergo, etc.

3826. Quærit. 2° An sit licitum confessario nomen complicis exquirere?

Resp. Etsi, juxta communem DD. sententiam (S. Lig., lib. 6, n^is 489 et 490), pœnitens non sit immunis ab obligatione suum peccatum manifestandi in confessione, ob motivum quòd non possit illud confiteri sinè revelatione complicis, attamen in Brevi *Ubi primum*, Bened. XIV rigorosè prohibet confessariis ne exquirant à pœnitentibus nomen complicis; et si hoc, sub denegandæ absolutionis

commination faciant, Pontifex declarat eos graviter peccare, et incurrere suspensionem ferendæ sententiæ ab audiendis confessionibus : « Noverint, inquit, sese, ultra » peccati lethalis incursum, suspensioni ab officio audien- » darum confessionum, aliisque gravioribus pœnis fore » subjiciendos[1]. »

Cæterùm confessarii benè possunt, imò et debent ad procurandam confessionis integritatem, aut saluti pœnitentis consulendum, exquirere circumstantias necessarias: v. g. an persona complicis sit in primo vel secundo gradu, aut sit voto ligata, aut sit ancilla, aut habitet in eâdem domo, etc., licet in cognitionem complicis sic veniat.

3827. Revera aliquando pœnitens tenetur complicem manifestare ad aliquod grave malum impediendum ; sed tunc confessarius debet tantùm ei imponere ut complicem revelet illi qui scandalum vel damnum potest avertere; nunquam autem ipsi licet dicere : *revela mihi :* « Si verò » pœnitens ex se et sponte suâ rogaret confessarium, ut » complicem corrigeret, tunc confessario multâ prudentiâ » opus est : nam, ordinariè loquendo, non expedit ut se » committat in hujusmodi rem ; ipsi enim tantùm incum- » bit curare damnum sui pœnitentis, non alienum, et » solummodo intra confessionem, non extra; et ex aliâ » parte, confessarius difficulter assumet hoc munus cor- » rigendi sinè periculo scandali, et offensione sacri minis- » terii. » Ita S. Liguor., lib. 6, n° 492; et etiam Stremler, *Traité des peines ecclés.*, p. 134-136.

3828. Præterea, in Brevi modò citato, Bened. XIV pœnam excommunicationis ipso facto incurrendæ, et Sanctæ Sedi reservatæ, decernit contra omnem qui « ausus fuerit » dicere licitam esse hujusmodi praxim, prout ea in » relato nostro Brevi reprobatur, vel scribere vel loqui » præsumpserit in ejusdem damnatæ praxis defensionem; » vel ea quæ in dicto Brevi contra eorumdem praxim de-

[1] « Nec nomen, nec domicilium pœnitentis inquirant (confessarii), » præsertimque caveant à nomine complicis exquirendo, quod inhibet » sub gravioribus pœnis Benedictus XIV, in Encyclicâ *Ubi primùm.* » Ita Concil. Avenion. 1849 (tit. 4, cap. 5, p. 57).

» creta sunt. impugnare, aut in alienos sensus temerè detor-
» quere seu interpretari.» Deinde obligationem denuntiandi confessarium exquirentem nomen complicis cum denegatione absolutionis, imponit cuicumque noverit talem confessarium aliter quàm ex ipsius confessione; excipit tamen casum quo confessarius sic ageret ex simplicitate. (S. Lig. *ibid.*, nº 491.) V. suprà (1640).

ART. III.

DE SATISFACTIONE SACRAMENTALI.

3829. Satisfactio sacramentalis vulgò definitur : *Voluntaria acceptatio et exsecutio operis pœnalis à confessario injuncti, ad compensandam injuriam Deo illatam et exsolvendam pœnam temporalem quæ restat ordinariè ex peccatis remissis quoad culpam.*

3830. Certum est confessarium teneri imponere pœnitentibus satisfactionem peccatis, *per se loquendo,* condignam; sic enim habet Concil. Tridentinum (sess. 14, cap. 8) : « Debent ergo sacerdotes, quantùm spiritus et prudentia » suggesserit, pro qualitate criminum et pœnitentium fa» cultate, salutares et convenientes satisfactiones injungere: » ne si fortè peccatis conniveant, et indulgentiùs cum pœ» nitentibus agant, levissima quædam onera pro gravissi» mis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes » efficiantur; habeant autem præ oculis ut satisfactio quam » imponunt, non sit tantùm ad novæ vitæ custodiam, sed » etiam ad præteritorum peccatorum vindictam et castiga» tionem. »

3831. Diximus *per se loquendo:* nam aliquando excusatur confessarius, levissimam vel etiam nullam pœnitentiam injungendo; v. g. si hoc faciat : 1° quia pœnitens est vehementissimè contritus, vel quia aliter satisfecit, indulgentias, v. g., lucrando : sed in hoc casu debet semper imponi aliqua pœnitentia, præsertim ea quæ necessaria esset ad medicinam (S. Liguor., lib. 6, nº 519; Lequeux, nº 930); vel 2° quia impotens est pœnitens, morti proximus, aut valde debilis, cui tamen prudenter injungenda est etiam

regulariter levis saltem pœnitentia ; v. g., percussio pectoris, invocatio nominis *Jesu*, aliive pii motus ; *Rituale* autem *Romanum* dicit : *Ægris non esse injungendam gravem pœnitentiam, sed indicendam tantùm illam quam si convaluerint, opportuno tempore peragant :* et idem dicitur in cap. *Ab infirmis*, 26, q. 8 ; 3° non tantùm corporis, sed etiam animi debilitas potest esse sufficiens ratio cur pœnitentia minuatur, præsertim quando timetur quòd pœnitens illam non adimpleat : unde S. Antoninus aiebat : « Debet » confessarius dare talem pœnitentiam, quam credat veri- » similiter pœnitentem implere, ne ipsam violando dete- » riùs ei contingat » : non enim pœnitentiæ sunt tantùm injungendæ pro qualitate criminum, ex Concil. Trident. supra relato, sed etiam debent *esse salutares et convenientes, pro pœnitentium facultate :* quod confirmatur ex *Rituali Romano*, ubi dicitur : « Postremò confessarius salutarem et » convenientem satisfactionem, quantùm spiritus et pru- » dentia suggesserit, injungat, habitâ ratione statûs, con- » ditionis, sexûs, et ætatis et *dispositionis pœnitentium.* » Ubi notanda sunt ultima verba *dispositionis pœnitentium.*

3832. Reverà, ut advertit S. Thomas (*Quodlib.* 3, art. 1) : « Si contingat quòd sacerdos mitiorem satisfactionem im- » ponat... nihilominus pœnitens ad aliquid ulterius obli- » gatur, quod si in hâc vitâ non perficiat, in Purgatorio » exsolvet » ; sed dicendum est cum Gerson : « tutiùs est » cum parvâ pœnitentiâ, quæ sponte suscipitur et veri- » similiter adimpletur, ducere confessos ad Purgatorium, » quàm, cum magnâ non implendâ, præcipitare in Infer- » num. »

3833. Cæterùm, inquit S. Liguor. (lib. 6, n° 509 *in fine*) : « Extra casum gravissimæ infirmitatis, aut vehe- » mentissimæ contritionis... non benè ageret confessarius, » si pro culpis mortalibus injungeret Pœnitentiam per se » levem, quæ levem inferat obligationem. Licet enim, si » expedierit, imponatur opus quod respectivè ad peccata, » sit leve, tamen regulariter semper injungenda est aliqua » pœnitentia gravis, quæ gravem inducat obligationem. »

3834. Porrò tanquam levis pœnitentia communiter ha-

betur unum *Miserere* : sed *Rosarium* B. Virginis, etsi quinque decadum duntaxat, minimè materia levis dici potest, quando imponitur pro mortalibus nondum remissis.

3835. *Nota* 1° longè probabilius et communius esse per verba *quidquid boni feceris*, omnia bona opera pœnitentis elevari ad effectus satisfactionis sacramentalis. (S. Liguor., lib. 6, n° 507.)

Nota 2° ex communissimâ sententiâ, pœnitentiam posse adhuc injungi immediatè post absolutionem. (S. Liguor., lib. 6, n° 514 *in fine*.)

3836. Quærit. 1° An casu quo pœnitens statim post absolutionem defert aliud peccatum, sufficiat illi eamdem imponere pœnitentiam?

Resp. Affirmant Bonacina et Croix : quia, inquiunt, potest imponi opus aliàs debitum ; sed meritò id reprobant Palaus et Roncaglia, inquit S. Liguorius (lib. 6, n° 513, *dub.* 2°) : « nam licet opus aliàs præceptum benè possit » injungi in pœnitentiam.... non tamen opus præceptum » eodem titulo satisfactionis sacramentalis. »

3837. Quærit. 2° An et qualis sit obligatio, ex parte pœnitentis, injunctam pœnitentiam acceptandi et adimplendi?

Resp. 1° Juxta communem et veram sententiam, regulariter pœnitens tenetur sub gravi acceptare et adimplere justam pœnitentiam à confessario impositam : ratio est quia, ut docet Bened. XIV in Encyclicâ *Inter præteritos*, sicut confessarius justam tenetur injungere pœnitentiam, ita pœnitens illam acceptare et adimplere tenetur.

3838. Dictum est 1° *justam pœnitentiam :* quia si illa esset justo gravior, aut viribus pœnitentis disproportionata, et nollet illam moderare confessarius, probabile est quòd pœnitens posset, sinè gravi culpâ, discedere absque absolutione, et alium adire confessarium.

3839. Dictum 2° *regulariter sub gravi :* sunt enim plures casus in quibus saltem est probabile quòd pœnitentia non obliget nisi sub *levi :* nempe 1° si imposita sit pro venialibus aut mortalibus remissis : et hoc etiam est certum si pœnitentia sit tantùm levis, controvertitur autem si gravis pœnitentia fuerit imposita : vide S. Liguor. (lib. 6, n° 517);

2° si pœnitentia imposita, etiam pro mortalibus, sit levis, vel si agatur de parte levi gravis pœnitentiæ, vel si gravis pœnitentia imponatur tantùm sub levi : controvertitur tamen an liceat confessariis imponere levem tantùm pœnitentiam pro gravibus peccatis, aut etiam gravem duntaxat sub levi : communiùs affirmatur; sed S. Liguorius dicit quòd confessarius peccaret si ob hanc sententiam affirmantem vellet pro gravibus peccatis totam pœnitentiam imponere sub levi, excepto casu gravis ægritudinis, vel alio casu rarissimo, in quo omnino id expedire videretur ad salutem pœnitentis : nam regulariter gravis pœnitentia est imponenda pro gravibus peccatis (lib. 6, n° 518).

3840. Non autem tenetur pariter pœnitens adimplere pœnitentiam quando invalida fuit absolutio, quia tunc sacramentalis non fuit sententia, et aliàs bis pro iisdem peccatis esset satisfaciendum. (P. Gury, tom. 2, n° 414.)

3841. Tenetur pœnitens servare modum præscriptum in adimplendâ pœnitentiâ : nempe flexis genibus, brachiis extensis, etc.; an mortalis sit horum omissio?—Hoc pendet ex molestiâ, levi aut gravi, quam affert modus præscriptus, vel per se vel respectivè ad pœnitentem, et ex intentione confessarii. (S. Liguor., lib. 6, n° 517 *in fine*.)

3842. Quamprimùm est adimplenda pœnitentia, graviterque peccari potest nimiùm differendo : probabiliter tamen non est mortale ad mensem differre, si pœnitentia sit tantùm vindicativa; nimis benigna esset sententia quæ diceret non esse grave differre infra sex menses; probabiliùs reputanda est gravis dilatio duorum vel trium mensium. (S. Liguor., lib. 6, n° 521; Gury, tom. 2, p. 411.) — Quid sit faciendum casu quo pœnitens fuerit oblitus suæ pœnitentiæ, vide apud theologos morales; et S. Liguor., lib. 6, n° 520.

3843. Implens pœnitentiam in statu peccati mortalis, satisfacit quidem suæ obligationi, juxta communem sententiam, sed probabiliùs peccat saltem venialiter, quia ponere obicem effectui partiali sacramenti, non potest ab aliquâ culpâ excusari. S. Liguor., lib. 6, n° 523.

3844. Non est obligatio implendi pœnitentiam ante com-

munionem, ut constat variis propositionibus ab Alexandro VIII damnatis, videlicet 16, 17, 18, 22 (S. Liguor., lib. 6, n° 527) : imò nec ante absolutionem.— Reverà plures dicunt quòd, primis Ecclesiæ sæculis, pœnitentes non soliti erant absolvi nisi post peractam pœnitentiam ; sed hoc ab aliis negatur; vide infra (3858); et certum est quòd, labentibus sæculis, usus invaluit tribuendi absolutionem antequam pœnitentia peracta fuerit : et certè etiam aliquando hoc fiebat in antiquâ ætate, quando nempe martyres libellis commendabant pœnitentes, vel si quis præclaram pietatis significationem edidisset, vel ob alias causas, præsertim quando pœnitentia non erat publica. Meritò igitur, sæculo XV, Petrus Osmensis damnatus fuit à Sixto IV quòd docuerat satisfactionem esse absolutioni omnino præmittendam. Vide Devoti, lib. 2, tit. 2, sect. 4, § 86.

Quoad mutationem pœnitentiarum impositarum, vide S. Liguor., lib. 6, n^{is} 528, 529.

3845. Quærit. 3° An imponi possit pœnitentia publica? Ante responsionem quædam sunt prænotanda circa varias pœnitentiarum species :

Juxta Billuart, *Digress. historica*, t. 18, *in fine*, « fuit » olim in Ecclesiâ usus triplicis pœnitentiæ, scilicet *privatæ*, » *solemnis et publicæ : privata* in secreto agebatur... qualis » nunc peragitur..; hanc olim viguisse constat ex eo quòd » non omnia peccata subjicerentur pœnitentiæ publicæ.., » et tamen sunt omnia pœnitentiâ expianda ;— pœnitentia » *solemnis* erat quæ peragebatur cum certis solemnitatibus » et secundùm varios gradus, de quibus statim ; —*publica*, » quæ quidem publicè agebatur, sed sinè solemnitatibus » et gradibus...

» Qui pœnitentiæ solemnis stadium decurrebant ii propriè et simpliciter dicebantur *pœnitentes*, ut ait S. Augustinus (*Epist.* 265, *ad Seleuc., et serm.* 392). »

3846. Ab exordio Ecclesiæ ad Montanum, circa medium secundi sæculi, aliqualem usum pœnitentiæ publicæ quæ nondum erat solemnis, exstitisse constat exemplo Corinthii incestuosi, et mulierum à Marco prestigiatore oppressarum, de quibus meminit S. Irenæus (lib, 1, *adv. hæres.*, c. 9);

sed cùm Montanistæ catholicis exprobrarent quòd indulgerent idololatris, mœchis et homicidis, Ecclesia cœpit cum iis severiùs agere; nondum tamen instituit solemnem pœnitentiam.

3847. « Exortâ verò circa medium tertii sæculi hæresi » Novatianorum, qui Montanistis juncti peccatoribus » quibuscumque quantumvis pœnitentibus veniam et com- » munionem denegandam esse contendebant, atque sub » specioso disciplinæ zelo contra Ecclesiam quasi pollutam » debacchabantur, eò quòd... facilitate veniæ incentivum » peccandi præberet; Ecclesia ex unâ parte horum hæretico- » rum crudelitatem detestans, et ex alterâ ipsis querelarum » occasionem auferre volens, prudenter statuit omnibus » peccatoribus verè conversis veniam quidem esse conce- » dendam, nocentiores tamen severiori pœnitentiâ esse » mulctandos; ideoque pro istis instituit pœnitentiam » solemnem secundùm quatuor gradus, qui sunt : *Fletus*, » *Audientia*, *Substratio et Consistentia*. »

Horum meminit, circa idem tempus, S. Gregorius Thaumaturgus, can. 7, 8 et 9; Concil. Ancyr., anno 314, in can. 4 et 5; S. Basilius, circa ann. 370, *in Epistolâ ad Amphiloc.*, præsertim can. 75.

3848. « *Flentes* habitu sordido induti, cilicio circa collum » cooperti, cinere in capite deturpati, et per manuum » impositionem ab Episcopo ad pœnitentiam admissi, » stabant in porticu extra ecclesiam, sua peccata deflentes » ac detestantes et ingredientium preces implorantes. » Inter eos quidam dicebantur *hiemantes*.., qui ob crimen » bestialitatis extra porticum sub dio, instantiùs aliorum » commiserationem deprecabantur : his, ut quidam » volunt, jungebantur *energumeni*.

3849. » *Audientes* stabant intra fores ecclesiæ in propilæo, » ubi audiebant lectionem Scripturarum et sacras conciones, » indeque exire cogebantur antequam inchoaretur missa » catechumenorum.

3850. » *Substrati* stabant à foribus ecclesiæ usque ad » ambonem seu pulpitum, in quo legebantur Epistola et » Evangelium, et ibi prostrati seu genuflexi, variis pœnis

» et laboribus exercebantur, ita ut hæc statio antonomasticè vocaretur *Pœnitentia;* frequentes super hos fiebant manûs impositiones et orationes; cum catechumenis exibant ad Offertorium.

3851. » *Consistentes* stabant ab ambone usque ad sanctuarium; non egrediebantur cum catechumenis, sed precibus et sacrificiis cum aliis fidelibus usque ad finem assistebant, solâ eucharistiæ participatione privati...

»...Pœnitentes non poterant ad sacros ordines promoveri, nec matrimonium contrahere, neque ad uxorem accedere, et ideo conjugatis non imponebatur Pœnitentia solemnis, nisi altero conjuge consentiente; item non poterant militare, arma gestare, comas nutrire; tenebantur pedibus incedere et mortuos sepelire. » (Billuart, *ibidem.*)

3852. Sic autem ritum servatum in imponendâ pœnitentià publicâ describit S. Thomas, apud eumdem Billuart (*ib.*, *Dico* 4°).

« In capite Quadragesimæ, tales pœnitentes præsentant se cum presbyteris suis Episcopo civitatis ante fores ecclesiæ, sacco induti, nudis pedibus, vultibus in terram demissis, comâ depositâ; et eis in ecclesiam introductis, Episcopus cum omni clero septem psalmos pœnitentiales dicit, et postmodum eis manum imponit, aquam benedictam super eos spargit, et cinerem super capitibus superponit, cilicio colla eorum operit, et denuntiat eis lacrymabiliter, quòd sicut Adam ejectus est de Paradiso, ita ipsi de ecclesiâ ejiciuntur: postea jubet ministris ut eos ab ecclesiâ pellant, clero eos prosequente cum hoc responsorio: *In sudore vultûs tui*, etc. In cœnâ Domini, quolibet anno, à suis presbyteris in ecclesiam reducuntur: et erunt ibi usque ad Octavas Paschæ, ita tamen quòd non communicabunt nec pacem accipient: et sic fiet, quolibet anno, quousque aditus ecclesiæ fuerit eis interdictus. Ultima autem reconciliatio reservatur Episcopo, ad quem solùm spectat solemnis Pœnitentiæ impositio. » Ita S. Thomas (*Decreto* 50, cap. 65) (Est autem excerptum e Pœnit. Theodori).

3853. Rigor Pœnitentiæ solemnis in Ecclesiâ Orientali minui cœpit à tempore Nectarii, qui circa finem IV sæculi, Pœnitentiarium in suâ ecclesiâ sustulit; in Ecclesiâ autem Occidentali, nonnisi post septimum sæculum cœpit antiquari, et loco Pœnitentiæ solemnis injunctæ sunt peregrinationes, recessus in monasteria, eleemosynæ, etc.; hujusmodi mutatio tribuitur Theodoro Episcopo Cantuariensi, qui, cùm esset græcus, Ecclesiæ suæ ritum suo *Pœnitentiali* inseruit; de gradibus tamen Pœnitentiæ solemnis fit adhuc mentio in pluribus documentis usque ad X sæculum. Vide Devoti, lib. 2, tit. 2, sect. 4, § 79, *nota* 1.

3854. Porrò, etiam primitus, non omnes peccatores *vi canonum* subjiciebantur Pœnitentiæ solemni, sed tantùm ii quorum peccata erant aliquo modo publica; imò hoc solùm propter atrociora : præsertim, v. g. idololatriam, mœchiam et homicidium quibus postea quædam alia fuerunt adjuncta. Id pluribus demonstratur, et præsertim Concil. Neocæsar., c. 4; Epistolâ S. Basilii *ad Amphil.*; Epist. S. Gregor. Nyss., *ad Letojum*, can. 4; Concil. Vas. anni 442, can. 8; S. August., *serm.* 82, aliàs 16, *de verbis Domini*, c. 7; et Epist. 22, aliàs 64, *ad Aurelium;* Concil. Laodiceno 330, can. 7. —Vide ap. Devoti, *ibid.*, § 72-78.

3855. Diximus *vi canonum* : nam ex fervore contritionis plures peccatores sponte pœnitentiam solemnem amplectebantur; imò et plures innoxii ex zelo pietatis se illi voluntariè addicebant, ut multis factis constat ab eodem Billuart relatis (*ib.*, sect. 2).

3856. Insuper, quidquid dicant Morinus, Natalis Alexander, Jueninus et alii, sacerdotes et diaconi, quamvis possent spontè suscipere pœnitentiam solemnem, nunquam tamen ad eam subeundam lege latâ obnoxii fuerunt; constat tum can. 11, Carth. V, anno 392; tum Epist. S. Leonis *ad Rusticum Narbon.*, anno 443, ubi dicitur : « Alienum est à consuetudine ecclesiasticâ, ut qui pres- » byterali honore aut Diaconi gradu fuerint consecrati, » ii pro crimine aliquo suo, per manûs impositionem, » remedium accipiant pœnitendi : *quod sinè dubio ex apos-* » *tolicâ traditione descendit.* »

Poterant tamen ipsi, imò aliquando debebant subjici publicæ pœnitentiæ, quamvis non solemni. (Billuart., *ib.*, sect. 3.)

3857. Pœnitentia solemnis semel tantùm concedebatur, ut constat ex S. Ambr., lib. 2., *De Pœnit.*, cap. 10, ubi dicitur: « Sicut unum Baptisma, ita una Pœnitentia, quæ » tamen publicè agitur »; et S. August., *Epist. ad Maced.* 54, nunc 153.

Consultus autem ab Himerio Taracon., quomodo esset agendum cum iis qui post peractam solemnem pœnitentiam relaberentur, Siricius Papa, desinente sæculo IV, sic respondit: « De quibus, quia jam suffragium non habent pœ» nitendi (publicè), id duximus decernendum, ut solâ » intra ecclesiam fidelibus oratione jungantur, sacræ mys» teriorum celebritati, quamvis non mereantur, intersint; » à Dominicæ autem mensæ convivio segregentur..: quibus » tamen, quoniam carnali fragilitate ceciderunt, viatico » munere, cùm ad Dominum cœperint proficisci, per » communionis gratiam volumus subveniri. » Vide apud eumdem Billuart. *ib.*, sect. 4, hujusmodi disciplinæ varia motiva, quorum sanè unum erat ne, ex iteratione, Pœnitentia solemnis vilesceret; sed, ut ex ipsâmet responsione Siricii constat, alicui pœnitentiæ peccatores recidivi addicebantur.

3858. Quandonam autem sacramentaliter absolvebantur solemni pœnitentiæ addicti, vide discussum apud eumdem Billuart (*ibid.*, sect. 5), qui probabiliùs putat, contra Tournely, hujusmodi pœnitentes fuisse sacramentaliter absolutos ante persolutam pœnitentiam; ultimam verò reconciliationem per Episcopum factam, nihil aliud esse quàm reconciliationem cum Ecclesiâ per admissionem ad Eucharistiam et cæterorum bonorum ecclesiasticorum participationem. Probat præsertim ex Sozomeno, qui loquens le Pœnitentiario (lib. 7, c. 16), sic ait: « Ad quem accedentes » ii qui deliquerant, actus suos confitebantur; ille verò pro » cujusque delicto, quid aut facere singulos aut luere oporteret, pœnæ loco indicens, *absolvebat confitentes, à seipsis* » *pœnas criminum exacturos.* » En apertè absolutio sacra-

mentalis data ante peractam satisfactionem; de ultimâ verò reconciliatione sic pergit idem Sozomenus : « Ubi verò præs-» titutus dies advenit, tanquam debito quodam persoluto, » à pœnâ commissi sceleris liberatur et reliquo Ecclesiæ » populo sociatur. » Ergo, etc.

3859. His, circa solemnem Pœnitentiam olim usurpatam, et circa varias Pœnitentiæ species, explicatis, ad quæstionis propositæ solutionem nunc devenimus :

1° Certum videtur quòd Pœnitentia solemnis vel non ampliùs hodie possit imponi, vel saltem non debeat nisi per Episcopos.

2° Certum etiam est Pœnitentiam publicam non posse pro peccato occulto imponi : unde in *Rituali Romano* dicitur : « pro peccatis occultis quantumvis gravibus, manifestam pœnitentiam non imponat. »

3860. — 3° An autem pro peccato publico imponi possit pœnitentia publica? — Negant nonnulli; sed communiter affirmatur, et probatur ex cap. *Manifesta* 1, *De Pœnit.*, ubi dicitur : « Manifesta peccata non sunt occultâ correp-» tione purganda » ; et ex Conc. Trident. (sess. 24, cap. 8) : « huic (peccatori publico) condignam pro modo culpæ » pœnitentiam *publicè* injungi oportet. »

Hinc plures à S. Liguorio citati (lib. 6, n° 512) dicunt confessarium non solùm posse, sed etiam aliquando teneri publicam pœnitentiam imponere, sed casu tantùm quo scandalum aliter reparari non posset; alioquin confessarius talem publicam pœnitentiam reluctanti non debet injungere : scandalum enim potest reparari per publicam sacramentorum frequentationem et alia publica pietatis opera; unde Fagnanus refert quòd S. C. noluerit declarare an in foro sacramentali pro publicis peccatis publicæ pœnitentiæ essent imponendæ.

Cæterùm « Episcopus, inquit Trident. (sess. 24, c. 8), » publicæ hoc pœnitentiæ genus in aliud secretum poterit » commutare, quando ita magis judicaverit expedire. »

3861. Hìc utile ducimus aliquid adjungere de pœnitentialibus canonibus, ut pœnitentes faciliùs inducantur ad

majorem pœnitentiam acceptandam aut ferventiùs implendam eam quæ ipsis imponitur.

Circa 1m *præceptum*. Qui à fide desciverit, pœnitentiam aget annis decem; qui auguriis et divinationibus servierit, vel incantationes diabolicas fecerit, annis septem; qui magos consuluerit, annis quinque.

Circa 2m *præceptum*. Quicumque pejeraverit, pœniteat 40 dies in pane et aquâ, et per septem sequentes annos, et nunquam sit sinè pœnitentiâ; si quis Deum vel B. Virginem, vel aliquem Sanctum publicè blasphemaverit, præ foribus ecclesiæ stet, diebus Dominicis septem, dum solemnia missarum aguntur, ultimâque ex illis die, sinè pallio et calceamentis, ligatus corrigiâ circa collum, septemque præcedentibus feriis sextis, in pane et aquâ jejunet, ac singulis illis diebus Dominicis tres aut duos aut unum pauperem pascat, si potest; alioquin aliâ pœnitentiâ afficiatur: recusanti, ecclesiæ ingressus interdicatur, et in obitu ecclesiasticâ careat sepulturâ.

Circa 3m *præceptum*. Qui opus aliquod servile die Dominico Festove fecerit, pœnitentiam aget tres dies in pane et aquâ.

Circa 4m *præceptum*. Qui parentibus maledixerit, per 40 dies pœnitens sit in pane et aquâ; qui parentes injuriâ affecerit, tres annos pœniteat; qui eos percusserit, annos septem.

Circa 5m *præceptum*. Si quis hominem occiderit, ad januam ecclesiæ semper erit, et in obitu communionem recipiet; qui occidendi consilium dedit, pœnitentiam agat 40 dies in pane et aquâ, cum septem sequentibus annis: si qua mulier sponte abortum fecerit, pœnitentiam aget annos tres; quæ nolens filium oppresserit, dies 40 in pane et aquâ oleribus ac leguminibus; abstinebit à conjuge dies totidem, deinde pœnitens erit tres annos per legitimas ferias, tres præterea quadragesimas in anno observabit; quæ ad occultandam suam turpitudinem filium necat, pœniteat annos decem; si ex irâ subitâ aut in rixâ, hominem aliquis occiderit, pœniteat annos tres: vulnerans tantùm aut membrum præcidens, pœniteat unum annum per legitimas ferias.

Circa 6^m^ *præceptum*. Laicus fornicator pœnitens erit per tres annos ; qui cum duobus sororibus fornicatus fuerit, aut filiam spiritualem violaverit, perpetuam aget pœnitentiam ; qui incestum non ita enormem fecerit pœniteat 12 annos. Presbyter suam filiam spiritualem, quam nempe baptizavit vel quæ sibi confessa est, carnaliter cognoscens, pœniteat 12 annos : et si crimen sit manifestum, debet deponi, peregrinando 12 annos pœnitere, et postea monasterium ingredi pro totâ vitâ. Pro adulterio, septennii et decennii pœnitentia imponitur.

Circa 7^m^ *præceptum*. Si quis furtum de re non magnâ fecerit, pœniteat per annum ; qui de sacrâ supellectili vel thesauro Ecclesiæ, per annos septem ; qui usuras accipit, rapinam facit, pœniteat annos tres, unum in pane et aquâ.

Circa 8^m^ *præceptum*. Qui falso testimonio consenserit, pœniteat annos quinque ; falsarius, in pane et aquâ pœniteat quamdiu vixerit. Proximi detractor septem dies in pane et aquâ.

Circa 9^m^ et 10^m^ *præceptum*. Rem alienam nefariè concupiscens pœniteat tres annos ; —qui concupiscit fornicari, si Episcopus, annos septem ; presbyter, annos quinque ; Diaconus vel monachus, tres ; clericus aut laicus, annos duos.

Circa *præcepta Ecclesiæ*. Qui jejunia ab Ecclesiâ indicta violaverit, pœniteat dies 20 in pane et aquâ ; qui jejunium in Quadragesimâ infringit, pro unâ die pœnitentiam agat dies septem ; carne vescens in Quadragesimâ sinè necessitate, in Paschâ non communicet, et à carne abstineat. Vide alia, apud S. Liguor., lib. 6, n° 530.

ART. IV.

DE MINISTRO SACRAMENTI PŒNITENTIÆ.

3862. « Si quis dixerit... non solos sacerdotes esse Mi-
» nistros absolutionis, sed omnibus et singulis Christi fide-
» libus esse dictum : *Quæcumque ligaveritis super terram*,

» etc.; et : *quorum remiseritis peccata*, etc.: anathema sit. » Ita Concil. Trident. (sess. 14, can. 10).

Diximus supra (1550-1552), Ministrum sacramenti Pœnitentiæ non tantùm debere esse sacerdotem, sed insuper indigere jurisdictione, quia per modum judicii hoc sacramentum administratur; hæc autem jurisdictio est vel ordinaria vel delegata; at in hoc posteriori casu, sacerdos debet necessariò esse approbatus ab Episcopo loci, saltem si agatur de sæcularium confessione. Satis verò de his disseruimus, loco modò indicato et numeris subsequentibus, sicut etiam de reservatione peccatorum: quæ ergo expendenda adhuc supersunt, diluentur in subsequentibus paragraphis.

§ I.

Quænam fuerint sancita à Bened. XIV, circa confessionem Complicis.

3863. Duo Decreta edidit Bened. XIV, unum 1 junii 1741, incipiens *Sacramentum Pœnitentiæ*, alterum 8 febr. 1745, incip. *Apostolici muneris*, quibus sancivit confessarium omni carere jurisdictione ad absolvendum peccatum turpe complicis contra sextum decalogi præceptum, atque excommunicationem papalem incurrere si confessionem complicis excipiat; excipitur casus extremæ necessitatis, nimirum articuli mortis, modò deficiat quicumque alius sacerdos, etiam non approbatus, qui absolutionem impertiri possit, nisi ille nequiret vocari vel accedere sinè gravi infamiâ aut scandalo; tenetur tamen confessarius complex talia pericula infamiæ aut scandali avertere, si potest, et id sub eàdem pœnâ excommunicationis; licet tunc validè absolveret, si non averteret. Ita S. Liguor., lib. 6, 553.— Attamen, nec in istis Constitutionibus nec in jure communi, peccatum præfatum est reservatum pro confessariis non complicibus; sed in quibusdam diœcesibus et notanter in hàc Valentinensi reservatur, non solùm quoad confessarium complicem, sed quoad omnes confessarios.

3864. 1° Nomine *peccati turpis* venit omne peccatum externum grave, contra sextum Decalogi præceptum,

v. g. *tactus*, *colloquium*, etc.; etiam cum personâ ejusdem sexûs (P. Gury, tom. 2, n° 445) : in hoc quidem aliqui dissentiunt, et volunt intelligere tantùm de copulâ consummatâ, sed immeritò juxta S. Liguorium, cujus vide rationes *ibidem*, n° 554.

3865. 2° Absolutio nulla omninò videtur etiam quoad cætera peccata mortalia quorum complex nondum fuit ab aliis absolutus : hoc infertur ex his Bullæ vocibus : « *Atque* » *ideo absolutio nulla atque irrita omninò sit.* » Secus verò si de peccato turpi, jam fuerit absolutus : quia tunc cessat indispositionis suspicio, ob quam Pontifex videtur abstulisse jurisdictionem. S. Lig. (*ib.*, 555); Gury, tom. 2, n° 444.

Vide insuper dicta supra circa reservationem peccati complicem absolventis (1647).

3866. Peti potest an incurrat excommunicationem sacerdos qui non absolvit complicem, sed tantùm in confessione audit?

S. Pœnitentiaria à S. Liguorio consulta super hoc dubium sequentem dedit responsionem, 9 julii 1751 : « Non » vitari excommunicationem à prædicto confessario per » fictionem absolutionis. » Observat autem S. Lig. se postea invenisse contrarium satis apertè declaratum in Constit. Bened. XIV, *Inter præteritos*, ubi dicitur, § 59 : « Non » minus sacerdoti complici, qui vel extra mortis arti» culum confessionem excipit pœnitentis *eumque absol-* » *vit*, vel qui in articulo mortis *absolvit*, cùm alius sacer» dos non desit..., excommunicationis majoris pœna à » Nobis in citatis Constitutionibus imposita fuit. » V. App. X.

3867. Quæritur an in morte absolvi valeat pœnitens à suo complice, si alteri confiteri recuset.—Affirmat Gury cum Emin. Gousset, si talis pœnitens aliunde sit dispositus. V. Gury, tom. 2, n° 446; et C. Gousset, *Théol. Mor.*, n° 489.

§ II.

De Confessariis sollicitantibus.

3868. In citatâ Constit. *Sacramentum Pœnitentiæ* sic habet Bened. XIV : « Dudum quidem à felicis record. Gregor. XV...

» per suas litteras in formâ Brevium... 30 aug. 1622...,
» sapienter provisum fuit contra quoscumque sacerdotes
» audiendis confessionibus deputatos ad turpia et inhonesta
» sollicitantes : et deinceps... à Congregatione Vener...
» S. R. E. Cardin. adversus hæreticam pravitatem... Inqui-
» sitorum 11 febr. 1661, prodierunt Decreta... Nos itaque...
» omnia et singula decreta prædicta... approbamus et confir-
» mamus..., atque quatenus opus sit denuò committimus...
» omnibus locorum Ordinariis... in suis respectivè diœce-
» sibus, ut diligenter inquirant et procedant contra omnes
» et singulos sacerdotes, tam sæculares quàm regulares
» quomodolibet exemptos... qui aliquem pœnitentem,
» quæcumque persona illa sit, vel in actu sacramentalis
» confessionis, vel ante, vel immediatè post confessionem,
» vel occasione, vel prætextu confessionis, vel etiam extra
» occasionem confessionis in confessionali, sivè in alio
» loco ad confessiones audiendas destinato aut electo,
» simulatione audiendi ibidem confessionem, ad inhonesta
» et turpia sollicitare, vel provocare, sive verbis, sive
» signis, sive nutibus, sive tactu, sive per scripturam aut
» tunc aut post legendam, tentaverint, aut cum eis illi-
» citos et inhonestos sermones, vel tractatus temerario
» ausu habuerint [1]; et quos... culpabiles repererint, in
» eos pro criminum qualitate.., severè animadvertant per
» condignas pœnas, juxta memoratam Gregorii... Consti-
» tutionem..., dantes etiam... facultatem, ne delictum tam
» enorme... remaneat, ob probationum defectum, impu-
» nitum..., procedendi cum testibus etiam singularibus,
» dummodo præsumptiones, indicia et alia adminicula
» concurrant.

» Meminerint præterea omnes et singuli sacerdotes ad con-
» fessiones audiendas constituti, teneri se ac obligari, suos
» pœnitentes, quos noverint ab aliis fuisse, ut supra sollicita-
» tos, sedulò monere, juxta occurrentium casuum circums-
» tantias, de obligatione denuntiandi... locorum Ordinariis

[1] Quomodo sint intelligendæ illæ variæ formulæ, vide expensum ap. S. Liguor., lib. 6, n^is 676-680.

» prædictis, personam quæ sollicitationem commiserit,
» etiamsi sacerdos sit qui jurisdictione ad absolutionem validè impertiendam careat, aut sollicitatio inter confessarium et pœnitentem mutua fuerit, sive sollicitationi pœnitens consenserit, sive consensum minimè præstiterit, vel longum tempus post ipsam sollicitationem jam effluxerit, aut sollicitatio à confessario, non pro seipso, sed pro aliâ personâ peracta fuerit. Caveant insuper diligenter confessarii ne pœnitentibus, quos noverint jam ab alio sollicitatos, sacramentalem absolutionem impertiant, nisi priùs denuntiationem prædictam ad effectum perducentes, delinquentem indicaverint competenti judici, vel saltem se, cùm primùm poterunt, delaturos spondeant, ac promittant. » V. suprà (1637, X).

3869. Paulò post adjicitur contra eos qui innocentes sacerdotes calumniarent : «... Quæcumque persona quæ execrabili hujusmodi flagitio se inquinaverit, vel per seipsam innocentes confessarios impiè calumniando, vel scelestè procurando ut id ab aliis fiat, à quocumque sacerdote quovis privilegio, auctoritate et dignitate munito, præterquam à Nobis, Nostrisque Successoribus, nisi in fine vitæ, et excepto mortis articulo, spe absolutionis obtinendæ, quam Nobis et Successoribus... reservamus, perpetuò careat. » V. suprà (1646).

3870. In Edicto autem Generalis Inquisitionis 10 martii 1677, imponitur excommunicatio latæ sententiæ in non denuntiantes, intra mensem, omnes de hæresi suspectos, inter quos enumerantur confessarii sollicitantes ad turpia.

Quamvis, ex edicto præfato S. Congr. Inquisit. excommunicatio non sit absolutè reservata, ab eâ tamen pœnitentes non possunt absolvi, nisi priùs factâ denuntiatione, saltem quando justam non habent causam illam differendi. Vide S. Liguor., lib 6, nº 693 : imò absolvi nequeunt, juxta Stremler (p. 109 *in fine*, § 17), etiam in hoc ultimo casu.

3871. In Bullâ *In generali Congregatione*, hæc insuper sancivit Bened. XIV : « In posterum, sacerdotes tam sæculares quàm regulares cujuscumque Ordinis.., vel in actu sacramentalis Confessionis, sive illius occasione aut præ-

» sacramentalis confessionis, sive illius occasione, aut præ» textu, ad turpia sollicitantes, vel sacrificio Missæ abu» tentes ad sortilegia, præter pœnas à jure, etc. . contra » eosdem inflictas, perpetuam etiam inhabilitatem incur» rant ad præfati sacrificii celebrationem.» Hæc Bulla reperitur initio Theologiæ Moralis S. Liguorii, *Decretum* III ; an verò prædicta pœna incurratur ante sententiam declaratoriam criminis, vide S. Liguor. (lib. 6, n° 705), et *infrà* n° 6310. Est ferendæ sententiæ juxta Instr. Inquis. 1867.

3872. Observat idem S. Liguor. (*ibid.*) quòd pauci ex professo præsentem materiam tractent : fortè, inquit (*ibid.* 675), quia non ubique Bulla Gregorii XV fuerit recepta, prout asserit Anacl. de Germaniâ, et Palaus de Hispaniâ ; sed pergit idem Sanctus, advertendum quòd Bened. XIV sancita à Gregorio XV confirmavit in Bullâ *Sacramentum*. Quoad autem Galliam, asserit P. Gury Bullas contra sollicitantes non vigere in eâ, licet præcipuæ earum dispositiones jure particulari ferè in omnibus diœcesibus præscribantur ac observentur. Vide edit. 5ª, n° 449, *nota* 1ª ; sed idem in posterioribus editionibus se retractavit. V. edit. 16ª, p. 349, et supra (1637, X).

Circa prælaudatas Constitutiones duo sunt expendenda :

3873. Quærit. 1° Quinam sollicitantes sint denuntiandi ?

1° Controvertitur an sit denuntiandus confessarius consentiens mulieri sollicitanti in confessione (S. Lig., *ib.*, 681). Sed juxta Instr. Inquis. 20 febr. 1867, est tunc obligatio denunt. ob declar. 11 febr. 1661, et C. *Sacramentum*

3874. — 2° Juxta communissimam et probabiliorem sententiam, denuntiandus est tantùm confessarius qui ad turpia sollicitat, non verò si ad alia sollicitet peccata. Hoc quidem ex vi præfatarum Constitutionum : nam ex jure naturali aliud est dicendum. (S. Liguor., *ibid.*, n° 684.)

3° Etsi plures negent, meliùs tamen affirmatur in his Decretis comprehendendos esse etiam Episcopos et alios Prælatos. (S. Liguor., *ibid.*, n° 685.)

3875. — 4° Controvertitur utrum sit denuntiandus confessarius sollicitans, qui signa veræ emendationis ostendit : hunc esse etiam denuntiandum absolutè probabilius judicat S. Liguor., *ibid.*, n° 686.

3876.— 5° Item longè probabilius habet S. Liguor. (*ibid.*, n° 687), contra nonnullos, denuntiandum esse confessarium qui de sollicitatione jam fuerit satis convictus et punitus; si verò non fuisset jam plenè convictus, vel si iterum deliquisset, certò esset denuntiandus.

3877. — 6° Laicus se confessarium simulans non esset quidem denuntiandus ex supra dictis Constitutionibus si sollicitaret, sed denuntiari deberet ex Const. Gregorii XIII, ubi denuntiari jubetur quicumque non sacerdos, qui confessiones audit sacramentaliter : etsi non daret absolutionem, juxta Edictum S. Inquisitionis Generalis à S. Liguor. relatum, lib. 6, n° 688.

7° Probabiliùs denuntiandi non sunt confessarii sollicitantes, qui jam è vitâ migraverint. (S. Liguor., *ib.*, n° 692.)

3878. — 8° Casu quo dubitatur an dictum vel factum fuerit vera sollicitatio, confessarius non est denuntiandus, juxta veriorem et communiorem sententiam, nisi accederent indicia de sollicitatione vehementissima. Vide de his plures casus particulares à S. Liguor. decisos (lib. 6, n[is] 703 et 704).

3879. Quærit. 2° Quinam ad denuntiandum sollicitantes teneantur?

Resp. Ad id tenentur regulariter omnes pœnitentes sollicitati, etsi consenserint sollicitationi, ut constat ex Bullâ supra relatâ Bened. XIV *Sacramentum;* nec possunt absolvi, nisi priùs denuntient : ex Decreto tamen Sacræ Inquisitionis, 27 sept. 1724 : « Si mulier consentit confessario sollicitanti, » non tenetur suum consensum manifestare, nec potest » super hoc ab Episcopo interrogari. » Dicit autem P. Gury (tom. 2, n° 453) quòd « si adsit extraordinarium incom» modum, v. g., periculum grave infamiæ, quod nequeat » præteriri, posset confessarius absolutionem impertiri. » Item si prævideat confessarius pœnitentem, in bonâ fide » versantem circa obligationem denuntiationis, nunquam » adductum iri ad legi Ecclesiæ satisfaciendum. » Vide etiam DD. Bouvier, *Dissert. in sextum præceptum*. In hoc ultimo casu satius esset recurrere ad Sacram Pœnitentiariam, ut dicetur infra (3888). —De casu v. Instr. Inquis. 20 febr. 1867, n° 7.

3880. Admonendus est pœnitens de suâ obligatione, etsi confessarius certò prævideat quòd non sit denuntiaturus, licet enim, generatim loquendo, confessarius debeat se abstinere ab admonendo pœnitente quando prævidet admonitionem non esse profuturam, « hoc tamen non currit, » inquit S. Liguor. (lib. 6, n° 694), quando agitur de » vitando damno communi, ut evenit in præsenti casu. »

3881. Ad denuntiandum etiam tenetur ille qui sollicitationem nequit juridicè probare, juxta propositionem 5, ab Alexandro VII proscriptam, quæ sic habet : « Quamvis » evidenter tibi constet Petrum esse hæreticum, non teneris » denuntiare si probare non possis. » (S. Liguor., lib. 6, n° 695.)

3882. Item est obligatio denuntiandi sollicitantem, etsi crimen sit occultum, alioquin præceptum denuntiandi in præsenti casu inutile evaderet, ut patet. (S. Liguor., lib. 6, n° 696.)

3883. Idem dicendum, etsi nulla præcesserit correctio fraterna, etiam cum morali spe quòd sit profutura, ut deduci posse videtur ex Decreto Alexandri VII, 8 julii 1661, ubi declaratum fuit: « Etiamsi nulla fraterna correctio vel » alia monitio præmissa fuerit, omnes teneri (fideles) ad » denuntiandum quos noverint esse de fide quomodolibet, » etiam leviter, suspectos », quales habentur communiter confessarii sollicitantes. Per dicta verba S. Pontifex supponit semper denuntiationem esse faciendam. (S. Liguor., lib. 6, n° 701.)

3884. Non solùm ad turpia sollicitatus tenetur ad denuntiandum, sed regulariter quicumque scit certò sollicitationem, etsi impubes sit, modò sciat crimen, non à personis parùm fide dignis, puta feminis levibus ; et hoc quidem, non vi Constitutionum prædictarum, sed ex Edicto Inquisitionis, quorum verba à S. Liguor. referuntur (lib. 6, n° 680, *in fine*) ; vide etiam *ibid.*, n° 695.

3885. Diximus *regulariter*, quia sunt casus excipiendi ; nempe, v. g., si sollicitatio fuerit manifestata ad petendum consilium : quia bonum commune exigit tunc ut secretum servetur.

Si verò sub secreto tantùm naturali aliquis sciret sollicitationem, rectè tenent Palaus et alii, contra nonnullos, esse tunc obligationem denuntiandi, quia nemo tenetur ad secretum, etiam cum juramento promissum, quando vergit in damnum commune. (S. Liguor., lib. 6, n° 698.)

3886. Si autem esset impedimentum ad statim denuntiandum, v. g., si ministri Tribunalis longè distarent, vel si esset necessitas communicandi, ad vitandum scandalum, aut ad lucrandam indulgentiam, dari posset in his casibus absolutio, modò pœnitens paratus esset ad quamprimùm denuntiandum, prout dicitur in supradictâ Constit. *Sacramentum.*

3887. Non autem excusatur pœnitens à faciendâ denuntiatione, ob timorem ne incurrat indignationem et increpationem denuntiati. Vide P. Gury, tom. 2, n° 452.

3888. Si Superiorem adire nequeat, non ideò mulier sollicitata immunis est ab obligatione denuntiandi; sed veriùs debet denuntiationem facere, etiam per epistolam, vel personam mediam : quia qui tenetur ad finem tenetur etiam ad media, modò absit periculum propriæ infamiæ. Vide S. Liguor., lib. 6, n° 699, qui advertit : « non » expedire quòd confessarius assumat in se hoc onus » deferendi denuntiationem vice pœnitentis, vel eam » excipiendi, quia sic non paucis detractionibus et peri» culis exponeretur; et tantò minùs ad id tenetur... Cæte» rùm (pergit idem) non negamus... quòd in aliquo casu » (puta si alicubi publicum immineret damnum, nec alia » pateret via ad illud vitandum) posset confessarius obli» gari ex lege charitatis ad hujusmodi onus suscipien» dum ; sed hoc rarò accidit.

» ... Item notat Mazzott. quòd, in Decreto Sacræ Inquisi» tionis (*ibid.* citato), insuper dictum sit quòd, si neque » apud ipsum confessarium possit pœnitens adduci ad de» nuntiandum, tunc recurratur ad S. Sedem pro opportuno » remedio, et interim non absolvatur. » Vide etiam Stremler (*Traité des peines ecclés.*, p. 108 et 117), juxta quem (*ib.*, p. 118) omnis denuntiatio anonyma ut falsa est reputanda et *habenda ut infecta.*—De his v. Instr. Inquis. 1867.

3889. Ita S. Liguorius ; juxta tamen Stremler (*ib.*), » neque satisfaceret legi qui denuntiaret per nuntium, seu » mandatarium, quia talis denuntiatio non esset personalis » qualis requiritur » · et citat Giraldum, *Expos. juris*, pars 3, tit. 7, *de hæreticis*. — Nihilominus idem Stremler (*ibid.*) concedit quòd Episcopus posset rogari per alium, v. g., confessarium, ut delegatum mitteret qui, formâ consuetâ, denuntiationem exciperet. Sed v. Instr. Inquis. 1867.

3890. Sic autem procedere debet Episcopus : coram duobus ecclesiasticis, quorum unus Secretarii munus obit et acta omnia scripto refert, excipit litteram à confessario allatam, vel preces vivâ voce factas nomine mulieris denuntiantis : deinde eidem confessario committit ut, loco notarii, excipiat denuntiationem juridicam suæ pœnitentis ; confessarius sub juramento promittit se fideliter munus suum esse impleturum, et secretum esse servaturum sub pœnâ excommunicationis latæ sententiæ Sedi Apostolicæ reservatæ ; tunc iste adit pœnitentem, et accepto ipsius juramento, ejus denuntiationem juridicam excipit et in scriptis redigit : vide hæc omnia fusiùs explicata apud eumdem Stremler (*ib.*, p. 120, etc.). Hæc passim apud nos non observantur sed, in casu supposito, denuntiatio fit evangelicè, non verò juridicè. Sed hoc non sufficit juxta S. Inquisitionem.

Processus confici debet ab Inquisitore vel ab Ordinario, non modo consueto, sed eo quo fiunt processus apud S. Officium (*ibid.*, p. 122 et 124) ; et si adsint tantùm testes singulares, etiam cum *adminiculis et indiciis*, pœnæ non sunt imponendæ, sed res integra et omnia acta processûs transmittenda sunt ad Tribunal Sacræ et Universalis Inquisitionis Romanæ (*ib.*, p. 126) ; posset tamen Episcopus confessarium sæpe sollicitantem à confessione suspendere ex informatâ conscientiâ (*ibid.*, 127), modò de frequentia sollicitationis certioratus esset ex pluribus denuntiationibus. De his legenda est Instr. Inquis. 1867, *De reb. ven.*, nº 135.

3891. Hæc dicta sunt juxta sancita à SS. Pontificibus : at hic quæri potest an sit obligatio ex jure naturali sacerdotem corruptorem denuntiandi.

Affirmativè videtur esse respondendum cum P. Gury,

tom. 2, n° 552, DD. Bouvier, *Dissert. in sextum Decalogi præceptum*, non solùm quoad confessarium, sed etiam quoad sacerdotem valde perniciosum magna scandala præbentem aut multos fideles corrumpentem, vel si prævideatur quòd sit corrupturus : est enim lupus in ovili, quo viso, omnes, absque morâ, clamare debent. Sed extra casum suppositum, generatim Episcopus non potest pœnitentem obligare ad denuntiandum confessarium vel sacerdotem ad turpia sollicitantem. Vide Stremler (*ibid.*, p. 131), et infra dicenda (5844).

§ III.

Quænam sit obligatio Sigilli Confessionis.

3892. Per Sigillum Confessionis intelligitur *arctissima obligatio servandi secreta ea quæ accepta sunt per Confessionem Sacramentalem.*

Hæc autem arctissima obligatio nititur 1° *jure naturali* jubente servari secretum circa audita in confessione, ne fama proximi lædatur et ne committatur irreverentia in sacramentum, quod inutile et odiosum redderetur.

2° *Jure divino :* Deus enim non potuit instituere Sacramentum Pœnitentiæ et exigere ut ad illud, per confessionem etiam secretam, recurrant pœnitentes, quin simul omnia præceperit, sinè quibus nunquam, vel saltem rarissimè possent adduci ad hoc remedium adhibendum ; porrò nisi ad strictissimum secretum astringerentur ministri sacramenti Pœnitentiæ, nunquam vel rarissimè pœnitentes suaderi possent quominus sua peccata confiterentur; ergo, etc.

3893. — 3° *Jure ecclesiastico :* sic enim habet Gregorius apud Gratianum *de Pœnitent.*, dist. 6, cap. 2 : « Sacerdos » ante omnia caveat ne de his, qui ei confitentur peccata, » alicui recitet, non propinquis, non extraneis, neque, » quod absit, pro aliquo scandalo; nam si hoc fecerit, » deponatur, et omnibus diebus vitæ suæ, ignominiosus, » peregrinando pergat. »

Eadem decernit Concil. Lateran. IV, sub Innocentio III.

in canone *Omnis utriusque sexûs,* commutando tamen perpetuam peregrinationem in perpetuam pœnitentiam in arcto monasterio peragendam : « Caveat autem omninò » sacerdos ne verbo aut signo aut alio quovis modo » aliquatenus prodat peccatorem ; sed si prudentiori con- » silio indiguerit, illud absque ullâ expressione personæ » cautè requirat : quoniam qui peccatum in pœnitentiali » judicio sibi detectum præsumpserit revelare, non solùm à » sacerdotali officio deponendum decernimus, verùm » etiam, ad agendam perpetuam pœnitentiam, in arctum » monasterium detrudendum. »

3894. Circa hanc obligationem sequentia sunt observanda :

1° In omni casu obligat Sigillum, et quamvis ageretur de salvandâ Republicâ, tacenda essent dicta in confessione, etiam post mortem pœnitentis : quippe revelatio redderet Sacramentum onerosum vel odiosum. S. Liguor., lib. 6, n° 634.

3895. — 2° Triplicem malitiam continet violatio Sigilli, nempe sacrilegii, contra sacramentum ; gravis infidelitatis, promissum non servando secretum ; et detractionis, si peccatum non sit publicum. Ita communiter (S. Liguor., lib. 6, n° 635). —Non datur parvitas materiæ in violatione Sigilli, saltem quando est directa; dari verò posse in revelatione indirectâ putat P. Gury (tom. 2, n° 497), quando nempe parum probabile est periculum revelationis.

3896. — 3° Quidquid alibi dixerit S. Liguor., re accuratiùs perpensâ (lib. 6, n° 633), putat omnino esse dicendum quòd nemo possit uti scientiâ habitâ ex confessione, nisi certum sit moraliter quòd ex tali usu nulla evenit confessionis revelatio, et nullum pœnitenti gravamen : quia non est licitum uti opinione probabili in præjudicium juris certi quod alter possidet. (Lib. 6, n° 633.)

3897. — 4° Non inducitur obligatio Sigilli per confessionem fictam, v. g., ad furandum, ad illudendum, ad se conquerendum, vel sacerdotem pervertendum, etsi tunc prudenter sit tacendum; item non inducitur per manifestationem sub sigillo extra confessionem : quia tunc est

tantùm obligatio secreti naturalis; — sed inducitur ex confessione factâ ad obtinendam absolutionem, etsi pœnitens recedat indispositus. (S. Liguor., lib. 6, n[is] 636 et 637.)

3898. — 5° Sub sigillum cadunt : 1° omnia peccata pœnitentis; 2° peccata complicis, sed in favorem tantùm pœnitentis : unde, juxta communissimam sententiam, non violaretur sigillum, si complex admoneretur de licentiâ pœnitentis, ut resipisceret; 3° pœnitentia imposita, si gravis sit; 4° peccatorum circumstantiæ, quas taceri pœnitenti interest. (S. Liguor., lib. 5, n[is] 640 et 641.) — Quoad verò virtutes et bona pœnitentis, aut defectus ipsius naturales, vide *ib.*; et n[is] 642-644.

3899. Circa hos defectus pœnitentis, quæri potest quid agere deberet confessarius si, postquam pœnitens se accusavit de materiâ gravi, adverteret illum esse surdum et non adæquatè respondere suis interrogationibus : — « Si circa » initium confessionis (id) advertat..., inquit S. Liguor. » (*ibid.*, n° 644), imponat ei ut redeat alio tempore et loco » opportuno, ubi loqui liberè possit confessarius, ne alii » audiant, et interim patefacere potest aliis surditatem » pœnitentis, quando talis defectus communiter fit patens; » si verò advertat hoc in progressu confessionis..., tunc » non licet confessario altâ voce imponere pœnitenti ut » redeat, ita ut circumstantes hoc audiant, quia magna » daretur eis suspicio quòd materiam gravem ille sit con» fessus : ideoque, in tali casu..., puto quòd confessarius, » intelligendo peccata meliori modo quo possit, absolvat, » absolutè quidem, si pœnitens probabiliter censeatur dis» positus; sub conditione verò, si de dispositione dubi» tetur. »

3900.— 6° Ad Sigillum tenentur omnes ad quos pervenit quomodocumque notitia sacramentalis confessionis, quales sunt : 1° confessarius; 2° superior absolvens à reservatis, vel à quo petitur licentia à reservatis absolvendi; 3° interpres saltem juxta probabiliorem sententiam; 4° qui furtivè vel casu, aliquid audit de confessione : sic pariter tenentur ad sigillum ii in quorum præsentiâ fit confessio ex necessitate puta in naufragio, conflictu, etc.; secus verò, si pœ-

nitens tantùm, ad suam confusionem, velit publicè confiteri; 5° omnes quibus aliquid sacrilegè revelatum est, unde de hoc nec inter se colloqui possunt; 6° juxta communiorem et probabiliorem sententiam (nam de hoc controvertitur), Doctor vel alius qui, cum pœnitentis veniâ, consulitur; 7° qui scribunt confessionem rudium, vel eorum qui ignorant linguam confessarii, quoties vix alio modo confessio fieri posset. (P. Gury, tom. 2, n° 498.)

3901. Juxta verò probabiliorem sententiam, ad sigillum non tenetur, sed solùm ad secretum naturale, is à quo pœnitens petit consilium in ordine ad suam confessionem; excipit tamen S. Liguor. (lib. 6, n° 649) casum quo pœnitens committit sacerdoti peccata sua propter suam confessionem eidem postea faciendam, quia hujusmodi manifestatio est quædam inchoata confessio, dum pœnitens tunc præmittit hanc manifestationem ut citiùs postea confessionem expediat.

Item juxta communissimam sententiam, ad sigillum non tenetur qui legit chartam in quâ pœnitens scripsit suam confessionem: quia illa scriptura non est actualis confessio; secus si mutus confiteatur confessario præsenti, et casualiter confessionem scriptam aliquis legeret; secus etiam si quis legeret epistolam in quâ petitur licentia absolvendi ab aliquo casu reservato; vel si legeretur charta relicta in confessionali post confessionem peractam, vel porrectam sacerdoti pro confessione faciendâ, quia porrectio illa est quædam inchoata confessio.—In magnâ necessitate, puta ad salvandam rempublicam aut vitam innocentis, licitè posset secretum revelari, in casibus quibus non adest obligatio sub sigillo.

3902. Confessarius, interrogatus de iis quæ ad sigillum spectant, potest dicere etiam cum juramento se ea nescire: quia illa revera nescit ut homo, et nequit interrogari nisi quatenus homo, non verò tanquam confessarius; sed regulariter ad hujusmodi interrogationes meliùs est respondere ab initio; *has interrogationes non esse faciendas;* item si interrogetur an absolverit aliquem, respondeat: *functus sum officio meo;* sed adhuc meliùs est si dicat:

quænam interrogatio est ista quam facis?—Si dùm missam celebrat, ab illo peteret minister an sit ponenda formula pro communione pœnitentis quem audivit ante missam, respondeat confessarius: *interroga ipsum an velit communicare* (S. Liguor., lib. 6, n° 646).—Si ab ipso confessario petatur attestatio scripta an pœnitens fuerit confessus, debet illam concedere, asserendo duntaxat illum audivisse in confessione, nihil dicendo de concessâ absolutione, ne indè colligi posset alicui fuisse denegatam quando mentio de eâ non fit. (P. Gury, tom. 2, n° 505.)

3903. — 7° Cùm in favorem pœnitentis instituta fuerit obligatio sigilli, ad illam ipse pœnitens, juxta sententiam communiter receptam, non astringitur, quamvis tamen ad secretum naturale teneatur, ne confessario damnum obveniat ob consilium ab eo præstitum. (S. Lig., lib. 6, n° 647.)

Item et propter eamdem rationem, non violatur sigillum quando confessarius loquitur de auditis in confessione cum pœnitentis licentiâ, etsi hoc sit periculosum, sed requiritur ut pœnitentis licentia sit 1° formalis et expressa: undè non sufficit præsumpta, tacita, interpretativa; 2° ut sit libera ac spontanea, non vi, injuriâ, dolo, vel etiam per preces importunas extorta, vel per metum reverentialem ipsius confessarii obtenta: hujusmodi licentiæ peti non debent nisi ex rationabili causâ, et meliùs est inducere pœnitentem ut extra confessionem det licentiam; 3° non tamen opus est ut scripto detur, et in dubio potiùs credendum est confessario quàm pœnitenti; potest autem dari facto, v. g., si pœnitens extra confessionem incipiat loqui cum confessario de dictis in confessione. S. Liguor. (lib. 6, n° 651.)

3904. Imò, sinè licentiâ, confessarius potest loqui cum pœnitenti, intra tribunal, de peccatis antea ab ipso confessis, modò adsit justa utilitatis causa. (S. Liguor., lib. 6, n° 653.)

Juxta sententiam communissimam et longè probabiliorem, confessarius violaret sigillum, asserendo in aliquo loco, gravia peccata perpetrari, quæ ipse audierit in confessione: hoc tamen intelligi debet de oppido parvo, puta si non constet tribus millibus hominum circiter; secus verò

si oppidum sit amplum; hocque permittit Theologia Petrocorensis etiam concionatoribus, modò non dicant audiisse in confessionibus; unde in cap. *Si sacerdos* 2, *de offic. Jud. Ordin.* dicitur: « Si sacerdos sciat pro certo » aliquem esse reum alicujus criminis, vel *si confessus* » *fuerit*..., non debet eum arguere nominatim, sed *indeterminatè* », id est, in genere. — S. Lig., lib. 6, n° 654, *dub.* 1.

3905. — 8° Fusè expendunt DD. an aliquando liceat uti notitiâ in confessione acceptâ: 1° S. Thomas (*Quodl.* 5, q. 7, art. 13) docuit licere Prælato removere subditum à suo officio propter notitiam in confessione acceptam, modò nullatenus peccatum possit in suspicionem venire; sed huic doctrinæ obstat Decretum Clementis VIII, editum 26 maii 1594, ubi dicitur: « Tàm Superiores pro tempore » existentes, quàm confessarii qui postea ad superioritatis » gradum fuerint promoti, caveant diligentissimè ne eâ » notitiâ quam de aliorum peccatis in confessione habue» runt, ad exteriorem gubernationem utantur »; — 2° Sambovius putat, cum S. Anton^{no}, quòd in electione ad beneficium aut officium, Superiori liceat negare suffragium ei quem ex solâ confessione noverit indignum; sed hoc fuit reprobatum ab Edicto S. C. Inquisitionis, auctoritate Innocentii XI publicato, anno 1682, quo proscripta fuit propositio sequens: « Scientiâ ex confessione acquisitâ » uti licet, modò fiat sinè directâ aut indirectâ revelatione, » et gravamine pœnitentis, nisi aliud multò graviùs ex non » usu sequatur, in cujus comparatione priùs meritò contemnatur. Additâ deinde explicatione sive limitatione, quòd sit intelligenda, de usu scientiæ ex confessione acquisitæ cum gravamine pœnitentis, seclusâ quâcumque revelatione; atque in casu quo multò gravius gravamen ejusdem pœnitentis ex non usu sequeretur. Hanc dictam propositionem, quatenus admittit usum dictæ scientiæ cum gravamine pœnitentis, etiam cum dictâ explicatione, præsenti decreto prohibent, etc... Mandantes etiam universis sacramenti pœnitentiæ ministris, ut ab eâ doctrinâ, in praxim deducendâ, prorsus abstineant. »

3906. Ex hâc damnatione sequitur quòd confessarius non possit denegare communionem pœnitenti, cui antea denegaverat absolutionem tanquam indigno, etsi hoc sit contra doctrinam S. Thomæ et aliorum à S. Liguorio citatorum (lib. 6, n° 658).

Hinc etiam illicitum esset confessario, ob notitiam in confessione acceptam, claudere pœnitentem in cubiculo ne exeat ad peccandum; dimittere famulum; vel auferre ab eo claves ne furetur; vel pœnitenti ostendere vultum severiorem; imò ei non licet aufugere etiam ad vitandam mortem, si aliquo modo sit timendum quòd conscii criminis conjiciant pœnitentem fuisse confessum crimen occidendi, vel aliquod gravamen pœnitenti afferatur, quamvis hoc controvertatur ap. S. Liguor. (lib. 6, n° 659), ubi nostram sententiam amplectitur; item non licet confessario se celare vel se excusare ab audiendo pœnitente, eò quòd sciat ex confessione solitum esse illum multa habere peccata. S. Liguor., lib. 6, n° 659.

3907. Si tamen, ex aliâ viâ quàm confessionis, Superior confessarius sciret indignitatem eligendi ad beneficium, posset, imò deberet pœnitenti suffragium denegare, modò hæc notitia aliunde acquisita, esset verè sufficiens ad suffragium negandum.

3908. Communiter autem DD. admittunt posse confessarium uti notitiâ in confessione acceptâ, ubi nulla revelatio intervenit, nec ullum pœnitenti gravamen infertur; unde potest eâ uti ad se cautiorem reddendum in re familiari; ad socordiam excutiendam; reformandos suos mores; ad diligentiùs vigilandum super gregem suum; ad servandam propriam vitam, quando hæc duo concurrunt, nempe quòd secretum custodiatur, et confessio odiosa non reddatur; item notitiâ confessionis uti potest confessarius ad orandum pro pœnitente, ad consulendos libros et sapientes, ad alios interrogandos vel instruendos, modò nullatenus detur occasio suspicandi peccatorum alicujus confessionem. S. Liguor., lib. 6, n° 657. Vide alia plura, apud S. Liguor., *ib.*, n[is] 660-661, etc.

NOTANDA EX RITUALI ROMANO.

3909. Ut diximus supra (3786), multa alia, ad Pœnitentiam spectantia, tractantur à Theologis ad quos remittimus; sufficiat tantùm hìc adhuc annotare ex *Rituali Romano :*

1° « In ecclesiâ, non autem in privatis ædibus (sacerdos) » confessiones audiat, nisi ex causâ rationabili, quæ, cùm » inciderit, studeat tamen id decenti ac patenti loco præ- » stare. » — In multis tamen locis, virorum, præsertim clericorum, confessiones, etiam in privatis ædibus, et extra casum infirmitatis, sinè difficultate audiuntur.

3910. — 2° « Habeat (confessarius) in ecclesiâ sedem » confessionalem, in quâ sacras confessiones excipiat : quæ » sedes patenti, conspicuo et apto ecclesiæ loco posita, » crate perforatâ inter pœnitentem et sacerdotem sit in- » structa. »

In multis diœcesibus, sub censuris præcipitur usus cratis hujusmodi perforatæ, quando agitur de confessionibus muliebris sexûs.

Optimè notat De Herdt (pars 6, n° 12, II) quòd sola crates, saltem parva, sufficere non videtur; sed convenit quòd confessarius à pœnitente totaliter sit separatus, ad obviandum periculis et suspicionibus.

Cùm autem locus debeat esse conspicuus, sequitur non esse excipiendas mulierum confessiones ante vel post lucem diei (S. R. C., 23 mart. 1686, n° 2956 2); vel saltem apponendum esse lumen (De Herdt, *ibid., Debet* 2°).

3911. — 3° « Pœnitens confessionem generalem latinâ » vel vulgari linguâ dicat, scilicet; *Confiteor*, etc., vel sal- » tem utatur his verbis *Confiteor Deo omnipotenti, et tibi* » *Pater*. Peccata sua exinde confiteatur, adjuvante quo- » tiescumque opus fuerit sacerdote, qui confitentem » non reprehendet, nisi finitâ, ut dicetur, confessione; » neque interpellabit nisi opus fuerit aliquid meliùs intel- » ligere : proinde fiduciam ei præbeat et humaniter sug- » gerat ut omnia peccata sua ritè et integrè confiteatur, » remotâ stultâ illâ quorumdam verecundiâ, quâ præpe-

» diti, suadente diabolo, peccata confiteri non audent,
» etc. »

Quoad ordinem in confessione servandum et ipsius cæremonias, vide De Herdt, *ibid.*, III, IV.

CAPUT VI.

DE EXTREMA-UNCTIONE.

ART. I.

DE IPSIUS NATURA ET EFFECTIBUS.

3912. Extrema-Unctio « *est Sacramentum novæ legis* » *quo per olei benedicti unctionem et sacerdotis orationem,* » *christiano periculosè ægrotanti, animæ atque etiam cor-* » *poris, si animæ saluti expediat, sanitas confertur.* » Ita Theologia Tolosana.

3913. De fide est Extremam-Unctionem esse verè et propriè sacramentum novæ legis, à Christo institutum (Concil. Trid., sess. 7, can. 1, et sess. 14, can. 1), et quidem post ejus resurrectionem, ut tenent Suarez, Layman cum Salmantic.; insinuatum autem à S. Marco, sed commendatum et promulgatum à S. Jacobo, cap. 5, v. 14, ubi dicitur : « Infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros » Ecclesiæ et orent super eum, ungentes eum oleo, et » oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Domi- » nus; et si in peccatis sit, remittentur ei. »

3914. Certum est, inquit S. Liguor. (lib. 6, n° 706), hoc sacramentum unum esse, licet pluribus unctionibus administretur, quia omnes unctiones ad unam significationem interioris medelæ pertinent. Communiùsque sentitur contra Elbel, Croix et plures alios, quorum tamen sententia est probabilis, non conferri gratiam partialem per quamlibet unctionem, sed in ultimâ tantùm conferri simul totam gratiam sacramentalem; auxilia tamen specialia huic gratiæ annexa seu ab eâ dependentia, non conferri

nisi tempore opportuno. Ita S. Thomas, apud S. Liguor., lib. 6, n° 707.

3915. Sacramentum hoc est quidem viventium, et statum gratiæ requirit : si tamen infirmus bonâ fide vel sensibus destitutus illud susciperet in mortali, sufficeret tunc ad gratiam suscipiendam, quoad effectum saltem specialium auxiliorum, quòd, perseverante eodem morbo et periculo, attritionem conciperet; secus esset dicendum, si malâ fide in statu peccati mortalis reciperet : communiter tenetur quòd ut reviviscat tunc gratia Extremæ-Unctionis, non sufficit attritio, sed requiritur contritio perfecta vel absolutio. (S. Liguor., *ib.*, q. II.)

3916. Effectus principalis Extremæ-Unctionis est roborare animam contra tentationes dæmonis in morte : secundarii autem effectus sunt : 1° delere reliquias peccatorum, id est partem juxta dispositiones suscipientis; 2° tollere partem etiam pœnarum quæ pro iis luendæ supersunt; 3° sanitatem corporis aliquando conferre : nempe si expediat. Vide Conc. Trident., sess. 14, c. 2.

3917. Controvertitur autem an in Extremæ-Unctionis receptione peccata mortalia remittantur per se, vel per accidens : communiùs habetur quòd remittantur *per se*, *etsi consequenter* : quia ad hoc institutum fuit hoc Sacramentum *etsi consequenter*, ut constat ex verbis supra relatis S. Jacobi : *Si in peccatis sit*, etc., et Concilio Trident., sess. 14, can. 2.—Vide S. Liguor., lib. 6, n° 731.

ART. II.

DE MATERIA EXTREMÆ-UNCTIONIS.

3918. 1° Materia remota Extremæ-Unctionis est oleum quod debet esse olivarum, et quidem benedictum ex Decreto Conc. Florentini, ubi pro hujus sacramenti materiâ assignatur *oleum olivæ per Episcopum benedictum*. Ita communiter (S. Liguor., lib. 6, n° 708).

3919. Disputatur verò an ex necessitate Sacramenti requiratur quòd ab Episcopo sit benedictum; sed sententia

communissima affirmat (S. Liguor., *ib.*, n° 709), et sic decisum fuit pluries, et nuperrimè 4 sept. 1842, à S. Congr. Inquisitionis cum approbatione Gregor. XVI; proposito enim dubio an in casu necessitatis parochus, ad validitatem Extremæ-Unctionis, uti possit oleo à se benedicto, Eminentissimi responderunt : *Negativè.* (Gury, t. 2. n° 512; et Lequeux, n° 804.)

3920. Iterum disputatur an necessariò benedici debeat in ordine ad Extremam-Unctionem.—In quo dubio, sententia tam affirmans quàm negans habetur ut æquè probabilis à S. Liguor. (*ibid.*, *dub.* 2) : unde, inquit, in praxim deduci non potest sententia negans, nisi in casu necessitatis quo deesset oleum infirmorum : tunc enim posset ministrari Extrema-Unctio, chrismate vel oleo catechumenorum sub conditione, et si postea haberi posset oleum infirmorum, repetendum esset sacramentum adhuc sub conditione.

3921. Non potest autem hujusmodi oleum benedici à simplici sacerdote, nisi per commissionem saltem tacitam S. Pontificis. Quod autem, cum illà commissione, simplex sacerdos possit illud benedicere, constat ex Decreto Clement. VIII, in quo validum declaratur sacramentum Extremæ-Unctionis latinis collatum à sacerdotibus græcis cum oleo à seipsis benedicto, quod fuit confirmatum à Bened. XIV, Constit. 57, § 4. (*De Syn.*, lib. 8, cap. 1, n° 4.)

3922. Renovandum est oleum infirmorum quotannis in Cœnâ Domini, veteri combusto ex præcepto Clementis VIII et *Ritualis Romani*. An autem sub gravi hoc obliget, non concordant DD.; probabiliùs affirmatur, juxta S. Liguor. (*ib.*, n° 708) : quia videtur materia satis gravis, et talis est universalis Ecclesiæ consuetudo; si tamen novum haberi non possit, antiquo uti licet ex declar. S. Congr.

« Si fortè infra annum aliquo modo ita deficiat ut suffi-
» cere non posse videatur, neque aliud benedictum haberi
» queat, modico oleo non benedicto in minori quantitate
» superinfuso, reparari potest. » Ita *Rituale Romanum*.

Ex praxi autem Ecclesiarum et declarat. S. C., certum esse videtur, inquit S. Liguor., quòd longè etiam major olei quantitas possit addi, in dicto casu, modò pars olei

quæ tunc effunditur, sit minor alterâ parte cui infunditur, et non fiat nisi in casu necessitatis (*ib.*, n° 708).

3923.—2° Materia *proxima* Extremæ-Unctionis est unctio certarum corporis partium : consentiunt DD. de præcepto esse ut quinque sensus ungantur (Vide *De Syn. diœces.*, lib. 8, cap. 3, n° II) : sed controvertitur an idem sit de necessitate Sacramenti ; — sententia affirmans, sicuti est tutior, ita etiam communiùs docetur, et probatur præsertim ex usu Ecclesiæ et communi DD. sensu : unde sub conditione tantùm, et tempore pestis, aut urgente necessitate, adhiberi debet unica unctio, quæ tunc consultiùs fit in capite. Dicit Tournely sufficere tunc quòd dicatur : « *Indulgeat tibi Deus quidquid per sensus deliquisti* » ; sed, inquit S. Liguor. (lib. 6, n° 710), « alii... requirunt ut » exprimantur quinque sensus, *nempe per visum, auditum,* » *gustum, odoratum et tactum deliquisti*. Sed meliùs erit » sic dicere : *per istam sanctam unctionem, etc..., indul-* » *geat tibi Deus quidquid deliquisti per sensus, visum, au-* » *ditum, gustum, odoratum et tactum :* præmittendo ver- » bum *deliquisti...*, quia si *deliquisti* proferatur in fine, » et interim æger moriatur, nullum est sacramentum ; si » autem æger supervivat, meritò ait Croix.,. repetendas » esse unctiones in singulis sensibus, addendo orationes » omissas...

3924. » Certum est autem non esse de necessitate sacra- » menti geminam unctionem adhibere in geminis parti- » bus : v. g. in utroque oculo....., etc..... Unde urgente » necessitate, nempe si adsit periculum infectionis, vel si » infirmus nequeat verti ad aliud latus, sufficere ungere » unum oculum, unam aurem, etc. Unctio autem renum, » ut præscribit *Rituale*, *in mulieribus* semper omittitur » honestatis gratiâ ; atque etiam in viris, quando infirmus » commodè moveri non potest. » (Dicunt quidem plura Ritualia hanc unctionem fieri tunc debere in pectore pro viris et in collo pro fœminis, sed Rituale romanum hoc prohibet his verbis : « Sive in mulieribus sive in viris, alia cor- » poris pars pro renibus ungi non debet »). « Unctio verò » pedum non est de necessitate sacramenti. »

3925. » Neque etiam est de necessitate sacramenti ser-
» vare ordinem inter unctiones partium... Communiter
» tamen dicunt Suarez... Bonacina.., etc.., id esse graviter
» illicitum, quia esset contra usum Ecclesiæ in re notabili.»

Additur in *Rituali Romano :* « Si quis autem sit aliquo
» membro mutilatus, pars loco illi proxima inungatur
» eâdem verborum formâ.

» Manus... quæ reliquis infirmis interiùs ungi debent,
» presbyteris exteriùs ungantur. »

Quoad pedes non consentiunt DD. : aliis dicentibus eos in superiori parte, aliis in plantis esse ungendos. Sacra autem Rit. C. 29 aug. 1836 (nº 4631, ad 1) rescripsit quoad hoc nihil esse innovandum, ita ut quisque sequi debeat suum Rituale, vel usum receptum; et si infirmus pedes vertere non valeat, ungantur ubi commodè fieri potest. (De Herdt, pars 6, nº 21, IV).

Si plures simul essent ungendi (quod evenire potest in nosocomiis), vide quisnam ordo in cæremoniis servari possit apud eumdem De Herdt (*ib.*, nº 24 II).

3926. Unctiones autem fieri debent pollice, juxta *Rituale Roman.*, nisi in casu morbi contagiosi, quo licet uti virgulâ, et tot virgulis tunc utendum est quot sunt unctiones, ne oleum inficiatur; sed convenientiùs adhibendum esset tunc oleum quod pro aliis non inserviat. (De Herdt, pars 6 nº 21, III, et nº 23, III.)

3927. Observat idem De Herdt (*ib.*, IV) quòd unctio narium debeat esse tantùm unica, et super extremitatem summitatis nasi : illud deducit ex variis Ritualibus et præsertim ex *Rituali Leodiensi.* Sed communius binæ nares unguntur. (O Kane nº 933.)

ART. III.

DE FORMA EXTREMÆ-UNCTIONIS.

3928. Juxta *Rituale Romanum,* sacerdos, intincto pollice in Oleo Sancto, in modum crucis ungit infirmum dicendo ad singulas unctiones : « *Per istam sanctam unctionem* ✝
» *et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus*
» *quidquid per visum* (si agatur de unctione oculorum ; et

» sic de aliis unctionibus, nominando, ad unamquamque, » sensum qui ungitur) *deliquisti.* »

Jam diximus quòd de necessitate sacramenti sit expressio quinque sensuum; verbum *deliquisti* meritò pariter habetur ut essentiale, alioquin non exprimeretur unus ex præcipuis effectibus hujus sacramenti: *si in peccatis sit, remittentur ei.* Verbum autem *sanctam* non est de essentiâ: peccat tamen omittens.— Dubitatur utrum essentialia sint verba *per suam piissimam misericordiam :* ut verò longè communior et probabilior habetur sententia quæ negat; sed pariter esset peccatum, et quidem mortale illa omittere.

3929. Juxta communem et veriorem sententiam, non sufficit quòd forma sit indicativa, sed de necessitate sacramenti debet esse deprecativa : quia dicitur in Epistolâ S. Jacobi : « Et *orent* (sacerdotes) super eum, ungentes » eum oleo sancto, et *oratio fidei* salvabit infirmum. » Vide S. Liguor. (lib. 6, n° 71), et imprimis Bened. XIV, *De Synodo* (lib. 8, cap. 2, n° 2).

3930. *Nota* ex *Rituali Romano:* « Dùm oculos, aures et » alia corporis membra quæ paria sunt, sacerdos ungit, » caveat ne alterum ipsorum inungendo, sacramenti formam priùs absolvat quàm ambo hujusmodi paria membra perunxerit. »

ART. IV.

DE MINISTRO EXTREMÆ-UNCTIONIS.

3931. De fide est ministrum Extremæ-Unctionis esse solum sacerdotem : constat ex S. Jacobo (c. 5, v. 14) : *Inducat presbyteros ;* et definitum fuit à Trid. (sess. 14, can. 4).

Porrò ut hoc Sacramentum licitè administretur, sacerdos debet esse proprius sive pastor, sinè cujus veniâ, si extra casum necessitatis alius administret, validum quidem erit sacramentum, sed sic ministrans graviter peccabit. (S. Lig., lib. 6, n° 722.) — Vide dicta supra (1384, etc.).

3932. In necessitate autem, si v. g., pastor absit, vel licentiam dare nolit, et ad superiorem non pateat, vel sit difficilis recursus, licitè ministrat quivis sacerdos non excommunicatus, aut suspensus, aut irregularis : tunc enim Papa dat

licentiam; sed probabiliùs non posset ministrare pastor excommunicatus; probabiliter verò posset suspensus si alius deesset : secus tamen plures sentiunt, ap. S. Liguor. (lib. 6, n° 723).

3933. Extrema-Unctio potest administrari in necessitate, sinè respondente, nec femina tunc est adhibenda; quod si tamen fieret, esset solùm veniale, sicut probabiliùs esset etiam solùm veniale ministrare sinè respondente extra casum necessitatis.

3934. Certum est unum sacerdotem sufficere ad administrandam Extremam-Unctionem, etsi in Apostolo dicatur *inducat presbyteros*, quia hæc verba intelligenda sunt quasi diceretur : Inducat unum ex presbyteris; hoc definivit Alexander III in cap. *Quæsivit*, *de verbi signific.*, ubi dicitur : « Nos... duximus respondendum quòd sacer» dos... etiam solus potest infirmum ungere »; imò extra casum necessitatis esset peccatum mortale plures sacerdotes adhibere in Ecclesiâ Latinâ, quia hoc est contra usum Ecclesiæ : secus si adesset necessitas, v. g., si mors immineret. Olim tamen, etiam in Ecclesiâ Latinâ, plures adhibebantur sacerdotes, ut videre est apud Bened. XIV (*De Synodo*, lib. 8, c. 4, n° V); et etiam nunc Græci, saltem in pluribus locis, adhibent septem sacerdotes : sed Bened. XIII eis concessit ut unus etiam possit ungere quando septem vel tres non possunt haberi. Casu autem quo plures adhibentur sacerdotes, non potest unus inungere aliquem sensum, et alter formam correspondentem pronuntiare, neque unus unum oculum et alter alterum; sed idem sacerdos debet totam unctionem peragere et simul formam correspondentem pronuntiare (Bened. XIV, *De Syn.*, loco citato, n° VIII). Quod si idem sacerdos non possit progredi, per alterum quæ supersunt erunt supplenda; et si alius statim adsit, non sunt iterandæ unctiones priùs factæ; secus si ab alio post aliquem moram notabilem, puta post quadrantem, suppleantur; tunc enim omnes unctiones sub conditione sunt repetendæ. (S. Liguor., lib. 6, n° 724.)

3935. Accuratè servanda sunt præscripta in *Rituali Romano* pro hujus sacramenti administratione : omittere enim orationes ibidem præceptas, extra casum necessitatis

sinè dubio est mortale, inquit S. Liguor. (lib. 6, n° 727); si verò esset necessitas, puta si mors immineret, ipsummet *Rituale* præscribit quòd infirmus « citò ungatur, incipiendo ab eo loco *Per istam*; deinde (si supervivat) *dicantur orationes* prætermissæ » (etiam quæ præscriptæ sunt ante unctiones). « Si verò dum ungitur, infirmus decedat, » presbyter ultrà non procedat, et prædictas orationes » omittat. » Idem ut probabile asserunt Salmanticenses cum communi, de casu quo sacerdoti immineret periculum contagionis: tunc plures dicunt orationes posse legi in ecclesiâ, vel in domo infirmi, vel extra eam (De Hert, pars 6, n° 23). Omittere autem psalmos pœnitentiales et litanias probabiliùs non est peccatum, cùm de iis Rituale dicat solùm: « Antequam parochus incipiat ungere infir» mum, moneat adstantes ut pro illo orent, et *ubi commo» dum fuerit pro illo tempore et adstantium numero, vel » qualitate,* recitent septem psalmos pœnitentiales cum » litaniis, vel alias preces, dum ipse sacramentum admi» nistrat. »

3936. Probabiliter non est mortale hoc sacramentum administrare sinè lumine: unum autem lumen sufficit juxta *Rituale Roman.* Item commune est veniale esse tantùm omittere signum crucis in ungendo: imò nullum esset peccatum, si ob instantem mortem omitteretur, ut citiùs ageretur.—Bened. XIV (*De Syn.*, lib. 8, cap. 6, n° V) approbat sententiam plurium qui permittunt sacerdoti interrumpere missam ad dandam Extremam-Unctionem, si infirmo nullum aliud sacramentum conferri posset.

« Si autem, inquit *Rituale*, accideret infirmum... ad » exitum vitæ properare, tunc cum sacro Viatico poterit » et oleum infirmorum ad eum deferri per ipsum sacerdo» tem qui defert sacram Eucharistiam. Si tamen alius » presbyter, vel diaconus... haberi possit, per ipsum defe» ratur, qui superpelliceo indutus, cum Oleo Sacro occultè » delato, sequatur sacerdotem Viaticum portantem; et » postquam infirmus Viaticum sumpserit, inungatur à » sacerdote. »

3937. Observat De Herdt (pars 6, n° 20) quòd « cùm

» hæc rubrica laicos absolutè non excludat, in necessitatis » casu, quo non alius nisi laicus minister habetur, potest » hic S. Oleum deferre... reverenter et occultè. » Sed hoc intelligi non debet nisi de casu quo ipsemet sacerdos, aut alius sacerdos vel diaconus aut clericus non posset deferre, et mors instaret: nam Rubrica satis indicat quòd S. Oleum debeat deferri à sacerdote vel diacono.

Sacerdos ferens S. Oleum, extra casum quo simul defert Viaticum, potest indui solo habitu vulgari, et superpelliceum cum stolâ sumere solùm quando est ingressus cubiculum infirmi. Ex S. R. C., 28 jan., 1605, et 16 decemb. 1826, ap. De Herdt, pars 6, n° 20.

3938. Dicitur adhuc in *Rituali:* « Imprimis ex generali » Ecclesiæ consuetudine observandum est ut si tempus et » infirmi conditio permittat, ante Extremam-Unctionem, » Pœnitentiæ et Eucharistiæ sacramenta infirmis præ- » beantur. » Suscipere tamen Extremam-Unctionem ante Viaticum, aut nullum erit peccatum, aut vix veniale, inquit S. Liguor. (lib. 6, n° 716); Benedictus verò XIV (*De Synodo diœces.*, lib. 8, cap. 8, n° II) ait se non facilè permissurum parochis recedere, in locis ubi viget, à disciplinâ communiter receptâ, ob unicum motivum indulgendi privatæ infirmi devotioni; hoc tamen non habet ut prohibitum saltem sub gravi: unde potiùs injungeret parochis « ut » Extremam-Unctionem petentibus ante Viaticum, sua- » derent tutiùs et utiliùs fore, Ecclesiæ Romanæ ritui... à » majore parte Ecclesiæ jam recepto, se accommodare. »

In nostrâ autem Synodo Provinciali Avenionensi anni 1849, sic statuitur : « Quamvis ordinariè simul adminis- » trentur Eucharistia et Extrema-Unctio, attamen, pro » conditione infirmi, separatim primùm Eucharistia, » deinde, aliquo facto intervallo, unctio olei adhiberi pote- » rit »; unde reformanda sunt statuta Diœcesis Valentinensis, ubi dicitur (p. 367) : « Nous ordonnons d'admi- » nistrer l'Extrême-Onction avant le saint Viatique. »

3939. Pastor ratione officii tenetur sub *gravi* dare Extremam-Unctionem eis qui petunt, nisi justa causa excuset; regulariter non tenetur cum periculo vitæ, nisi infirmus à

longo tempore fuerit confessus, et verisimiliter præsumatur esse in mortali, et hoc pastor saltem probabiliùs sciat: ita communiter, apud S. Liguor. (lib. 6, n° 729), qui addit quòd, absente parocho, alter teneatur ex charitate, sed sub levi tantùm, nisi ægrotus valde eo sacramento indigeret.

Diximus supra de proprio Ministro sacramenti Extremæ Unctionis : vide supra (1384 etc.).

3940. Diligenter custodiri debet S. Oleum in loco nitido et decenter ornato, scilicet in sacrario seu sacristiâ, et meliùs in quâdam custodiâ altaris in quo reconditur SS. Sacramentum : nunquam tamen in ipso tabernaculo, sed in custodiâ separatâ in pariete, ad cornu Epistolæ vel Evangelii. S. R. Cong., 16 jun. 1663 n° 2071, apud De Herdt (pars 6, n° 19 II).—Custodiri debet S. Oleum in vase argenteo seu stanneo, ut *Rituale* præscribit.

Parocho, etiam timenti ne noctu vocetur ad ægrum, non licet retinere domi sacrum oleum : sed hoc dicunt DD. esse tantùm peccatum veniale, si fiat ut expeditiùs administrentur periculosè decumbentes; imò plures dicunt nullum esse peccatum, si parochus crederet noctu esse vocandum, et periculum foret ne vocatus serò veniret. Vide S. Liguor. (*ib.*, n° 730); De Herdt (pars 6, n° 19 I); et Decis. S. R. C., 16 decemb. 1826 (n° 4474, ad 3) [1].

3941. De globulis stuppæ vel bombacii quibus unctiones terguntur sic habet *Rituale :* « Minister... si est in sacris, vel » ipsemet sacerdos, post quamlibet unctionem tergat loca » inuncta novo globulo bombacii vel rei similis, eumque » in vase mundo reponat, et ad ecclesiam postea deferat, » comburat, cineresque projiciat in sacrarium. » De Herdt tamen (pars 6, n° 22 9°) dicit quòd globuli adhibiti in unctionibus possint projici statim in ignem simul cum micâ panis et aquâ ablutionis : quod fieri debet per ipsummet sacerdotem, vel per ministrum, non verò per famulos.

[1] Pro hâc provinciâ Avenionensi, sic habetur in Concilio Provinciali 1849, p. 60 : « Nunquam Sacrum Oleum asservetur extra ecclesiam, » aut sacristiam, ne in domum quidem parochi, nisi de licentiâ Episcopi; » nec quantùm fieri potest permittatur illud à laico deferri, aut ab ipso » in ipsâ sacramenti administratione ampullam sustineri. »

ART. V.

DE SUBJECTO EXTREMÆ-UNCTIONIS.

3942. Soli baptizati, adulti, morti proximi ex morbo, vulnere, partu, senectute possunt validè Extremam-Unctionem accipere : constat ex praxi Ecclesiæ et theologorum consensu, atque deducitur ex verbis Apostoli : *infirmatur quis in vobis*, etc., ut supra (3913); item Eugenius IV dicit Extremam-Unctionem « nisi infirmis de quorum morte » timetur, dari non debere. » Vide etiam Concil. Trident. (sess. 14, c. 3). — Unde ungendi non sunt mare transgressuri, prælium commissuri, ultimo supplicio plectendi.

Nec obstat ritus Ecclesiæ Græcæ, apud quam, die Cœnæ Domini, oleum infirmorum ab Episcopo consecratum totum insumitur in ungendis astantibus, quia, inquit Bened. XIV (*De Syn.*, lib. 8, cap. 5, n° V), hoc fit non tamquam Sacramentum, sed ut mera cæremonia.

3943. Ex verbis autem Concil. Trident. (*loco citato*) : « Declaratur etiam esse hanc Unctionem infirmis adhibendam, iis verò præsertim qui tam periculosè decumbunt » ut in exitu vitæ constituti videantur : unde et sacramentum exeuntium nuncupatur. » Ex his, inquimus, verbis nonnulli concludunt validè, quamvis illicitè, conferri Extremam-Unctionem infirmo quocumque morbo laboranti etiam non gravi; sed communior sententia, quæ juxta S. Liguor. est tenenda, docet talem collationem, non solùm esse illicitam, sed etiam invalidam : quod probatur verbis Decreti Eugenii IV modò relatis. Nec obstat quòd in Concil. Trident. dicatur *præsertim*, quia hæc particula non denotat posse quibusvis infirmis sacramentum ministrari, sed posse dari etiam iis qui, periculosè quidem decumbentes, non sunt tamen constituti in vitæ exitu. Vide S. Liguor. (lib. 6, n° 713, *dub.* 2).

3944. Attamen, quidquid dicant nonnulli, juxta communem et veram sententiam, ad administrandum validè et licitè hoc sacramentum, non requiritur ut infirmus sit in vero proximo periculo mortis, sed sufficit quòd prudenter

putetur in tali periculo : unde, in Decreto *ad Armenos*, dicitur, *de cujus morte timetur;* et in *Rituali :* « Debet hoc » sacramentum infirmis præberi, qui... tam graviter labo» rant ut mortis periculum imminere videatur. » S. Lig., lib. 6, n° 714.

3945. Nec ad administrandum hoc sacramentum expectandum est ultimum vitæ articulum : « Gravissimè (enim) » peccant, inquit Catechismus Romanus (§ 9), qui illud » tempus ægroti ungendi observare solent, cùm jam, » omni salutis spe amissâ, vitâ et sensibus carere incipiat » : quia tunc non tam benè se disponere valet infirmus, et virtus restituendi sanitatem, quæ sacramento inhæret, non habet adhuc efficaciam sufficientem, cùm non operetur per modum miraculi, sed solùm adjuvando causas naturales, quæ non ampliùs naturaliter valent exeri. Ita communiter inter DD. (S. Liguor., lib. 6, 717, *adv.* 1.)

Cæterùm, inquit idem S. Liguor. (*ib.*, *adv.* 2), communiter docent DD. validè et licitè posse dari Extremam-Unctionem statim ac infirmus prudenter judicatur laborare periculo mortis.

« In dubio autem an infirmitas sit periculosa mortis, » rectè aiunt Castrop., etc.., non posse Extremam-Unc» tionem ministrari... ; secus verò si de tali periculo vera » adsit probabilitas, sive prudens timor. » (*Ibid.*)

3946. Etsi, juxta sententiam communem et veram, ac juxta *Rituale Romanum*, infantes nondum rationis usum habentes sint incapaces Extremæ Unctionis, quia, ut ait S. Thomas, « pueris non competit forma hujus sacra» menti, eò quòd non peccaverunt per *visum*, etc., ut in » Formâ exprimitur » : tamen infantibus usum rationis habentibus sufficienter ad peccandum, licet non admittantur ad Eucharistiam, non rec è negaretur Extrema-Unctio: cùm nonnunquam indè ipsorum salus possit dependere ; ac licet parochus cognoverit ex confessione puerum nunquam peccasse actualiter, deberet tamen illum ungere juxta Suarez et alios, contra Sanchez... Si dubium sit an puer habeat usum rationis, ungendus est sub conditione,

juxta probabiliorem sententiam. S. Liguor., lib. 6, n[is] 717-720.

3947. Communiter docent DD., contra nonnullos, posse Extremam-Unctionem adultis administrari statim post Baptismum : ratio, tum quia veriùs per Baptismum non absterguntur reliquiæ culparum actualium ante Baptismum commissarum, quales sunt torpor ad bonum ac pronitas ad malum ; tum quia primarius effectus Extremæ-Unctionis non est tam remissio peccatorum quàm corroboratio infirmi contra dæmonis tentationes : unde ab Apostolo dicitur : *Et alleviabit eum Dominus.* Vide S. Liguor. (lib. 6, n° 721).

« Quod... attinet ad Beatissimam Virginem...., contro-
» versia est an ea, utpote omnis peccati expers, fuerit
» capax... sacramenti Extremæ-Unctionis. » Ita Bened. XIV apud quem vide expositas rationes pro et contra (*De Syn.*, lib. 8, cap. 6, n° III).

3948. Non solùm infantes ante usum rationis sunt incapaces Extremæ-Unctionis, sed propter eamdem rationem etiam perpetuò amentes : si verò habeant lucida intervalla, benè ungi possunt ; et in dubio an infirmus habuerit unquam usum rationis, etiam ungendus est, sed sub conditione : sic habetur in *Rituali* : « Infirmis autem quidum
» sanâ mente et integris sensibus essent, illud petierint,
» seu verisimiliter petiissent, seu dederint signa contri-
» tionis, etiamsi deindè loquelam amiserint, vel amentes
» effecti sint, vel delirent, aut non sentiant, nihilominus
» præbeatur.

3949. » Impœnitentibus, et qui manifesto peccato morta-
» li moriuntur, et excommunicatis penitus denegetur. »

Possunt tamen, juxta plures, ungi vulnerati in rixâ quia præsumuntur se conteri in illo extremo statu ; idem dicitur de ebriis deficientibus, sed sub conditione, nisi constet eos esse in mortali sinè saltem attritione.

3950. Quoad delirantes, si unctioni resistant, ligandi sunt vel fortiter tenendi ; de iis sic habet *Rituale* : « Si in-
» firmus, dum phrenesi aut amentiâ laborat, verisimiliter
» posset quidquam facere contra reverentiam sacramenti,

» non inungatur, nisi periculum tollatur omninò. »

3951. Muti-surdi, et cæci à nativitate hujus sacramenti sunt capaces, si sat intelligentiæ habeant ut peccare potuerint; et illi quidem ungendi sunt etiam prope organa sensuum quibus carent, nam, etsi per illa exteriùs peccare non potuerint, potuerunt tamen per interiores potentias, quibus illa correspondent. Vide S. Liguor., lib. 6, n° 732.

De dispositionibus verò requisitis ut quis fructuosè recipiat hoc sacramentum vide theologos.

3952. Quærit. 1° An sit obligatio sub gravi recipiendi Extremam-Unctionem in periculosâ infirmitate?

Resp. 1° Mortale certè esset ex contemptu vel cum gravi scandalo, illam non suscipere in periculosâ infirmitate; ex sententiâ autem communiori et probabiliori, is tantùm dicitur contemnere qui negligit quia parvifacit, non verò qui non vult recipere ob repugnantiam, vel quia putat non esse de præcepto.

2° Secluso autem contemptu vel scandalo, duplex est sententia, uti videre est apud S. Liguor. (*ib.*, n° 733), qui ait: « hoc tamen non obstante, prima sententia probabilis » (quæ affirmat) omninò suadenda mihi apparet »; sed, juxta Bened. XIV (*De Syn.*, lib. 8, n° IV), Episcopus in suis Statutis Synodalibus abstinere se debet à verbis quæ videantur Extremæ-Unctionis recipiendæ necessitatem absolutam significare. Omnes autem conveniunt eum mortaliter peccare qui habens conscientiam peccati mortalis omitteret suscipere Extremam-Unctionem, dum non posset aliud sacramentum recipere. (S. Liguor., *ib.*)

3953. Quærit. 2° An Extrema-Unctio possit in eodem morbo reiterari?

Resp. Ad iterandam Extremam-Unctionem, requiritur, juxta Concil. Trident. (sess. 14, cap. 3), ut infirmus à priori *infirmitate convaluerit, et in aliud simile vitæ discrimen inciderit.* Sic etiam habet *Rituale*: « In eâdem infirmitate » hoc sacramentum iterari non debet, nisi diuturna sit, » ut cùm infirmus convaluerit, iterum periculum mortis » inciderit. »

3954. Si verò dubitetur an reverà morbi status mutatus

sit, Bened. XIV (*De Synodo*, lib. 8, nº 4, *in fine*) dicit tunc expedire ad sacramenti iterationem propendere; hoc tamen intelligendum de dubio positivo, non verò negativo : unde Roncaglia dicit non sufficere si infirmus per quatuor vel quinque dies meliùs se habuerit, ut videatur mortis periculum evasisse; secus, si per notabile tempus (S. Lig., lib. 6, nº 715).

SCHOLIUM.

3955. Una ex præcipuis curatorum obligationibus est certè cura infirmorum; quomodo autem parochus hoc officio fungi debeat, accuratè explicatur in *Rituali Romano, de visitatione et curâ*, etc., et *de modo adjuvandi morientes*, etc.

Cùm verò non solùm sacramenta ægrotis sint administranda, sed insuper expediat illis conferre alia spiritualia subsidia pro ipsis instituta, hìc quædam sunt addenda circa Indulgentiam ipsis ex concessione S. Sedis applicandam in articulo mortis.

Igitur Bened. XIV, Constit. *Pia mater*, 5 apr. 1747, statuit omnes Episcopos, qui regimini alicujus Ecclesiæ præficiuntur, obtenturos esse facultatem impertiendi benedictionem cum indulgentiâ plenariâ fidelibus in articulo mortis constitutis, pro toto tempore quo hanc Ecclesiam gubernabunt, adjectâ etiam facultate hanc potestatem delegandi tot sacerdotibus quot judicaverint necessarium, quos tamen poterunt removere, ipsisque alios substituere pro suo arbitrio et prudentiâ.

3956. Facultas autem prædicta Episcopis concessa non expirat per mortem S. Pontificis concedentis, nec eorum subdelegatio per demissionem aut decessum ipsorum subdelegantium, sed istæ perseverant usque ad adventum novi Præsulis, cujus arbitrio confirmari aut revocari possunt, et quas censetur confirmare si expressè non revocet. Eadem facultas concessa dicitur etiam Vicariis Generalibus.

Ex dictâ Const. *Pia mater*, eadem facultas conceditur Prælatis inferioribus qui separatum habent territorium, dummodo tamen ipsi hanc gratiam postulantes Apostolorum limina visitent præscriptis temporibus, et relatio-

nem suarum Ecclesiarum Sanctæ Sedi exhibuerint, ac debitum juramentum præstiterint. V. Ferr., v° *Moribundus*, n° 37.

3957. Impertienda est hæc benedictio generaliter omnibus non excommunicatis, nec impœnitentibus, aut in manifesto peccato mortali morientibus, etiam pueris quibus ministrantur absolutio et Extrema-Unctio, etsi ad primam communionem nondum fuerint admissi (S. R. C., 16 dec. 1826, n° 4474); item sensuum usu destitutis, quibus eadem sacramenta ministrantur, uti præscribit Bened. XIV in rubricâ hujus benedictionis; imò et damnatis ad mortem. Vide *Analecta* (nov. et decemb. 1859, col. 2010, n° 55).

3958. Sacerdotes delegati impertire nequeunt hanc benedictionem nisi juxta limites respectivæ jurisdictionis: unde illam impertire non valent extra diœcesim nisi ab Episcopo loci delegentur; intra verò limites suæ respectivæ jurisdictionis, possunt omnibus benedictionem hanc impendere sivè alienigenis, sive monialibus, sive regularibus. Delegati autem subdelegare nequeunt.

3959. Sub periculo nullitatis, observanda est formula à Bened. XIV in fine dictæ Constit. *Pia mater* præscripta, quæque invenitur in Breviario: ita S. Cong. Indulg., 5 febr. 1841; ibique etiam declaratur *Confiteor* esse repetendum, licet jam fuisset recitatum ante administrationem Viatici et Extremæ-Unctionis, nisi necessitas urgeret. Vide *Analecta*, *ibid.*, col. 2009, n° 51.

Quænam verò omitti possint in casu mortis imminentis, indicatur in formulâ *Breviarii* vel *Ritualis*.

In rubricâ autem illius formulæ legitur: « Si ægrotus voluerit confiteri, audiat illum (sacerdos) et absolvat; si confessionem non petat, excitet illum ad eliciendum actum contritionis; de hujus benedictionis efficaciâ ac virtute, si tempus ferat, breviter admoneat; tum instruat atque hortetur ut morbi incommoda atque dolores in anteactæ vitæ expiationem libenter perferat, Deoque sese paratum offerat ad ultrò acceptandum quidquid ei placuerit, et mortem ipsam patienter obeundam, in satisfactionem pœnarum quas peccando promeruit. Tum piis ipsum verbis consoletur, in spem erigens fore ut ex divinæ munificentiæ

» largitate, eam pœnarum remissionem et vitam sit con-
» secuturus æternam. »

3960. Conditiones autem requisitæ ex parte infirmi sunt: 1° ut sit in *articulo mortis,* juxta dictam Constitut. : in rubricâ tamen dicitur quòd hæc benedictio *soleat impertiri post sacramenta Pœnitentiæ, Eucharistiæ et Extremæ-Unctionis*, et in Indulto facultatis Episcopis concessæ, quòd *infirmus sit confessus* et *sacrâ communione refectus*: quibus supponi videtur quòd infirmis, quibus hæc sacramenta administrantur, mox ipsa indulgentia sit applicanda; sed ut securiùs acquiratur indulgentia, casu quo facilè sacerdos possit advocari, expectandum est periculum magis urgens quàm pro administrandâ Extremâ-Unctione, etsi expediat ut non expectetur agonia, eò quòd infirmus tunc raró possit disponi convenienter ad lucrandam hanc indulgentiam. 2° Intentio, sed absolutè sufficit habitualis, ut patet ex ejus benedictionis rubricis : « Illis infirmis, qui » vel illam petierint dum sanâ mente et integris sensibus » erant, vel verisimiliter petiissent, vel dederint signa » contritionis, impertienda est, etiamsi postea linguæ » cæterorumque sensuum usu sint destituti, aut in deli- » rium, vel amentiam inciderint. » 3° Status gratiæ. 4° Actus contritionis et charitatis : dicitur in supradictâ rubricâ : « infirmus si confessionem non petat, (sacerdos) excitet » illum ad eliciendum actum contritionis »; et in suâ Constit. Bened. XIV vult ut ministri « studeant moribundos fideles » excitare ad novos de admissis peccatis doloris actus » eliciendos, concipiendosque ferventissimæ in Deum cha- » ritatis affectus. » Ita De Herdt (pars 6, n° 25 IV), et *Analecta* (*ibid.*, col. 2009, n° 53); sed verba Pontificis videntur solùm indicare quid facere debeant sacerdotes benedictionem impertituri, ut fructuosiùs ab infirmis suscipiatur. 5° Ut mortem æquo ac libenti animo de manu Domini suscipiat : hoc opus præcipuè injunxisse videtur Bened. XIV in præfatâ Constit., ad lucrandam indulgentiam in articulo mortis. (De Herdt, *ibid.*, IV 5°.)

3961. Præter has conditiones à Bened. XIV requisitas, aliæ imponi solent in Indultis, quæ proinde debent accuratè

perpendi; solet autem imponi ut infirmus « sit confessus » ac sacrâ communione refectus, vel quatenus id facere » nequiverit, saltem contritus, nomen Jesu, ore si potue» rit, sin minus corde, devotè invocaverit, et mortem, » tanquam peccati stipendium, de manu Domini patienti » atque alacri animo susceperit. » — Sed hæc non requiruntur nisi in quantum capax fuerit infirmus : siquidem impertiri potest benedictio etiam sensibus destitutis, ut jam diximus; insuper plures DD. videntur opinari quòd sufficiat confessio facta ante susceptionem Viatici, etsi consulant ut denuò confiteatur ante benedictionem articuli mortis: vide *Analecta* ut supra; De Herdt tamen vult ut denuò confiteatur ut certiùs lucretur indulgentia (*ib.*, VI).

3962. Quærit. An iterari possit benedictio in articulo mortis?

Resp. Certè iterari posse si diversi sint articuli mortis : in Indultis enim Episcopis concessis dici solet : « Quoties » aliquem in mortis articulo constitutum esse contigerit... » toties Apostolicam Benedictionem impertiri valeas. »

Si verò idem sit articulus mortis, benedictio iterari non potest, nisi prior applicatio invalida fuerit defectu statûs gratiæ aut aliarum conditionum requisitarum, aut fortè nisi diuturnus fuerit morbus et proximior vel potiùs verior evaserit mortis articulus; quippe plures negant indulgentiam applicari in solo putativo mortis articulo, et volunt tantùm acquiri in vero articulo mortis, seu illo cui mors succedit, et in hoc sensu opinatur actualis Substitutus S. Indulgent. Congr. Ludov. Prinzivalli, uti est videre ap. P. Maurel, *Le Chrétien éclairé*, etc. (art. 7, n° 83, p. 255). Imò sic dec. S. Indulg. C. 23 apr. 1675.

3963. Præter hanc indulgentiam plenariam, plures alias etiam plenarias lucrari et sibimet applicare possunt moribundi, ut videre est apud DD. Bouvier (*Traité des indulgences*); P. Maurel (*Chrétien éclairé*); S. Liguor., ubi sic habet Busembaum (lib. 6, n° 534 6°) : « Requiritur ut » moribundus crucem, granum, imaginem, etc., secum » habeat in articulo mortis, ut ratione illius lucretur (indul» gentiam)...; non tamen est necesse ut collo appensa.

» brachio obvoluta, manuve apprehensa sint...; sufficit esse
» in lecto, vel juxta moribundum, licet ipse nec videat,
» nec tangat, nec sciat, aut recordetur se habere, nisi
» aliud exprimatur..; nec necesse est retinere donec expi-
» ret. : sufficit... nomen Jesu... invocare. »

Sixtus V in Bullâ *Reddituri*, 11 junii 1587, indulgentiam plenariam concessit omnibus fidelibus qui, dum per vitam assueti erant devotè invocare SS. Nomen Jesu aut Mariæ, in articulo mortis illud invocant ore, vel si non possunt, saltem corde, accipientes cum resignatione, tanquam è manu Dei, morbum et mortem in expiationem peccatorum. — De Herdt, pars 6, n° 27 I. Vide etiam *Chrétien éclairé*, etc., n° 85.

3964. Communio non est necessaria ad lucrandas indulgentias in articulo mortis, si possibilis non sit (*Chrétien éclairé*, p. 98, 4e édit.); requiritur et sufficit quòd nomen Jesu invocetur, etiam ab iis qui numismata aut coronas deprecatorias possident (S. Liguor., lib. 6, 534, 4°).

CAPUT VII.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

3965. Diximus supra (1662-1663) quid sit sacramentum Ordinis et quot ordines numerentur.

De fide est Ordinem esse sacramentum novæ legis : « Si
» quis dixerit Ordinem sive Sacram Ordinationem non
» esse verè et propriè Sacramentum à Christo Domino
» institutum..., anathema sit. » (Concil. Trid., sess. 23, can. 3.)

3966. Hoc autem constat ex eo quòd in ordine habeantur ex Scripturâ tria quæ sacramentum constituunt : 1° signum sensibile : *orantes imposuerunt eis manus* (Act. Apost., c. 6, v. 6); 2° promissio gratiæ : « Noli negligere gratiam quæ
» data est tibi cum impositione manuum presbyterii »
(1 Tim., c. 4, v. 14); 3° institutio Christi : « Ipse dedit quosdam
» Apostolos... alios autem pastores et doctores in opus

» ministerii » (ad Ephes., 4, v. 11); « hoc facite in meam com-
» memorationem » (S. Luc, c. 22, v. 19). Ergo, etc.

An verò singuli Ordines, vel an quidam tantùm eorum sint sacramenta, et quinam sint certè sacramenta, diximus supra (1693).

Ordo constituit ministros Dei, qui duplicem peculiarem habent potestatem : *ordinis* nempe, erga Corpus Christi reale et simul mysticum, videlicet conficiendi Eucharistiam et peccata absolvendi ; alteram *jurisdictionis*, erga solum corpus Christi mysticum. (S. Liguor., lib. 6, n° 733.)

Effectus hujus sacramenti sunt : 1° gratia sanctificans; 2° gratia sacramentalis, ad ministerium ritè exercendum; 3° impressio caracteris. Quænam verò sit materia singulorum ordinum, diximus supra (1694, 1698, 1706, 1709, etc., 1733) ; et quis tandem sit verus et proprius Minister Sacramenti Ordinis, diximus (1720-1723, 1734, 1962-1998).

3967. Quærit. 1° An validè ordinaretur Latinus per materiam à Græcis adhibitam, nempe per solam manuum impositionem, et è converso ?

Resp. 1° Non adest difficultas pro casu quo Græci ordinarentur per formam à Latinis adhibitam : cùm etiam in Ecclesiâ Latinâ, in ordinatione Diaconi, Presbyteri et Episcopi, adhibeatur impositio manuum.

2° Si verò Latinus ordinaretur solâ impositione manuum, controvertitur inter theologos an valida foret talis ordinatio : utraque sententia tam affirmans quàm negans est probabilis, inquit S. Liguor. qui tamen ut probabiliorem habet affirmantem; sed quia in administratione sacramentorum, ubi agitur de illorum validitate, sententia tutior est sequenda, in praxi teneri non potest hæc sententia affirmans, sed adhuc sunt porrigenda instrumenta. Quapropter plura hîc sunt discutienda. Vide S. Liguor., lib. 6, n° 741.

3968. Quærit. 2° An, attentâ probabili sententiâ eorum qui dicunt traditionem instrumentorum requiri ad ordinationis valorem, omninò requiratur illorum contactus ex parte suscipientis?

Resp. Duplicem esse sententiam circa hanc quæstionem, ut videre est apud S. Liguor. (lib 6, 742), qui de sententiâ

affirmante, ait: « Cùm sit satis probabilis, omninò in » praxi sequenda est, saltem in ordine presbyteratûs et » diaconatûs: nam quoad alios ordines, probabile est non » esse sacramenta. »

3969. Quoad hanc opinionem affirmantem, iterum controvertitur an contactus physicus requiratur, vel an sufficiat moralis, scilicet quòd initiandus, nutu aliquo acceptet: sententia affirmans requiri contactum physicum, magis communiter habetur ut probabilior, juxta S. Lig. (lib. 6, n° 743), qui addit sufficere tamen quòd unâ manu tangantur instrumenta, et pariter sufficere tactum mediatum, nempe si chirothecis vel medio velo tangerentur.

Nota quòd, saltem in ordinibus sacris conferendis, instrumenta tradi debent ab eodem Episcopo qui Formam profert (S. Liguor., lib. 6, n° 744): cùm enim aliquis Episcopus Sagiensis consuevisset, non per se sed per presbyteros assistentes, porrigere instrumenta, re ad Clementem VIII delatâ, præcepit Pontifex ut secretò iteraretur cæremonia. Vide Lequeux, n° 816.

3970. Quærit. 3° An in ordinatione presbyteri necesse sit ut, unà cum calice et patenâ, tradatur simul utraque species panis et vini?

Resp. Quamvis in hoc dubio sententia negans, et dicens sufficere ut una species tradatur, sit probabilis, probabilius tamen habetur quòd requiratur traditio utriusque speciei; et cùm hæc sententia sit etiam tutior, omninò est sequenda in praxi. (S. Liguor., *ib.*, n° 750.)

3971. Quærit. 4° An validè ordinaretur tangens hostiam tantùm et non patenam?

Resp. Sententiam affirmantem *probabilissimam et ferè moraliter certam* vocari à S. Liguor. (*ib.*, n° 751); sed quia de hoc quidam dubitant, eò quòd in Decreto Eugenii IV, pro materiâ presbyteratûs assignetur *calix cum vino* et *patena cum hostiâ*, et dicatur in *Pontificali: et cuppam calicis* et *patenam simul tangant*, dicit S. Liguor. consultum esse ut talis ordinatio repetatur sub conditione: esto enim quis possit quiescere in primâ ordinatione, propter opinionem æstimatam moraliter certam, tamen non pec-

cabit, si, stante oppositâ aliorum pro nullitate sacramenti, ad majorem animi quietem, ordinetur denuò, quod Episcopus licitè in gratiam ejus poterit facere, ut pellatur anxietas ordinati, quando esset vehemens.

3972. Quærit. 5° An validè ordinetur sacerdos qui tantùm calicem et patenam tangit, non autem hostiam?

Resp. Nonnullos dubitare de validitate hujusmodi ordinationis; sed quia non jubetur à *Pontificali* tactus immediatus nec vini nec hostiæ, communiter ut certa habetur sententia affirmans; cæterùm rectè advertunt Salmanticenses, inquit S. Liguor. (*ib.*, n° 752), curandum esse ordinando tam calicem quàm patenam et hostiam contingere, ut ab omni scrupulo se eximat.

3973. Quærit. 6° An validè ordinetur qui solum calicem immediatè tangit, et non patenam.

Resp. A multis haberi ut moraliter certam sententiam affirmantem; esse tamen qui propugnant oppositam sententiam, quam non improbabilem judicat S. Liguor. : et ideo in praxi istam esse tenendam utpote certiorem, et talem clericum esse reordinandum sub conditione (*ib.*, n° 753).

3974. Quærit. 7° An et quomodo sint supplendi defectus in ordinatione commissi?

Resp. Supplendos esse graves defectus in ordinatione commissos : ita communiter; porrò vel illi defectus sunt circa accidentia, vel circa essentialia : si priùs, modò sint defectus graves, puta si defuerit unctio manuum presbyteri initiandi, quàmprimùm suppleri debent, et ab eodem Episcopo, si fieri potest : grave autem esset peccatum talem defectum non supplere, et sic ministrare; sed non incurreretur irregularitas in hoc casu; nec etiam, ut videtur, in casu quo dubitatur an defectus sit essentialis. Non autem supplenda esset cæremonia casu quo initiandus non dixisset Canonem cum Episcopo. (S. Liguor., *ib.*, n° 758.)

3975. Si posteriùs, nempe si defectus essent circa materiam aut formam, indubiè tunc essent supplendi. — Sed inquiri potest an tota ordinatio sit tunc reiteranda? Si agatur de ordinatione presbyteri, diximus supra (1711) quomodo in quibusdam casibus debeat reiterari : adde hic

quòd si pars materiæ fuerit, vel dubitetur an fuerit omissa, v. g., si tradita fuisset patena cum hostiâ, et calix sinè vino, tota ordinatio esset repetenda; et idem est dicendum de ordinatione Episcopi et Diaconi (cap. *Presbyter*, *de Sacram. non iterandis*); hoc tamen non exigitur pro casu dubii in aliis ordinationibus : in eis enim, si adsit probabilitas pro valore ordinis suscepti, defectus non est necessariò supplendus, eò quòd in sacerdotio postea suscipiendo omnis illorum potestas recipiatur. S. Liguor., lib. 6, n° 858. Carens autem ordine sacerdotii vel Episcopatûs invalidè eorum munera exerceret; aliis verò ordinibus carentes, licitè quidem possent exercere si essent minores, sed illicitè si essent majores, et incurri posset irregularitas. (S. Liguor., n° 754.)

3976. Quærit. 8° Quonam tempore supplendi sint defectus commissi in ordinatione?

Resp. Sic haberi in cap. *Presbyter* modò citato, occasione omissionis impositionis manuum in ordinatione presbyteri vel diaconi : « Si omissum fuerit, non est aliquatenus iterandum, sed, statuto tempore ad hujusmodi ordines conferendos, cautè supplendum quod per errorem exstitit prætermissum. » Ex illo canone communiùs arguunt DD. defectus commissos in ordinatione esse supplendos tempore ordinationibus assignato, non verò quocumque anni tempore, ut volunt Salmantic.; distinguit autem S. Liguor. et dicit defectus essentiales deberi suppleri tempore ordinationibus assignato; secus, si defectus sint accidentales; deinde addit : « Probabiliter... dicit Tambur... et Croix.. quòd si ob solum dubium, iteretur sub conditione ordo vel cæremonia aliqua, poterit iterari quovis die et à quovis Episcopo, eodemque die poterunt simul conferri ordines, tam majores quàm minores, adhibitis solis solemnitatibus probabiliter necessariis ad valorem. » S. Liguor., lib. 6, n° 759.

3977. Quærit. 9° An irregulares, excommunicati, vel alio modo indigni tanquam validè ordinati sint habendi, quando ante ordinationem Episcopus protestatus est se nolle hujusmodi indignos ordinare?

Resp. Communiùs affirmari contra Molfesium, eò quòd talis protestatio sit tantùm ad incutiendum terrorem : dicit tamen Benedictus XIV meliùs esse in hoc casu interrogare ordinantem de suâ intentione, et si ipse asserat suam intentionem protestationi alligasse, ordinationem tunc absolutè esse reiterandam; si verò de hoc dubitetur, sub conditione esse repetendam : sic pluries decidit S. Congr. Concil.; affertur tamen alia declaratio quâ dicitur valida ordinatio cujusdam cum falsis litteris dimissoriis, etsi præmissa fuisset protestatio Episcopi excludens voluntatem ordinandi eos qui essent destituti conditionibus requisitis; sed in hoc casu protestatio facta fuerat à Secretario, et Episcopus declaravit habuisse veram intentionem ordinandi etiam carentes requisitis conditionibus. Vide Ferraris, v° *Ordo*, art. 4, n° 5; et S. Liguor., lib. 6, n° 784.

3978. Etsi laudabiliter Episcopus prohibeat sub censuris, uti fieri solet, ne ad ordinationem accedant ii qui canonico impedimento sunt irretiti, improbatur tamen modò dicta protestatio *se nolle omnino tales ordinare*, ob anxietates quæ exinde essent orituræ, et sinè gravi peccato nequiret Episcopus sic suspendere suam intentionem. V. Bened. XIV (*De Syn.*, lib. 8, cap. 11, n° 1); Ferraris, *ib.*, n° 54.

Alia sacros ordines vel ordinationem spectantia expendimus supra, loquendo de Hierarchiâ Ordinis. — Ad quid verò teneatur sacerdos ratione promissionis Episcopo factæ in suâ ordinatione, vide dictum supra (n° 622).

CAPUT VIII.

DE MATRIMONIO.

3979. Matrimonium sic vocatur quia in eâ societate præcipuæ partes, saltem in principio, ad matrem spectant : quasi diceretur *matris munium*. Pluribus aliis nominibus appellatur : videlicet *conjugium*, à communi jugo cui vir et mulier subjiciuntur; *nuptiæ* vel *connubium*, quia sponsæ olim velabantur cùm maritis tradebantur, etc.

3980. Considerari potest matrimonium vel ut contractus,

vel ut sacramentum : ut contractus, juxta Catechismum Romanum (pars 2, cap. 8, n° 5), « ex communi theologo- » rum sententiâ definitur : *viri et mulieris maritalis con-* » *junctio, inter legitimas personas, individuam vitæ consue-* » *tudinem retinens.* »

Ut verò sacramentum, est *idem contractus, sed inter christianos tantùm initus, quatenus fuit à Christo evectus ad dignitatem Sacramenti, ad significandam unionem suam cum Ecclesiâ, et conferendam conjugibus gratiam quâ piè vivantur et prolem in fide christianâ sanctè instituant.* « Sacramentum hoc magnum est, ait Apostolus (ad Ephes., » c. 5) : ego dico in Christo et Ecclesiâ. »

Dicemus 1° de Sponsalibus ; 2° de Bannorum proclamatione ; 3° de naturâ et proprietatibus Matrimonii quatenus est contractus ; 4° de Matrimonio prout est Sacramentum, de ipsius proinde Materiâ, Formâ, Ministro, etc. ; 5° de impedimentis Matrimonii ; 6° de Matrimonii irriti revalidatione. V. *Syllabi* prop. 65, etc. et App. XI.

ART. I.

DE SPONSALIBUS.

I.

Quid sint Sponsalia.

3981. Sponsalia sunt *promissio vera, deliberata, mutua, signo sensibili expressa futuri Matrimonii, inter personas habiles et determinatas.*

Sunt 1° *Promissio :* simplex enim propositum nubendi non sufficeret, cùm non induceret obligationem.

3982.—2° *Vera*, id est, ex animo se obligandi : non enim verba, sed internus consensus voluntatis obligationem inducit. Sed hîc inquiri potest an Matrimonium teneatur contrahere qui fictè sponsalia promisit alteri sincerè repromittenti ? —Respondetur : vel is fictè promittens 1° non habuit animum contrahendi, et certè non tenetur stare promissis.

cùm in eo defuit promittendi voluntas: ita communiter; — vel 2° non habuit animum se obligandi, et si hoc procedat ex ignorantiâ naturæ promissionis, etiam tunc non tenetur stare promissis, cùm in hâc hypothesi defuit pariter voluntas se obligandi; si verò hoc non procedat ex ignorantiâ, sed quia contrahens noluit ad matrimonium se obligare, duplex est sententia, et S. Liguorius suscribit sententiæ neganti obligationem contrahendi matrimonium in hoc casu: quia omnis obligatio quæ non habetur ex lege, oritur ex privatâ hominis voluntate; ac proinde ubi deest voluntas se obligandi, obligatio deficit: et hoc, etiamsi promissio fuerit juramento firmata; tenetur tamen fictè promittens, ratione deceptionis damna resarcire, sed non tenetur, vi promissionis, verum consensum ponere et matrimonium contrahere, nisi interveniat defloratio, quia tunc damnum non sat æquivalenter resarciri potest nisi per matrimonium (S. Liguor., lib. 6, n° 833): quod est conforme juri romano (cap. 1, *De adult. et stup.*), in quo dicitur: « Si quis seduxerit virginem, dormieritque cum » eâ, dotabit eam et habebit uxorem »; sed ex hodiernâ consuetudine tribunalium magis receptâ, hæc lex interpretatur in sensu disjunctivo: *dotabit* eam *aut habebit* in uxorem (Ita Card. Soglia, *Instit. jur. priv.*, § 138); — vel denique 3° promittens solùm non habuit animum adimplendi promissum, et tunc certè ad contrahendum tenetur, quia contracta fuit obligatio.

Benè advertunt Salmantic. et Viva quòd si quis sciret oriri obligationem ex promissione, sed ad eam non adverteret, nihilominus teneretur, quia jam habuit voluntatem virtualem se obligandi. (S. Liguor., lib. 6, n° 882.)

3983. — 3° *Deliberata*, et quidem deliberatione quæ sufficiat ad peccatum mortale, cùm sub mortali sponsalia obligent: unde regulariter non sunt valida ante septennium, nisi usus rationis adfuerit, quia tunc sunt valida, juxta probabiliorem sententiam. Vide S. Liguor., lib. 6, n^is 831, 834.

3984. Sponsalia contracta per dolum dantem causam contractui, probabiliùs invalida non sunt, si dolus versa-

retur tantùm circa qualitatem; verùm deceptus actionem habet ad irritandum contractum, licet deceptio ab alio tertio procederet : imò sat probabile est quòd non teneatur stare contractui in conscientiâ, si suus error verè fuerit invincibilis. Probabiliùs est verò quòd decipiens stare debeat suis promissis. (S. Liguor., lib. 6, n[is] 835, 836.)

3985. Si autem per metum gravem contraherentur sponsalia, valida quidem essent si metus esset justus : si verò esset injustus et ex causâ extrinsecâ, scinduntur DD. : alii enim volunt illa esse tantùm rescindibilia, alii autem ipso jure nulla; ut probabiliorem habet S. Liguorius sententiam quæ dicit illa esse ipso jure nulla : non solùm ob cap. *Ex litteris, de despons. impub.*, sed quia nemo potest obligari ad exsequendum actum per se nullum, et cui jus resistit, quale esset matrimonium durante tali metu contrahendum; proinde nec ad ipsius media seu præparationem prout sunt sponsalia (S. Liguor., lib. 6, n° 844). — Ex cap. *Ex litteris* modò citato, sponsalia metu contracta non obligant, etiamsi essent juramento firmata.

3986. Quoad sponsalia contracta metu levi qui dederit causam contractui, juxta communiorem et probabiliorem sententiam, valida reputantur : attamen communiùs pariter ac probabiliùs tenetur contrahentem ex tali metu posse in conscientiâ illa rescindere : metus, ut patet, supponitur injustè incussus. S. Liguor. (*ib.*, *quær.* II et III).

3987. — 4° *Mutua :* unde si una pars tantùm obligaretur (quod probabiliùs fieret casu quo ipsius promissio esset absoluta, gratuita, et sic acceptaretur ab aliâ parte), tunc esset quidem obligatio, sed non essent sponsalia; et sat probabiliter talis obligatio non urgeret sub gravi, nec produceret impedimentum publicæ honestatis. S. Liguor. (lib. 6, n° 837). — Hæc supponunt quòd acceptans sponsalia non ideo censeatur semper simul repromittere : hoc ut probabilius à multis habetur contra etiam plures à S. Liguorio citatos (*ib.*, n° 836); sed in factâ hypothesi, ut promittens sit obligatus, requiritur ut voluerit se obligare independenter ab alterius repromissione, atque hoc sit certum (*ibid*).

3988. Non solùm inter præsentes sponsalia contrahi possunt, sed etiam inter absentes, per litteras aut procuratorem (Card. Soglia, *Instit. jur. priv.*, § 141). Ut ritè contrahat procurator, muniri debet speciali mandato pro determinatâ personâ, quod non sit revocatum ante sponsalia: quia tunc, etsi ignorante procuratore, nulla ipsa essent, ex cap. fin. *De Procuratore*, in 6°.

3989. — 5° *Signo sensibili expressa :* quia contractus inter homines non fiunt nisi signo externo; si tamen, præsente filio et non contradicente sed tacente, parentes contrahant sponsalia, communiter valida habentur, ut constat ex cap. unico *de despons. impub.*, in 6°, ubi dicitur : « Ex sponsalibus quæ parentes pro filiis puberibus plerumque contrahunt, ipsi filii, si expressè consenserint, vel *tacitè, ut si præsentes fuerint* nec contradixerint, obligantur » : quod intelligendum non tantùm de patre sed etiam de matre; sed probabiliùs ad alios, etsi tutores, non est extendendum[1]: supponitur tamen filios sic tacentes reverà positivè consentire. (S. Liguor., lib. 6, n° 839.)

Imò, etiam casu quo parentes sponsalia promittunt in absentiâ filiorum, probabilius est ipsa esse valida, si cùm filii hoc audiunt, non contradicant, modò parentes per se, vel per epistolam, aut per nuntium filios certiores faciant, et filii reverà, ut jam diximus, internè consentiant.—S. Liguor., *ibidem*.

3990. Solemnitas tamen non requiritur in sponsalibus; nec posset Episcopus ea irrita declarare eò quòd contracta fuerint in parochi absentiâ. Vide Bened. XIV (*De Syn. diœces.*, lib. 12, c. 5, n° I).

3991. — 6° *Futuri matrimonii :* verba enim quibus sponsalia contrahuntur debent esse de futuro matrimonio: attamen matrimonium ab impuberibus contractum per verba de præsenti, communiter dicitur valere ut sponsalia, uti constat ex dicto cap. unico, *de despons. impub.*, § *idem*, in 6°. Quidam volunt ut idem pronuntietur de matrimonio

[1] Nec obstat regula juris 43, in 6° : « Qui tacet consentire videtur », quia hæc regula vera est in favorabilibus, non autem in obligatoriis, ubi veriùs oppositum præsumitur.

clandestinè inter puberes inito; sed communissimè hoc rejicitur, quia cùm actus est nullus, non jam ex parte contrahentium, sed ex parte suî ipsius prout in casu, talis actus nullam parit obligationem. S. Liguor., lib. 6, n° 841.

3992. Quando verba aut signa sunt dubia, in foro conscientiæ standum est intentioni contrahentium, si de illâ constet: in foro autem externo standum est communi sensui verborum, inclinando in favorem libertatis, ut probabiliùs ait Viva. (S. Liguor., lib. 6, n° 840.)

Communiter ut sufficientes ad sponsalia non habentur voces *non ducam aliam quàm te*, nisi ex circumstantiis colligi debeat sic loquentem voluisse se obligare; probabilissimè sufficerent verba de præsenti *nullum volo nisi te*; S. Liguor. *ib.*, 842). — Quoad verba *contraham tecum si Papa dispensaverit*, probabiliùs est quòd, impletâ conditione, valida efficiant sponsalia; et interim, licet non valeant ad inducendum impedimentum publicæ honestatis, obligant tamen ad petendam dispensationem, si Papa in tali impedimento soleat dispensare. (S. Liguor., lib. 6, n° 843.)

Subarrhatio autem annuli aut aliarum rerum, missio munerum jocalium non sufficiunt ad sponsalia, nisi consuetudo localis aliud habeat, aut verba promissionis matrimonii præcesserint: tunc enim accipiens arrhas vel munera tacitè consentit.

3993. — 7° *Inter personas habiles*: id est quæ ætatem à jure statutam habent et nullo impedimento detinentur (cap. unic., *De despons. impub.*, modò citato); qui tamen scienter sponsalia contrahunt cum iis qui ætatem nubendi nondum habent, validè contrahunt; et si scienter cum ligatis aliquo impedimento, tenentur expectare quòd petita fuerit dispensatio: in hoc autem posteriori casu, sponsalia non inducunt impedimentum publicæ honestatis nisi concessa fuerit dispensatio. S. Liguor., lib. 6, n° 843.

3994. — 8° *Et determinatas*: sponsalia enim sunt via et præparatio ad matrimonium; ergo nequeunt consistere nisi cum unâ et determinatâ personâ: promissio facta personis non determinatis, etsi in quibusdam casibus obliga-

tionem inducere valeat, tamen, antequam persona sit designata, non potest gignere impedimentum publicæ honestatis, uti declaravit Bonifac. VIII, cap. *unico, de sponsal.*, in 6°. Vide Card. Soglia, *Instit. jur. priv.*, § 137.

§ II.

De obligatione Sponsalium.

3995. Sponsalia obligant sub mortali ad ineundum Matrimonium : licet enim promissio simplex non inducat gravem obligationem, secus est dicendum de promissione mutuâ quæ ex utrâque parte obligat.

Implenda sunt autem sponsalia tempore præfixo : si verò nullus terminus fuerit præfixus, verior sententia tenet implenda esse tunc statim ac commodè fieri potest, nisi pars altera dilationi consentiat, prout consentire censetur quando tacet, dum commodè posset urgere sponsalium adimpletionem.—S. Liguor. (lib. 6, n° 845); Card. Soglia (*Instit. jur. priv.*, § 147).

3996. Controvertitur an judex debeat cogere ad implenda sponsalia : veriùs autem dicitur quòd si ex tali matrimonio timeantur rixæ, aut scandala, judex non debet partem invitam cogere ad illud ineundum; secùs si scandala non timeantur : et ita habetur expressum in cap. *Ex litteris* 10, *de spons.*, ubi dicitur : « Ecclesiasticâ censurâ compellas, » nisi rationabilis causa obstiterit »; idem fuit declaratum à S. C. Conc. : sed rarò expedit ut partes ad sic contrahendum cogantur. Vide cap. *Requisivit*, *de sponsalibus* (S. Liguor., lib. 6, n° 846). — Quomodo autem sint concilianda cap. *Ex litteris* 10 Alexandri III, et cap. *Requisivit* 17 Lucii III, tit. *De spons. et matr.*, vide apud Carrière, *De Matrim.*, n° 368.

3997. Ex jure verò civili nostro, ad summum cogi potest ad compensationem damni qui sponsalia renuit adimplere, quia, ex art. 1142 et 1147 Codicis civilis, ad hoc reducitur omnis obligatio faciendi vel omittendi : ita Touiller ; imò nec ad hoc posset cogi, juxta Delvincourt et Duranton. Vide Carrière, *De Matrim.*, n° 369.

3998. Ex communiori et probabiliori sententiâ, invalida sunt sponsalia posteriora contra priorem fidem inita, etsi fuerint jurata, aut copula etiam intercesserit, et secunda sponsa priorum sponsalium fuerit inscia : quia secunda promissio est de re illicitâ, cùm sit de re alteri debitâ. Dicunt tamen plures quòd, ex æquitate, prima sponsa teneatur cedere juri suo, si altera ex defloratione grave damnum pateretur; sed hoc non improbabiliter negatur ab aliis, quia secunda sponsa sibi imputare debet damnum quod patitur. Vide S. Liguor., lib. 6, n° 848.

3999. Quærit. 1° An matrimonium merè civile, prout fit in Galliâ coram magistratu, haberi possit instar sponsalium?

Resp. Multi affirmabant, quando saltem contrahentes intentionem habent postea contrahendi coram parocho; quia volunt se obligare saltem implicitè ad matrimonium coram Ecclesiâ contrahendum, unde censerentur sponsalia saltem contrahere. Secus casu quo nollent se sistere postea coram parocho: tale matrimonium ut clandestinum et nullum prorsus, nullatenus habet vim sponsalium. S. C. Conc. apud Carrière, *De Matrim.*. n° 365; Gury, t. 2, n° 545; *Analecta*, jan. 1856, col. 1871. Sed recentius S. C. C. ad dubium : « An actus, qui vulgo audit *Matri-» monium civile*, pariat impedimentum publicæ hones-» tatis? » respondit : « *Negative, facto verbo cum SSmo ut » id decernere et declarare dignetur per decretum gene-» rale.* » Die 13 mart. 1879.

4000. Quærit. 2° An valida sint sponsalia filiorumfamiliâs, insciis aut invitis parentibus, contracta?

Resp. Solutionem hujus dubii pendere à solutione quæstionis, an liceat filiisfamiliâs matrimonium contrahere, insciis aut invitis parentibus.

4001. Porrò certum est: 1° hujusmodi matrimonia non esse invalida, ut contra Lutherum, Bucerum et Erasmum declaravit Concil. Trident., sess. 24, c. 1, *de reform. Matr.*, ubi dicitur : « quique falsò affirmant matrimonia à filiis

» familiâs sinè consensu parentum contracta, irrita esse,
» et parentes ea rata vel irrita facere posse. »

1002. — 2° Quoad verò liceitatem dictorum matrimoniorum, plures sunt sententiæ : *Prima,* quæ est communior, docet illa esse graviter illicita, quia de iis Concil. Trident. ait: « Sancta Dei Ecclesia, ex justissimis causis, illa semper » detestata est, atque prohibuit. » *Secunda* dicit filios teneri quidem sub mortali parentum consilium requirere, non verò illud sequi : quod sub gravi teneantur illorum consilium requirere, probatur ex eo quòd ad parentes spectet bono filiorum prospicere, et esset gravis despectus illorum experientiam in re tam gravi non curare; quòd non teneantur illorum consilium sequi saltem sub gravi, deducitur ex eo quòd filii sint liberi circa statûs electionem ; — nec obstant verba modò relata Concilii Tridentini, quia intelligi possunt de solis matrimoniis clandestinis. *Tertia* sententia dicit quòd filiifamiliâs matrimonium contrahentes, insciis aut invitis parentibus, peccent, sed tantùm venialiter : ratio est quòd non potest esse obligatio sub mortali consulendi parentes, ubi non est gravis obligatio illorum consilium sequendi. Communiter tamen dicunt, tam hujus quàm præcedentis sententiæ patroni, non excusari à mortali filios sic contrahentes, casu quo parentes justè contradicunt, puta si tales nuptiæ redundarent in dedecus familiæ, vel si ex eis sint oritura gravia scandala aut dissentiones. *Quarta* demùm sententia distinguit, et dicit quòd, si parentes ab omni matrimonio avertant cum periculo incontinentiæ, filii non teneantur eis obedire; si verò determinato matrimonio se opponant, vel illud justè agunt, nempe quia ex tali matrimonio oriretur scandalum vel dedecus familiæ, et tunc contrahendo, iis invitis, graviter filii peccant : vel injustè parentes impediunt dictum matrimonium, et tunc filii nubendo, ipsis invitis, minimè peccant.

1003. Ex expositione præhabitâ, patet quòd, in omni sententiâ, illicitum sit matrimonium filiorumfamiliâs, invitis parentibus, contractum, si in dedecus familiæ redundet, vel si ex eo scandala sint oritura.

1004. Conveniunt pariter DD. filios excusari saltem à

mortali si ex justis causis sinè consensu parentum nuptias ineant; videlicet : 1° si pater injustè prohibeat filium à conjugio; 2° si causâ majoris dotis indignam mulierem ei dare velit; 3° si justum matrimonium prohibeat quia vult ut filius mulierem ducat contra ipsius voluntatem, vel si prohibeat sinè justâ causâ, in quo graviter peccat; 4° si pater procul distet, et filius non possit commodè eum certiorem facere, credatque patrem libenter consensurum.

4005. Etsi, juxta sententiam communem, filius non teneatur obedire patri præcipienti ut matrimonium contrahat, vel ut aliquam ducat mulierem à quâ filius abhorret, communiter tamen DD. dicunt illum teneri obedire, si matrimonium valdè referat ad tollenda gravia dissidia, vel ad sublevandam gravem necessitatem parentum : non jam vigore præcepti, sed ex virtute pietatis quâ filius tenetur subvenire suis parentibus : intellige tamen si filius velit statum conjugalem amplecti, quia impediri nequit quin statum meliorem eligat; si verò filius jam sponsalia contraxerit à quibus justè resilire nequeat, non potest pater eum cogere ad aliam ducendam. S. Liguor., lib. 6, n° 850.

4006. His ergo explicatis, deveniendo nunc ad propositam quæstionem, dicimus cum DD. quòd, casu quo filii matrimonium inire nequeunt sinè peccato etiam veniali, ipsi tunc ad contrahendum non obligentur, etiamsi sponsalia juramento fuissent confirmata, quia juramentum non potest esse vinculum iniquitatis : vide rationes in probationem allatas à S. Liguor. (lib. 6, n° 849); casu verò quo matrimonium inire possunt sinè peccato, sponsalium vinculo obstringuntur.

4007. Communiter autem DD. sentiunt non teneri sponsum ad implenda sponsalia cum gravi parentum injuriâ, etiamsi virginem defloraverit : quia virtus justitiæ nequit obligare ad actum qui sinè peccato impleri non potest : et hoc probabiliter dicitur etiam in casu quo sponsus non posset defloratam dotare, quia non potest damnum illius reparare cum gravi injuriâ parentum; et ad illud non te-

netur cum multum excedenti suo detrimento. (S. Lig., *ib.*)

1008. An autem non solùm rescindibilia sint sponsalia contra voluntatem parentum contracta, casu quo tale matrimonium esset illicitum, sed adhuc sint prorsus nulla, controvertitur : « Multa enim, inquit Innocent. III (cap. 16, » *De Regul.*), prohibentur, quæ si facta fuerint, obtinent » firmitatem. » Videntur tamen prorsus nulla, si matrimonium in dedecus familiæ vergeret, cùm nemo possit se ligare ad lædendum proximum, maximè parentes. (Card. Soglia, *Instit. jur. priv.*, § 146.)

1009. Quærit. 3° An notabilis disparitas conditionis irrita efficiat sponsalia?

Resp. 1° Certum est illam disparitatem irritare sponsalia si, illis contractis, superveniat, et ignoratio talis mutationis causa fuerit contractûs; si verò, prævisâ aut cognitâ illâ notabili disparitate, nihilominus sponsalia fuissent contracta, communiter dicunt DD. sponsos teneri tunc ad matrimonium, nisi ex illo eveniret dedecus aut scandalum propinquorum; sanctus verò Liguor. distinguit dedecus à scandalo, et dicit quòd si matrimonium nequiret contrahi nisi cum dedecore familiæ, puta si vir nobilis desponsasset filiam artificis vel agricolæ, tunc non est dubitandum quin talia sponsalia sint nulla, cùm sint de re illicitâ, utpote vergente in magnum familiæ detrimentum, etsi intercesserit virginis defloratio; si verò non in dedecus familiæ vergeret matrimonium, sed duntaxat esset magna disparitas in divitiis, sponsalia tunc essent promissio prodiga; porrò, juxta communem et veriorem sententiam, promissio prodiga non obligat, quando res promissa est impartibilis, prout in casu : unde etiam in hâc *secundâ* hypothesi, nulla sunt sponsalia; sed quia culpa prodigalitatis est tantùm venialis, quævis mediocris causa illud vitium auferre potest; hinc satis excusabitur vir feminam disparem ducens, si noverit in eâ aliquam specialem prærogativam, sive naturalem sive supernaturalem, propter quam putet cum illâ vitam ducere quietam; et quia rarissimè deerit aliqua ex eis causis quæ culpam prodigalitatis excusent, vix eveniet quòd sponsus disparem solùm in di-

vitiis ducere non teneatur, et imprimis ad hoc tenebitur si vi promissionis copulam extorserit à virgine.

4010. Si verò ex talibus sponsalibus prodigis, non dedecus familiæ, sed damna aut odia propinquorum timenda essent, communiter quidem DD. dicunt illa non obligare, etiamsi sponsa deflorationem passa fuisset: et hoc per se loquendo, verum est, inquit S. Liguor., quando filius commodè potest hujusmodi scandala vitare, quia tunc ageret contra charitatem; sed si nequeat ea vitare sinè gravi suo incommodo, tunc ad hujusmodi scandala vitanda astringi non videtur : porrò solet adesse grave incommodum quòd vir debeat se abstinere à nuptiis in quibus putat se quietam et felicem vitam esse ducturum; ergò, etc. Ita S. Liguor. lib. 6, n° 851, qui tamen addit : « cùm hoc sit contra » commune, propterea sapientibus discutiendum relin- » quo. »

4011. Quærit. 4° An sponsis liceat, contrahendo sponsalia, convenire de pœnâ à resiliente solvendâ?

Resp. 1° Talis appositio generaliter facta, etiam à consanguineis aut amicis, est illicita et invalida, quia per similem pœnam libertas matrimonii læderetur : constat ex cap. *Gemma*, *de sponsalibus*, ubi dicitur : « Cùm itaque libera » matrimonia esse debeant, et ideo talis stipulatio propter » pœnæ interpositionem sit meritò improbanda. » Disputatur verò an sit illicita sub gravi.

4012. Si talis appositio non sit generalis, sed tantùm sit facta in injustè resilientem, controvertitur an sit tunc valida et licita; sanctus autem Liguorius probabiliorem habet sententiam affirmantem : quia talis appositio non magis adversatur libertati matrimonii quàm sententia judicis justè cogentis ad implenda legitima sponsalia ; ergo, etc.

4013. Sed ad quid teneretur justè resiliens si juramento se obstrinxisset ad pœnam solvendam; tenereturne vi sui juramenti? — Hoc controvertitur; sententiam negantem ut probabiliorem habet S. Liguor. (lib. 6, n° 852, q. 2°), qui addit (*quærit*. 3°) esse pariter probabilius quòd recipiens pœnam adjectam teneatur in hoc casu ad restitutionem.

4014. Dicta stipulatio pœnæ à resiliente sponsalia sol-

vendæ, confundi non debet cum traditione arrharum sponsalitiarum. Hoc nomine veniunt, inquit Card. Soglia (*Inst. jur. priv.*, § 143), res quas unus ex sponsis, vel uterque tradit in pignus matrimonii ineundi. Ratio discriminis inter arrhas et appositionem pœnæ, est quod homines soleant esse cautiores in dando quàm in promittendo, undè arrhæ sunt ordinariè parvi momenti ac proinde minus restringunt matrimonii libertatem. Vide Carrière, *De Matrimonio*, nº 370. Secuto matrimonio arrha est restituenda illi qui eam tradidit, quemadmodum pignora redduntur statim ac res promissa impletur. — Item restituenda est arrha, si matrimonium, absque ullâ tradentis culpâ, celebrari non possit, puta, si alter sponsus moriatur, vel etiam si arrham tradens ex justâ causâ resiliat à sponsalibus, veluti si Religionem ingrediatur. Si verò unus è contrahentibus culpabiliter violet datam fidem, ipse arrhas à se datas perdit, et acceptas reddere tenetur etiam ad duplum, si nullas ipse tradiderat : quinimò si contrahentes de reddendo duplo, triplo aut quadruplo (non tamen ultra, ne libertas matrimonii minuatur) pactionem fecerint, pactum est servandum; in his autem servandæ sunt consuetudines locorum : sic in multis locis, arrhæ, secuto matrimonio, non restituuntur. Vide alia apud Card. Soglia (*ib.*, § 143).

4015. In Galliâ Codex civilis ne verbum quidem habet de sponsalibus : ex quo jurisperiti concludunt ea non esse prohibita, et apud nos locum habere servando conditiones generatim præscriptas pro contractibus : ita Touiller, Merlin, ap. Carrière, *De Matrim.*, nº 363.

4016. Ante Conc. Trid., et post ipsum, ubi non vigebat decretum *Tametsi*, sponsalia, accedente copula, transibant in matrimonium, vi legitimæ præsumptionis ; cap. *Is qui*, etc., *de spons*. At hæc matrimonia præsumpta sublata sunt per decret. *Consensus mutuus*, 15 febr. 1892.

§ III.

De dissolutione Sponsalium.

4017. Multiplici modo dissolvuntur sponsalia :

I. *Per mutuum consensum* : sed hic est distinguendum

inter *puberes et impuberes :* inter puberes enim validè et licitè solvuntur sponsalia etiam juramento firmata, si adsit rationabilis causa; alioquin hoc esset veniale : ita communiter ; et hoc procedit etiamsi jurata fuerint principaliter in honorem Dei, quia juramentum in favorem alicujus, semper includit conditionem *si ipse acceptet*, vel *si non remittat*.

4018. Inter impuberes verò non solvuntur sponsalia nisi quando ipsi fiunt puberes : sed ab uno etiam ex contrahentibus pubere facto solvi possunt : ita cap. *De illis, de despons. impub.*, ubi dicitur : « Si is qui minoris ætatis est, cùm » ad annos illos (pubertatis) pervenerit, reclamaverit... » judicio Ecclesiæ (sponsi) poterunt ab invicem separari. » Sed statim, id est post triduum, reclamare debet pars cupiens sponsalia dissolvi : quod triduum intelligendum est, non à tempore pubertatis adeptæ, sed à die cognitionis privilegii resiliendi. Ita communiter, et deducitur ex lege finali, cap. *De errore advoc.* Probabiliùs autem reclamatio debet esse externa, nec sufficit dissensus internus, cùm dicatur in cap. citato *De illis : cùm reclamaverit*. Jus rescindendi sponsalia adimitur, si ante pubertatem adeptam copula carnalis inter impuberes perfecta fuerit (cap. 8, *de despons. impub.*). Controvertitur autem an sponsalia impuberum possint dissolvi, si fuerint juramento firmata : vide S. Lig., lib. 6, n° 856; Cardin. Soglia, *Inst. jur. priv.*, § 145, qui probabiliorem vocat sententiam negantem, ob auctoritatem Alex. III, cap. *Ex litteris, de Spons. et Matr.*, cujus Decretum non probatur fuisse revocatum per Decretalem Lucii III, in cap. *Requisivit*, eod.

4019. — II. *Per supervenientiam impedimenti Matrimonium dirimentis.* Certum est per hujusmodi impedimentum sponsalia dissolvi ex parte innocentis, ita ut iste non teneatur admittere dispensationem; et ad hoc requiritur sed sufficit fama impedimenti, non verò sufficit illius rumor (ex cap. *Cùm in tuâ, de spons.*, et cap. *Super eo, de Consang.*). *Fama* est autem quando adest opinio impedimenti apud majorem partem viciniæ, *rumor* quando apud minorem.

4020. Quoad nocentem res est dubia : communiùs tamen

et probabiliùs docetur suspendi tantùm ex illius parte obligationem sponsalium, donec tollatur impedimentum : quia æquum non est ut delinquens commodum ex suo crimine reportet ; imò probabiliùs nocens tenetur dispensationem petere (et à fortiori illam oblatam acceptare), etiam secluso damno illato, si dispensatio facilè possit impetrari : secus verò, si ad illam obtinendam requirerentur magnæ expensæ et longa mora : quia obligatio orta ex sponsalibus obligat quidem ad apponenda media ordinaria, non verò extraordinaria, nisi tamen esset reparandum damnum deflorationis vel famæ : quia tunc teneretur etiam magnas expensas facere, non tantas tamen ut cogeretur à suo statu decidere. S. Liguor., lib. 6, n[is] 857, 858.

1021. Casu autem quo sponsalia contracta fuêre cum impedimento dirimente, sub conditione expressâ, *si Papa dispensaverit*, controvertitur an validè et licitè potuerint sic contrahi ; sententia affirmans videtur tamen probabilior, et ferè certa vocatur à Cardin. Soglia (*Inst. jur. priv.*, § 145, *versus finem*) : illa autem, juxta S. Liguor., inducunt obligationem expectandi eventum conditionis ; et, hâc conditione impletâ, sinè novo consensu, impedimentum publicæ honestatis pariunt.

1022.—III. *Per atrox crimen* alterutrius sponsorum, sponsalia solvuntur ex parte innocentis : atrox crimen censetur fornicatio tam spiritualis, ut hæresis, quàm carnalis : si ista commissa fuerit ante sponsalia, certum est apud omnes quòd vir, cognitâ fornicatione sponsæ, potest illam relinquere : non item mulier potest rescindere sponsalia ob fornicationem sponsi cum aliâ ante habitam, nisi ipso prolem ex eâ habuerit, vel nisi noscatur fuisse deditus huic vitio : ita communiter.—Si verò fornicatio commissa fuerit post sponsalia, vir potest relinquere mulierem etsi violenter oppressam, ut docet communis et verior sententia contra nonnullos à S. Liguorio relatos (*ib.*, n° 861), quia tunc vilior facta fuit ; mulier etiam potest relinquere sponsum fornicantem post sponsalia, quia meritò sponsus fit suspectus de fide uxori postea servandâ.—Casu autem quo uterque fornicaretur post sponsalia, etsi DD. in varias abear

sententias, communis tamen et probabilior sententia tenet posse tunc sponsalia à sponso resiliri, non verò à sponsâ, quia turpior est fornicatio sponsæ quàm sponsi. (S. Liguor., lib. 6, nº 861.)

1023. Imò si sponsa permittat se tangi impudicè ab alio per oscula et amplexus, potest sponsus resilire, sed non vice versâ : quia etsi sponsus id faciat non est dedecus sponsæ, nisi talia tam sæpe eveniant ut meritò sponsa timere possit quòd vir non sit illi fidem servaturus.

1024. Ob alia etiam crimina solvi possunt sponsalia, nempe ob furtum, homicidium et similia quæ grave damnum vel infamiam pariant. (S. Liguor., lib. 6, nº 860.)

IV. *Per mutationem notabilem* quæ supervenit vel detegitur, contractis sponsalibus, et quæ ab iis deterruisset si à principio fuisset cognita : secus si non deterruisset ; ita communiter : et hoc etiamsi intervenerit copula, quia tunc sufficit damnum compensare : ratio est quia in omni contractu dissolubili subintelligitur conditio, *modò non superveniat aut non detegatur circumstantia quæ, cognita aut prævisa, ab illo deterruisset*[1].

In dubio autem an talis sit mutatio aut defectus detectus, qui, si cognitus fuisset, sponsalia impedivisset, talis potest præsumi, juxta S. Liguorium, si reverà in se sit gravis et notabilis.

1025. Censetur autem contingere illa notabilis mutatio : 1º si oriatur inimicitia, vel odium grave inter sponsos, vel justus timor ne ex matrimonio nascantur scandala et gravia odia inter consanguineos ; si detegatur post sponsalia morum asperitas vel sævitia in sponso aut sponsâ ; 2º si alteruter incidat in lepram, paralysim, morbum gallicum, etc. ; si graviter mutiletur, aut amissione oculi, nasi, vel aliter graviter deformetur præsertim sponsa : vel si sponsus reddatur ineptus ad opificium exercendum, vel acquirendum officium ad sustentationem familiæ necessarium : ita communiter : et hoc etiamsi non adsit certitudo de dictis defec-

[1] Non tamen absolutè admittunt omnes DD. toties posse dissolvi sponsalia. Card. Soglia, post Van-Espen, hoc tantùm admittit quando, secundum prudens judicium, contrahentes non censentur suum consensum extendisse ad circumstantiam non præscitam. (*Instit. jur. priv.*, § 155.)

tibus, sed sola suspicio, modò vehemens et prudens; 3° si magna alterius debita detegantur, vel grave sit periculum fortunæ, famæ, morbi, paupertatis, etc.; si timeatur quòd pater sit filium exhæredaturus; si sponsus incipiat vagari cum incommodo sponsæ. (S. Liguor., lib. 6, 863.)

1026. Quærit. 1° An pars laborans defectu sufficienti ad solvenda sponsalia, teneatur illum manifestare antequam contrahantur; vel, eis contractis, ante matrimonium?

Resp. Vel ille defectus redderet nuptias perniciosas, ut esset infamia, morbus contagiosus, vel si mulier esset gravida; et tunc sponsus his vitiis laborans tenetur ea manifestare aut à nuptiis desistere, nisi altera pars eodem defectu laboraret: alioquin contra justitiam peccaret. — Si verò defectus nuptias non redderet noxias, sed solùm minus appetibiles, nempe si sponsa esset pauper, quæ reputabatur esse dives, ignobilis quæ nobilis, deformis quæ pulchra, corrupta quæ virgo: tunc non est obligatio tales defectus manifestandi, quia nemo tenetur propalare suum defectum cum propriâ infamiâ, si non lædit jus alterius. « Licet enim sponsus, inquit S. Liguor. (*ibidem* » n° 865), cognito defectu, habeat jus resiliendi à sponsali» bus..., tamen usquedum ipse exceptionem non apponit, » potest cogi à sponsâ ad matrimonium...; unde... sponsa » ab alio corrupta, etiamsi interrogetur à sponso an fuerit » ab alio cognita, poterit dissimulare et negare per res» trictionem non purè mentalem, respondendo non esse » corruptam, subintelligens *in communi æstimatione,* » *aut ad aperiendum tibi.* » Cavere tamen debet ne virum positivè decipiat, fingendo se immunem à tali defectu; nec etiam ipsi expediret dissimulare, si prudenter timeretur quòd defectus post nuptias propaletur et exinde sint discordiæ proventuræ. (S. Liguor., lib. 6, 863-866.)

1027. Quærit. 2° An nova *superveniens hæreditas* sit causa sufficiens dissolvendi sponsalia?

Resp. Communissimè negari, quia sponsus sic ditior factus, non fuit tamen deceptus in conditione alterius, cujus conditio non est mutata: adsunt tamen contra sentientes, etiam in casu quo post sponsalia offertur alterutri

sponsorum conjugium cum personâ multùm ditiori, et ipsemet S. Liguor. dicit : « Ego non auderem sponsum » omninò damnare, si cum illâ contrahere vellet..: sicut » enim non teneretur sponsus illa (sponsalia) exequi cum » magno suo damno, ita nec teneri alicui videri posset, » cum amissione magni lucri » ; hoc etiam probabilius habet DD. Bouvier (tom. 4, p. 139, edit. 1834); addit autem S. Liguor. quòd non auderet consulere recedere à sententiâ contrariâ (*ib.*, 876).

4028. Quærit. 3° An dissensus parentum sit causa dissolvendi sponsalia?

Resp. Si pater injustè dissentiat, filius nequit sponsalia dissolvere, quia valida sunt; si autem justè, ab illis resilire potest, cùm non obligent in tali casu. Vide S. Liguor., lib. 6, 377, et supra dicta (4002-4008).

4029. — V. *Dissolvuntur per profectum* unius sponsorum in terram longinquam sinè licentiâ alterius, etsi cum animo redeundi; vel si sponsus aliò transfert suum domicilium; ita cap. *De illis* 5, *de spons.*, ubi dicitur : « Qui præstito » juramento promittunt se aliquas mulieres ducturos, et » postea, eis incognitis, dimittunt terram, se ad partes » alias tranferentes, liberum erit mulieribus se ad alia » vota transferre »; si autem ad propinquum locum discedat sponsus, expectandum est donec redeat; aut si justam causam habeat reditum differendi, expectandum erit ad prudentis arbitrium, aut per judicem assignandum erit ei tempus intra quod debebit redire : quo elapso, sponsa erit libera. Ita Bened. XIV (*Notif.* 46, n° 5) et S. Congr. Conc., 2 octobr. 1723, ap. S. Liguor., lib. 6, n° 866.

4030. — VI. *Per adventum temporis determinati ad illorum adimpletionem* sponsalia solvuntur, saltem in gratiam illius per quem non stat quominus obligatio adimpleatur : etsi altera pars inculpabiliter omiserit sponsalia adimplere, juxta communiorem et probabiliorem sententiam (S. Liguor., *ib.*, n° 868), et licet sponsalia fuerint juramento firmata, ut constat cap. *Liceat, de sponsalibus.* Circa quod tamen observandum est an terminus appositus fuerit ad sollicitandam obligationem matrimonium contrahendi,

vel an, ad obligationem hanc finiendam : apponitur enim terminus ad sollicitandam obligationem, quando ita assignatur ut neutra pars ante illum possit urgere executionem contractûs; apponitur autem ad finiendam, quando ideo præfigitur ut, eo elapso, nulla remaneat obligatio : in hoc posteriori casu tantùm, sponsalia solvuntur per adventum temporis determinati. — Ut autem discernatur, in casibus dubiis an terminus sit appositus ad finiendam vel ad sollicitandam obligationem, duæ assignantur regulæ : *Prima* si terminus ab unâ solùm parte præfigitur, alterâ negativè se habente, tunc censetur appositus ad sollicitandam : si verò ab utrâque, ad finiendam præsumitur appositus. — *Secunda*, si terminus apponatur antequam sponsalia contrahantur, censetur appositus ad finiendam; secus si post contracta sponsalia : Pontius tamen dicit illas regulas non esse semper veras. Vide S. Liguor., lib. 6, n° 867.

1031. Quærit. An elapso termino, libera remaneat pars quæ culpabilem apposuit dilationem?

Resp. Duplicem esse sententiam : S. Liguor. habet ut longè probabiliorem et communiorem eam quæ negat : quia nemo debet ex suo crimine commodum reportare; affirmantem tamen idem S. Liguor. dicit non carere suâ probabilitate, præsertim ob auctoritatem S. Thomæ, qui illam amplexus est (S. Liguor., *ibid.*, *dub.* 3) : si autem utraque pars nuptias inire neglexerit tempore præfixo, utrinque solvitur obligatio : mutuo enim consensu ambo eisdem renuntiasse censentur. (Card. Soglia, *Instit. jur. priv.*, § 149.)

1032. — VII. Sponsalia, etsi jurata sint, solvuntur per susceptionem ordinis sacri, vel ingressum unius partis in Religionem, aut votum eam ingrediendi; et, ut probabile habetur, per simplex votum castitatis.

Hoc certum videtur quoad partem derelictam, etiam in casu quo altera pars simplex votum castitatis emisisset : quia talis vovens juri suo censetur renuntiasse.

1033. An autem, in casu professionis religiosæ, sponsalia solummodo solvantur, quoad profitentem, per ipsam professionem, vel sufficiat solus ingressus in

Religionem, disputatur inter DD., ut videre est ap. S. Liguor. (*ibid.* nº 869), qui, ut absolutè probabiliori, adhæret sententiæ tenenti solvi sponsalia, quoad ingredientem Religionem, per solam professionem, quia per illam solam sponsus impotens redditur ad contrahendum Matrimonium, unde, si in mundum redeat, adhuc tenetur ad suam fidem servandum erga aliam partem.

4034. Casu autem quo sponsalia fuissent juramento firmata, dicitur in cap. *Commissum, de spons.*, « quòd tutiùs » est ei (religione juramenti servatâ) priùs contrahere, et » postea, si elegerit, ad Religionem migrare. » Ex quo plures volunt quòd, eo casu, sponsus priùs nuptias ineat, et deinde ante consummationem ingrediatur Religionem; sed communissima et verior sententia negat adesse talem obligationem; et textui allegato respondent quòd in eo quæstio erat de viro qui non erat adhuc certò determinatus ad ingrediendam Religionem, et de eo dicit Pontifex quòd tutiùs erit, ne reus fiat perjurii si juramentum non impleverit tempore statuto, quòd priùs contrahat, et postea, etc. : ex quo deduci non potest ad nuptias teneri qui, ante tempus per juramentum determinatum, Religionem ingreditur.

4035. Etsi certum sit sponsalia dissolvi per susceptionem sacrorum ordinum juxta Extrav. *Antiquæ, de voto*, ubi dicitur : « Licet votum solemnizatum per sacri susceptio» nem ordinis, quantùm ad impediendum Matrimonium, » sit efficax reputandum, etc... », tamen controvertitur utrum peccet qui ordines sacros suscipit, insciâ vel invitâ sponsâ. V. rationes pro et contra, ap. S. Lig. (*ib.* nº 871, II). — Juxta communiorem et veriorem sententiam sponsalia non dissolvuntur per susceptionem ordinum minorum. (S. Liguor., lib 6, nº 872.)

4036. Certum est autem quòd, contractis sponsalibus, licitè quis potest vovere ingressum in Religionem, vel sacrorum ordinum susceptionem, vel castitatem perpetuam; nec tenetur stare sponsalibus, si verè vult religiosus fieri. —Si verò non habeat intentionem Religionem ingrediendi, et votum emittat castitatis vel suscipiendi sacros ordines, sponsalia, post tale votum inita, sunt certè nulla, cùm sint

promissio de re illicitâ; controvertitur autem an idem sit dicendum de sponsalibus ante dictum votum contractis: sententia tam affirmans quàm negans vocatur probabilis à S. Liguor.; vide rationes pro et contra ab ipso relatas (lib. 6, nº 873).

Ad quid verò teneatur vir qui vovet Religionem, aut ordinum susceptionem, aut castitatem, et postea mulierem cognoscit sub promissione matrimonii? — Vide discussum et solutum apud S. Liguor., lib. 6, nº 874, et apud alios Theologos.

4037.—VIII. Sponsalia solvuntur per Matrimonium validum cum aliâ contractum, quoad eum saltem qui nuptias non contraxit; quoad eum verò qui iniit conjugium, controvertitur an defunctâ conjuge, teneatur priorem sponsam in uxorem, si illa exigat, ducere: sententia affirmans niti videtur validioribus argumentis, et absolutè probabilior habetur à S. Liguor. (lib. 6, nº 875). — An autem priora sponsalia dissolvantur per posteriora, diximus supra (3998).

4038.— IX. Tandem sponsalia dissolvi possunt per dispensationem quæ à solo S. Pontifice, et ob causas duntaxat justas ac graves concedi debet: quæque ab eo dari potest etiam in casu quo sponsalia fuerunt juramento firmata. (Cardin. Soglia, *Inst. jur. priv.*, § 157.)

4039. Quærit. An ad solvenda sponsalia requiratur semper judicis auctoritas?

Resp. Distinguenda esse in hâc materiâ certa ab incertis:

Certum est 1º auctoritatem judicis non requiri quando sponsalia solvuntur ex mutuo consensu.

Certum 2º necessariam non esse auctoritatem judicis si sponsalia sint publica, et publica pariter sit ac certa causa ea dissolvendi, nisi fortè contraria esset loci consuetudo, cui obtemperandum esset ut scandalum vitetur; idem est dicendum, si sponsalia sint occulta, et causa pariter occulta.

Certum est 3º quòd, si causa est dubia jure vel facto, omninò requiratur auctoritas judicis; eadem auctoritas requiritur, sed sub levi tantùm nisi inde grave scandalum timeatur, casu quo sponsalia sunt publica et causa dissol-

vendi occulta : « Si verò, inquit S. Liguor., causa illa non
» possit coram judice probari, nec etiam sub levi auctoritas
» judicis exigitur..; casu autem quo defectus alterius partis
» jam probari possit, sed sit occultus, debet pars innocens
» alteram commonere et minari quòd manifestabit defec-
» tum; et si ipsa non acquiescit solutioni sponsalium, licitè
» poterit defectum ad judicium deferre ». (Lib. 6, n° 878).

4040. Quoad verò naturam probationis requisitæ, distinguendum est : vel agitur de probando impedimento tam dirimente quàm impediente, et tunc sufficit unus testis juratus et oculatus, tam in foro externo quàm interno (cap. *Super eodem, de test. et attest.*), etsi sit criminosus, et non citatus sed à parte productus : quia unus testis oculatus et juratus magis probat quàm fama, quæ tamen certè sufficit ad solvenda sponsalia etiam jurata, modò tamen ille testis non sit persona vilis : nam talis personæ testimonium sufficere non potest, nisi casu quo impedimentum ita est occultum ut aliter probari non valeat. S. Liguor., lib. 6, n^is 996, 997.

4041. Si verò agatur de probandâ aliâ causâ dissolutionis quæ non sit impedimentum, v. g., fornicatio vel deformitas sponsæ, conveniunt DD. quòd in foro interno sufficiat etiam unus testis fide dignus, et testificans de certâ scientiâ ; sicut etiam sufficit in hoc foro, probabilitas de sufficientiâ causæ. Pro foro autem externo, duplex est sententia : alii enim communiùs duos testes requirunt ; alii dicunt sufficere unum, modò sit fide dignus : et istorum opinio satis probabilis videtur sancto Liguorio, loquendo de fornicatione sponsæ. (Lib. 6, n° 878.)

ART. II.

DE BANNORUM PROCLAMATIONE.

4042. Vox *Bannum* à Germanis mutuata fuit et promulgationem edicti sonat : hic autem sumitur pro *publicâ denuntiatione futuri Matrimonii, auctoritate Ecclesiæ factâ.*

Antiquissimus videtur saltem quoad substantiam mos publica faciendi futura conjugia : legitur enim in epistolâ

S. Ignatii ad Polycarpum (nº 5) : « Decet ut sponsi et » sponsæ de *sententiâ* Episcopi conjugium faciant. »

1043. Quoad verò epocham quâ nuptiæ juxta hodiernam formam publicari cœperunt, dicunt quidam hoc contigisse nono sæculo; sed certè hanc formam fuisse inauguratam, initio sæculi XIII, ab Odone De Soliaco Parisiensi Episcopo, asserit Bened. XIV in suâ Constit. *Paucis annis;* hunc morem ad universalem Ecclesiam extendit Concil. Lateran. IV, anno 1216, his verbis : « Specialem quorum» dam locorum consuetudinem, ad alia generatim pro» rogando, statuimus ut cùm matrimonia fuerint con» trahenda, in ecclesiâ per presbyteros proponantur, » competenti termino præfinito, ut intra illud qui » valuerint et voluerint, legitimum impedimentum opponant. (Cap. fin.,*De clandest. Desp.*)

1044. Hanc Concil. Lateran. saluberrimam dispositionem, non sat benè custoditam, innovavit et fortiùs inculcavit Synodus Trident. (sess. 24, cap. 1, *de ref.*) his verbis : « S. Lateran. Concil. sub Innoc. III celebrati, vestigiis in» hærens, præcipit ut in posterùm, antequam matrimo» nium contrahatur, ter à proprio contrahentium parocho, » tribus continuis diebus festivis, in ecclesiâ, inter missa» rum solemnia, publicè denuntietur inter quos matri» monium sit contrahendum. »

1045. Præcipua autem motiva hujus proclamationis sunt : 1° ut faciliùs detegi valeant impedimenta quæ futuro matrimonio obsistere possunt; 2° ut omnes quorum interest queant celebrationi illius sese opponere.

Dicendum est in paragraphis sequentibus: 1° de necessitate publicationis *Bannorum*; 2° de variis illius promulgationis circumstantiis; 3° de obligationibus exinde consurgentibus; 4° de bannorum dispensatione.

§ I.

De necessitate publicationis Bannorum.

1046. Bannorum publicatio non est quidem de necessitate sacramenti, sed solùm est de necessitate præcepti;

Primum constat ex eo quòd nihil in medium producatur ex quo deduci valeat nullitas matrimonii sinè publicatione bannorum celebrati; imò cùm Archiepiscopus quidam tulisset decretum vi cujus conjugia sinè debitis denuntiationibus contracta, irrita et nulla declarabantur, S. Congr. Conc. huic Archiepiscopo mandavit ut quantociùs revocaret suam constitutionem, quia non in Episcoporum sed solius Summi Pontificis potestate est statuere nova impedimenta matrimonium dirimentia. (Bened. XIV, *De Syn.*, lib. 12, c. 5, n° II.)

Secundum pariter constat, nempe ex Concil. Lateran. IV, et præsertim ex Synodo Trident. supra relatis (4043, 4044).

4047. Sed quæritur an sub gravi præcipiantur bannorum proclamationes?

Resp. Convenire videntur DD. de gravitate illius obligationis; quidam tamen, apud S. Liguor. (lib. 6, n° 990), dicunt immunem esse saltem à mortali parochum matrimonio, omissis sinè dispensatione denuntiationibus, assistentem, casu quo per diligentem inquisitionem, certus factus fuerit nullum subesse impedimentum; sed communissimè et veriùs hoc ab aliis rejicitur: ratio est, quia esto per suam diligentiam parochus impleverit finem legis Tridentinæ, tamen ipsam legem violat, et cùm id fiat in re gravissimâ, excusari nequit à gravi peccato, nisi urgens adsit necessitas quæ moram non patiatur. Præterea omittendo denuntiationes, si fortè nullum postea esset matrimonium ob impedimentum dirimens, habendi essent ut illegitimi filii ex tali matrimonio orti, quod non contingit quando bonâ fide contrahitur matrimonium post factas denuntiationes præscriptas (ex cap. fin., § *Si præscriptas, de clandest. despons.*); et insuper ex Concil. Trid. (sess. 24, cap. 5), sic contrahentibus adimitur spes obtinendi dispensationem: quæ duo sunt satis gravia ut sub mortali debeant vitari à parocho.

4048. An autem sit mortale omittere unam denuntiationem, controvertitur et probabiliter negatur: imò Salmanticenses putant non esse mortale si etiam duæ denuntiatio-

nes omittantur, sed huic probabiliùs contradicit Concina, inquit S. Liguor. (*ib.*, n° 990).

Si una denuntiatio omissa fuisset sinè dispensatione, et omnibus paratis, matrimonium differri non posset sinè gravi incommodo, liceret illud celebrare, non obstante hâc omissione: ita communiter, juxta DD. Bouvier (*De Matrim.*, cap. 3, art. 2, 3°).

1049. Dicit autem Concil. Trid. (sess. 24, c. 1), « quòd » si aliquando probabilis fieret suspicio, matrimonium » malitiosè impediri posse, si tot præcesserint denuntia- » tiones, tunc vel una tantùm denuntiatio fiat, vel saltem, » parocho et duobus vel tribus testibus præsentibus, matri- » monium celebretur; deinde ante illius consummationem, » denuntiationes in ecclesiâ fiant....., nisi Ordinarius, » etc... » : circa quod dicit S. Liguor. cum aliis pluribus quòd conjuges, ante factas denuntiationes matrimonium consummantes, toties peccent graviter quoties copulantur, quia toties illud faciunt cum periculo fornicationis : secus tamen, inquit, si ipsi essent certi nullum subesse impedimentum, quia, violato jam præcepto Tridentino per consummationem, illud ampliùs non urget: sed meritò, ut videtur, etiam in hoc casu, contrahentes peccare quoties matrimonio utuntur, dicit D. Carrière, *De Matrimonio* (n° 382), quia violatur lex Tridentina tam in posterioribus actibus quàm in primo actu, eò quòd lata sit lex ob præsumptionem periculi, uti admittere videtur ipsemet S. Lig. pro primo casu : sed illud periculum non minus adest in posterioribus actibus quàm in primo; ergo, etc.

1050. Praxis est quòd matrimonia Supremorum Principum non publicentur : illorum enim genus satis dignoscitur, ipsorumque connubia satis publicè existunt. Vide Carrière, *De Matrim.*, n° 379; Cardin. Soglia, *Inst. jur. priv.*, § 159.

1051. Pœna autem à jure determinata contra parochos matrimoniis interessentes, omissis denuntiationibus, est saltem suspensio ab officio per triennium. Ita cap. *Inhibitio, § sane, de clandest. despons.*, ubi dicitur : « Si parochialis » sacerdos tales conjunctiones contempserit (prohibere);

» aut quilibet, etiam regularis, qui eis præsumpserit interesse, per triennium ab officio suspendatur, graviùs » puniendus si culpæ qualitas exegerit. » Dicta autem suspensio non est latæ sed ferendæ sententiæ. (Ferraris, v° *Matrimonium*, art. 4, n° 8.)

§ II.

De circumstantiis promulgationis Bannorum.

4052.—I. *Circumstantia temporis.* Fieri debent promulgationes bannorum, juxta Synodum Tridentinam, *antequam Matrimonium contrahatur;* attamen ex eodem Concilio, si ex dispensatione ante nuptiarum celebrationem fuerint omissæ, tunc fieri debent ante consummationem, nisi aliter judicaverit Episcopus, ut in puncto præcedenti dictum fuit: sed hoc in desuetudinem abiisse videtur apud nos in Galliâ.

4053. Pariter ex Concilio Trident., fieri debent, *tribus continuis diebus festivis:* quæ verba veriùs hoc sensu intelligi debent quòd festa in quibus fit publicatio ita sint continua ut non intercedant dies festivi in quibus illa omittatur, quamvis hoc non esset grave, modò multi dies festivi non intercedant : possunt autem, ut patet, intercedere dies feriales, imò communiùs tenetur non ita debere esse continuos dies festivos ut non separentur aliquo saltem die feriali; unde fieri non deberent, tribus diebus festivis Paschatis vel Pentecostes, quia tempore tam arcto non satis obtineretur finis præcepti; sunt tamen alii qui secus sentiunt, et illorum sententia ut probabilis habetur, quia Concilium non distinguit dicendo *tribus continuis diebus festivis* (S. Liguor., lib. 6, n° 992). Dies festivi debent esse de præcepto : unde in Galliâ, fieri non possunt diebus festivis per Concordatum suppressis (Carrière, *de Matr.*, n° 383) nisi de consensu Ordinarii, quando adest iisdem diebus magnus concursus in ecclesiâ. Ita S. Cong. apud *Analecta*, 48° et 49° livr., p. 1411.

4054. An autem, in casu magni concursûs in ecclesiâ, fieri possint bannorum proclamationes diebus ferialibus,

controvertitur, et Declarat. S. Congr. Conc. afferuntur pro et contra. (S. Liguor., *ib.*)

1055. — II. *Circumstantia loci.* Ex Concilio Trident. supra relato, bannorum denuntiationes fieri debent : *In ecclesiâ, inter missarum solemnia*, et in missâ parochiali vel conventuali, arbitrio parochi, etiam contradicente Capitulo, ut declaravit S. C. — Probabiliter dicunt Sanch., Barbosa, etc., posse etiam fieri in ecclesiâ tempore concionis, vel processionis, imò plures aiunt posse fieri extra ecclesiam in loco magni concursûs : et probabile putat S. Liguor. hoc fieri posse absque saltem mortali, et sinè culpâ, si adsit aliqua causa. (Lib. 6, n° 991.)

1056. « Tempore pestis, si nequeant fieri denuntiationes » in ecclesiâ, et non possint induci sponsi ad matrimonium » differendum..., Episcopus potest vel permittere ut fiant » denuntiationes per vocem præconis, aut per edicta » loco publico affixa, et hoc in quocumque die, vel eas » remittere, et ad id tenetur si urgeat necessitas... Si nequit adiri Episcopus, parochus benè potest, et justâ » urgente causâ, etiam tenetur conjungere, postquam sit » certior factus nullum subesse impedimentum. » (S. Lig., *ib.*)

1057. Certum est denuntiationes esse faciendas in parochiâ utriusque contrahentis, quia sic fert consuetudo : ita communiter ; quidam tamen excipiunt casum quo parochiæ essent valde propinquæ. Si verò unus sponsorum vel uterque de brevi moratur in loco, longè probabiliùs est non sufficere fieri tunc denuntiationes in eo loco duntaxat, sed sunt omninò faciendæ in parochiâ unde discessit, quia ideo fiunt denuntiationes ut detegantur impedimenta, ac proinde sunt faciendæ in loco ubi sponsi diutiùs sunt commorati. Vide S. Liguor., *ib.*, 991; et supra dicta (1382-1383). Si unus aut uterque contrahens æquale circiter domicilium in duabus parochiis habeat, in utrâque banna sunt promulganda : ita communiter contra quosdam. Vide Carrière (*ib.*, n° 389).

Quandonam autem banna debeant publicari in parochiâ priùs habitatâ? — Variæ sunt apud nos circa hoc con-

suetudines : in certis diœcesibus hoc fit quando tantùm à sex mensibus in novâ parochiâ sponsi habitant[1]; in aliis quando ab uno anno ; in aliis fit distinctio inter casum quo sponsi aliam parochiam in eâdem diœcesi, et casum quo extra diœcesim habitabant : sex menses habitationis exigunt in priori casu, et unum annum in secundo. D. Carrière (*De Matr.*, n° 390) dicit standum esse in hâc materiâ Statutis diœcesis: attamen, ut mox dicturi sumus, S. Cong. Conc. exigit ut denuntiationes fiant insuper in loco originis.

4058. Quid verò si contrahentes, nec in parochiâ actual nec in ullâ ex præcedentibus, per determinatum tempu commorati fuerint? — Olim in Galliâ, ait D. Carrière (*ib.* n° 389), banna in singulis parochiis, in quibus per sex men ses sponsi commorati fuerant, promulgabantur, vel pos tulabatur dispensatio ab Episcopis; sed ex jure communi in hoc casu et quando agitur de alienigenis, pluries decla ravit S. Cong. denuntiationes tunc necessariò esse facienda in loco originis : « Bartholomæus... matrimonium contra » here desiderans extra locum originis, supplicat declara » an ultra fidem statûs liberi, necessariò faciendæ sin » denuntiationes matrimoniales, etiam in loco origini » S. Congregatio respondet : *denuntiationes etiam in lo » originis esse necessarias.* » Ita apud *Analecta jur. ponti* (janv. 1856, col. 1886), ubi insuper asseritur decisu fuisse à S. Congr. non ampliùs necessariam esse in lo originis bannorum publicationem, si contrahens ab fuerit absens per septem vel octo annos. Et hoc legitur libro 2 Decret. (p. 184).

In dicto casu, diximus supra (1382, 1383) parochu non debere promulgationes facere, nisi per fidem authe ticam sponsus coram Ordinario probaverit suum statu esse liberum juxta *Instruct.* S. Congr. Officii, *ibidem* latam; idem est dicendum quoad vagos, ut *ibidem* diximu

4059 Quoad verò minores, mos est in Galliâ quòd eoru banna promulgentur tam in domicilio facti quàm in d

[1] Ita ferunt nostra Statuta diœcesis Valentinensis (v. *Ordonn.*, p. 4(

micilio juris seu domicilio parentum, aut eorum sub quorum potestate sunt in ordine ad matrimonium: ut tales sunt habendi, juxta Codicem civilem (art. 148), viri qui nondum compleverunt 25 annum si habeant ascendentes; si verò non habeant, vel si sint feminæ, ut tales tantùm sunt habendi qui nondum 21 annum compleverunt (art. 160). De iis autem nihil speciale determinatum reperitur in jure communi canonico: convenit tamen ut mos iste asservetur.—*Nota* insuper quòd banna minorum non sint proclamanda nisi de expresso consensu parentum et tutorum.

1060. Quoad famulas et puellas in conservatoriis aut hospitiis degentes, et quoad carcere detentos, vide supra (1376-1380).

Quoad milites, eorum banna sunt publicanda non solùm ubi contrahunt, sed etiam in loco domicilii parentum vel tutorum, si sint minores; si autem sint majores, in loco ubi commorabantur ante susceptam militiam. Vide P. Gury (tom. 2, n° 553).

1061. Banna proclamari debent regulariter in solis ecclesiis parochialibus, quales haberi debent apud nos etiam ecclesiæ dictæ *Capellæ vicariales* vel *annexæ*, si habeant territorium determinatum cui soleat præfici sacerdos ordinariam jurisdictionem habens. Vide DD. Bouvier (*De Matrim.*, cap. 3, art. 2, 4°).

1062. — III. *A quo banna sint promulganda.* — Concil. Trident. (*loco citato*) dicit ea esse promulganda *à proprio contrahentium parocho;* communiter addunt DD. vel ab alio sacerdote de ejus licentiâ, proinde à vicario, aut etiam à clerico simplici habente ab Episcopo licentiam prædicandi: ita Carrière, *De Matrim.* (n° 395); et Ferraris (v° *Matrimonium*, art. 4, n° 24).—Non autem videtur cur Theologus Romanus annotator Ferraris (*ibid., in notâ*) hoc neget de diacono, cùm Synodus Trident. exigendo ut delegatus sit sacerdos non loquatur de promulgatione bannorum, sed solùm de assistente matrimonio.

1063. Præterea sic habet *Rituale Romanum :* « Has autem denuntiationes parochus facere non aggrediatur,

» nisi priùs de utriusque contrahentis libero consensu sibi
» benè constet.

» Si verò infra duos menses post factas denuntiationes;
» matrimonium non contrahatur, denuntiationes repetan-
» tur, nisi aliter Episcopo videatur. » Vide etiam S. Lig., lib. 6, n° 993.

Quoad formam in denuntiandis matrimoniis observandam, vide idem *Rituale*, et consule Statuta diœcesana.

§ III.

De obligationibus quæ oriuntur ex publicatione Bannorum.

4064. — I. Proclamatis bannis, qui novit impedimentum, sive dirimens sive prohibens, tenetur sub mortali illud statim denuntiare, quantumvis secretum esset; si tamen inde alteri periculum infamiæ nasceretur, is ex charitate monendus esset (etiam pluries, nisi periculum esset in morâ) ut à matrimonio desisteret. Ita communiter, apud S. Liguor., lib. 6, n° 994; Carrière, *De Matrim.*, n° 403.

4065. Casu autem quo, obtentâ dispensatione, non publicarentur banna, dicunt multi tunc non esse obligationem impedimenta revelandi vi legis ecclesiasticæ, sed duntaxat ex charitate; quidam tamen adhuc in hoc casu sentiunt quemlibet teneri ad revelandum vi legis generalis Ecclesiæ. Vide Carrière, *De Matrim.*, n° 418.

4066. Certum est: 1° quòd cognoscens impedimentum tantùm ex auditu, non recordans à quo didicerit, vel addiscens à personâ non fide dignâ, non teneatur denuntiare.

Certum est: 2° quòd si impedimentum sit occultum, et jam fuerit pro eo obtenta dispensatio quoad forum internum, illud sciens non teneatur denuntiare: secus si adesset fama publica de impedimento, et dispensatio esset occulta.

Certum: 3° quòd si impedimentum possit probari, quilibet, etiam extra-diœcesanus, illud sciens, denuntiare teneatur, etsi sit occultum et infamatorium: obediendum est enim justo præcepto Superioris nomine Ecclesiæ imposito, præsertim, ubi de vitando damno proximi agitur, prout in casu.

1067. Ad revelandum etiam tenentur qui impedimentum noverunt sub secreto naturali, et adhuc cum juramento non propalandi, quia tale juramentum non obligat, quando communitati vel tertiæ personæ grave damnum imminet, prout in casu. (S. Liguor., lib. 6, n° 994.)

1068. Excipe probabiliùs secretum consilii, seu commissum causâ petendi consilium homini publicum officium exercenti, v. g. medico, advocato, parocho, modò id fiat ratione eorum professionis; bonum enim publicum exigit ut servetur tale secretum. Vide P. Gury (tom. 2, n° 557); et Carrière, *De Matrim.* (n° 409), qui tamen vult ut decisio modificetur juxta varias casuum circumstantias.

1069. Qui revelare non potest absque gravi incommodo, ad id non tenetur : quia nec præceptum Ecclesiæ, nec charitas proximo debita cum tanto detrimento urget. — Ita communiter (Gury, *ib.*).

1070. Ipse contrahens legitimè interrogatus de impedimento occulto, tenetur illud fateri, vel à matrimonio abstinere, nisi dispensationem pro foro conscientiæ obtinuerit: ita communiter, apud S. Liguor., lib. 6, n° 1000.

1071. Quærit. An si quis solus noverit impedimentum, nec possit probare, teneatur nihilominus ad illud denuntiandum?

Respondeo affirmativè cum sententiâ veriori et communissimâ : quia testimonium unius satis est ad Matrimonium impediendum, ubi agitur de vitando periculo animæ ; secus esset si non ageretur de animæ periculo, puta si testis allegaret fornicationem sponsæ : per matrimonium enim salus animæ in hoc casu non periclitaretur ; unde cùm testimonium sit tunc in tertii præjudicium requiritur plena probatio, juxta capit. *Licet*, cap. *veniens*, et cap. *Omni*, *de test.* ; proinde non sufficit unius testimonium (S. Liguor., lib. 6, n° 996). Quales autem dotes tunc debeat habere testimonium, diximus supra (1040, 1041). Vide etiam S. Liguor. (*ibid.*, 997).—*Nota* quòd fama impedimenti sufficiens sit ad impediendum Matrimonium (ex cap. *Super eo*, *de consang.*), nisi fama infirmetur ju-

ramento consanguineorum. (Vide ap. S. Liguor., *ibidem*, nº 999.)

1072. — II. Impedimento cognito, tenetur parochus matrimonium prohibere, et si opus sit, remittere ad Episcopum vel ejus Officialem, neque potest ei assistere: ita communiter (si tamen ex solâ confessione impedimentum cognosceret, nullo modo posset suum matrimonio denegare assensum, nisi intra confessionem); et hoc est certum, etiam quando parochus cognoscit solus impedimentum, si ab aliis didicerit; si verò ex ipsomet solo dignoverit extra viam confessionis, nec possit probare, dubitatur an possit et debeat nuptias impedire: verior sententia affirmat, quia si, ut modò diximus, quilibet tenetur impedimentum revelare, etsi solus cognoscat, à fortiori ad hoc tenetur parochus cui ex officio incumbit prospicere saluti ovium sibi commissarum. Nec obstat quòd peccatori occulto, publicè petenti sacramentum, illud ipsi non sit denegandum; quia hoc procedit tantùm quando impedimentum reddit duntaxat illicitam sacramenti susceptionem; secùs verò si impedimentum, præter illam susceptionem illicitam, præbeat occasionem aliorum damnorum et culparum, prout in casu; adde quòd parochus teneatur procurare validitatem matrimonii. Vide dicta supra (3203); et idem est probabiliter dicendum de Episcopo. Vide S. Liguor., lib. 6, nº 1002; et Carrière, *ibid.*, nº 424.

§ IV.

De Bannorum dispensatione.

1073. Potest Episcopus aut ejus Vicarius dispensare, vel ut una tantùm fiat proclamatio, vel ut plures fiant post contractum ante consummationem, vel etiam ut omninò omittantur, si causæ adsint justæ: ita decrevit Concil. Trident., totum hoc negotium remittens *eorum prudentiæ et judicii* (sess. 24, cap. 1): porrò, inquit Bened. XIV, in Encyclicâ *Satis vobis compertum est, super Matrimoniis secretis*, « Licet Episcopo relictum sit omnimodè super denuntia» tionibus dispensare, hæc tamen facultas, non à soli

» dispensantis voluntate pendet, sed à Tridentino coer-
» cetur arctis prudentiæ discretique arbitrii legibus :
» quod idem est ac legitimam causam dispensationis re-
» quirere. »

1074. Imò docent communiter DD. quòd ad vitandum grave damnum commune vel privatum, spirituale aut temporale, et adhuc si expedit ad notabile bonum spirituale aut temporale communitatis, vel alterius privati, Episcopus non solùm potest, sed etiam tenetur dispensare : vide enumerationem plurium hujusmodi casuum, apud S. Liguor. (lib. 6, n[is] 1005, 1006).

1075. Dispensare valet Episcopus quoad denuntiationes, etiam cum altero sponsorum non sibi subdito : sicut enim potest eum cum subdito conjungere, ita potest cum eo dispensare : ita S. Liguor. (*ibid.*, n° 1007); Dominus tamen Carrière (*ib.*, n° 432), dicit communiùs sentire DD. esse tunc recurrendum ad utriusque sponsi Ordinarium; et ipsemet S. Liguor. (*De privilegiis*, n° 57, *in fine*) suam sententiam vocat tantùm probabilem : praxis autem sat generalis apud nos cum dictis D. Carrière videtur concordare. Vide *Ordonn. de Valence*, p. 407.

1076. Quidam dicunt posse parochum dispensare, in casu urgenti quo Episcopus non posset adiri ; sed veriùs et communiùs hoc negatur : valde tamen probabiliter in dicto casu parochus, si periculum sit in morâ, potest declarare præceptum proclamationis bannorum non obligare, modò certus sit nullum adesse impedimentum : v. g., si moriturus concubinam velit ducere ad prolem legitimandam. S. Liguor. (*ib.*, 1007, *dub.* 2, et 1003).

1077. Occasione promulgationis bannorum, quædam hìc sunt dicenda circa quamdam speciem matrimoniorum occultorum quæ *conscientiæ* dicuntur : hujusmodi matrimonia contrahuntur quidem coram parocho et duobus testibus, sed omittuntur ex Indulto denuntiationes, et omnis cura adhibetur ut occulta remaneant. In Germaniâ hæc matrimonia vocantur *ad morganaticam*, gallicè *Mariages de la main gauche*, et non omnibus juribus et privilegiis

civilibus fruuntur ac cætera. Vide Carrière (*ib.*, n° 440) et Card. Soglia (*Instit., jur. priv.*, § 169).

De hujusmodi matrimoniis dicendum est cum Bened. XIV quòd, etsi ipsa debeant esse regulariter publica, juxta præscriptum Ecclesiæ, ob scandala et infaustos exitus nuptiarum quæ occultè contrahuntur, attamen, ex gravibus momentis, etiam secreta aliquando esse licet, positis tamen quibusdam conditionibus in Constit. *Satis vobis compertum*, supra citatâ, enumeratis et accuratè observandis, præsertim quòd instrumentum celebrationis cum omnibus accessoriis diligenter servetur in libro vel folio obsignato ad Ordinarium misso, et moneantur conjuges quòd si nata proles fuerit, non solùm baptizetur, sed sufficienter provideatur ut constet apud Ordinarium de Baptismo et talis prolis legitimitate, alioquin matrimonium divulgabitur si hoc negligant: nunquam autem matrimonia hujusmodi, inconsulto Ordinario, sunt celebranda. Vide Bened. XIV, *De Syn.*, lib. 13; cap. 23, n° 23; *Bullar.*, tom. 1, n° 35; Card. Soglia, *Instit. jur. priv.*, § 170; *Analecta*, avr. 1854, col. 841, etc.; Carrière, *De Matrim.*, n[is] 440-442. — Constitutio autem *Satis vobis compertum* integra legi potest, initio vel in fine Theologiæ S. Liguor.

ART. III.

NATURA ET PROPRIETATIBUS MATRIMONII QUATENUS EST CONTRACTUS.

1078. Ad Theologos præcipuè pertinet expendere quænam sint natura et proprietates matrimonii : quædam tamen de his non sunt à nobis prætermittenda; itaque:

§ I.

De Naturâ Matrimonii.

1079. — 1° Matrimonii contractus considerari potest vel *in fieri* seu prout est *actus transiens*, et sub hoc respectu consistit in consensu partium exteriùs manifestato : nullâ autem auctoritate saltem humanâ suppleri potest

defectus consensûs in Matrimonio (Carrière, *De Matrim.*, n° 457); vel *in facto*, seu prout est *habitus permanens*, et sic consideratus est vinculum resultans ex modò dicto consensu, statum conjugalem constituens.

4080. — 2° Triplex à theologis et canonistis distingui solet Matrimonium, videlicet : *legitimum*, quod secundùm leges et jus gentium celebratum est, et tale vocari potest etiam inter infideles contractum; *ratum*, quod sacramento fidei inter fideles confirmatum est; *consummatum* tandem quod carnali copulâ est perfectum.

De hâc distinctione verbum facit, ex parte saltem, Innocent. III, cap. *Quantò, de Divortiis*, ubi dicit : « Etsi » matrimonium verum inter infideles existat, non tamen » est *ratum* : inter fideles autem *verum et ratum* existit, » quia sacramentum fidei quod semel est admissum, nun» quam amittitur, sed ratum efficit conjugii sacramentum. » Vide etiam can. 6, sess. 24 Conc. Trident. Non tamen concordant DD. circa sensum vocis *ratum* : de quo consuli potest Carrière, *De Matrim.*, n° 4.

4081. — 3° Errârunt Julianus Pelagii discipulus et Wiclefus, dicendo etiam usum esse de essentiâ Matrimonii : id constat ex S. Ambrosio, *De Instit. Virginitatis*, capite 6, ubi dicit : « Non defloratio virginitatis facit conju» gium, sed pactio conjugalis »; et ex S. Joann. Chrysost., *homil.* 32, *in Matth.*, in quo habet : « Matrimonium non » facit coitus sed voluntas. »

4082. Jus autem ad usum esse de essentiâ conjugii tenet communis theologorum sententia, contra Basilium Pontium.

Quomodo verò, in illâ communi sententiâ, potuerit verum existere Matrimonium inter B. Mariam et S. Josephum, vide expensum apud Theologos, qui communiter dicunt potuisse B. Mariam, etiam post virginitatis votum, tradere suo conjugi jus hujusmodi, si certò cognoverit eo jure S. Josephum non esse usurum. V. præsertim Ben. XIV (*De Syn.*, lib. 13. cap. 22, n° 13). — An autem celebrari possit matrimonium sub conditione servandæ continentiæ? Quæstio

est controversa : de quâ vide Carrière (*ib.*, n[is] 497-500) et Bened. XIV (*ib.*, n° 10).

4083. — 4° Consensus ad contractum Matrimonii requisitus debet esse *de præsenti*, in quo à sponsalibus differt quæ fiunt de futuro. Debet esse *verus* seu internus : talis autem præsumitur quandiu contrarium evidenter non probatur : « Cùm nimis indignum sit, juxta legitimas sanc» tiones, ut quod suâ quisque voce dilucidè protestatus est, » in eumdem casum proprio valeat testimonio infirmari »: ita Innoc. III, cap. *Per tuas* 10, *de probat.* — Unde si talis secundas nuptias iniret neutro matrimonio uti posset : non primo, quia defectus consensûs nullum illud fecit; nec secundo, quia, ob Ecclesiæ prohibitionem, ab ejus usu et habitatione impeditur. Vide Card. Soglia (*Instit. jur. priv.*, § 166 *in fine*).

4084. Exprimi potest consensus per alios : v. g., si parentes pro filiis contrahant, his tacentibus, prout idem fieri posse diximus supra de sponsalibus (3989). Sufficit pariter si alterius consensui præcedenti et non revocato consensus sponsi accedat : unde si quis coram parocho non verè consenserit, satisfacit consentiendo postea. (S. Liguor., lib. 6, n° 887.)

4085. Verba non sunt absolutè necessaria ad validitatem consensûs matrimonialis : constat ex cap. 23 *Cùm apud Sedem*, *de sponsal.*, juxta quod muti et surdi validè possunt nubere : ex cap. *Unico*, § fin. *de despons. impub.*, in 6°, ubi dicitur ad matrimonium filiæ sufficere consensum parentum, si ipsa taceat; item ex cap. *Is qui fidem, de sponsal.*. juxta quod olim per copulam sponsalia in matrimonium transibant. (S. Liguor., *ibid.*)

4086. Controvertitur an verba sint necessaria de præcepto : probabiliùs videntur requiri, sed sub veniali tantùm, ob Ecclesiæ consuetudinem. Dicitur autem in cap. *Tuæ fraternitati*, *de sponsal.* : « necessaria sunt, quantùm ad » Ecclesiam, verba consensum exprimentia de præsenti » ; sed voces *quantùm ad Ecclesiam* à pluribus intelliguntur in eo sensu quòd, apud Ecclesiam, verba sint necessaria non quoad substantiam actûs, sed quoad faciliorem conjugii

probationem. Ab omni autem culpâ excusat verecundia aut alia causa rationabilis. (S. Liguor., lib. 6, n° 888.)

Sufficiens consensûs signum esset, si viro consensum exprimenti femina manum porrigat; veriùs autem non sufficeret, si viro manum porrigente, ipsa non retraheret. (S. Liguor., *ibid.*, n° 889.)

1087. An autem valeat Matrimonium cum impedimento putativo contractum, vide discussum ap. Carrière, n° 467; et Theolog. Tolos., *De Matrimon.*, cap. 2.

1088. Quærit. 1° An sufficiat consensus conditionatus?

Resp. 1° Si conditio sit de præterito vel de præsenti, etsi turpis, stante conditione, valet matrimonium : nullum verò est, si deficiat conditio, quia deest consensus.

2° Si conditio sit de futuro necessario, v. g. *si cras sol oriatur, si pater tuus moriatur*, tunc statim validum est matrimonium, modò contrahentes non intendant suspendere consensum usquedum conditio eveniat : ita communiter.

1089. — 3° Si conditio de futuro esset de re turpi, vel esset contra substantiam matrimonii, v. g., *si adulteres*, et tunc nullum esset conjugium ; vel est de aliâ re turpi, aut re impossibili, et tunc veluti non adjecta est habenda : ita cap. final. *de condition. apposit.*; si tamen contrahentes verè nollent contrahere nisi impletis conditionibus hujusmodi, nullum tunc esset matrimonium : in dubio contrahentes præsumendi sunt non habuisse animum consensum suspendendi, quia in dubio pro valore actûs semper judicandum est. (S. Liguor., lib. 6, n[is] 890, 891.)

Quantùm ad validitatem Matrimonii à Græcis aut Protestantibus contracti, qui non admittunt illius indissolubilitatem, communiùs sic distinguunt DD. : vel facultas dissolvendi nuptias deducta fuit in pactum vel non : si priùs, irritum est matrimonium, quippe talis conditio adversatur substantiæ contractûs; si posteriùs, valet matrimonium non obstante eorum errore; præsumuntur enim contrahentes voluisse validè contrahere, ac proinde juxta naturam contractûs qualis à Deo fuit institutus. Ita constanter Romana

Congregationes. Vide Bened. XIV (*De Syn.*, lib. 13, c. 22, n[is] 3-9); Carrière, *De Matrim.*, n° 496.

4090. Quidquid nonnulli dicant, conditio de educandis filiis in hæresi, vel in infidelitate, substantiæ Matrimonii non videtur contraria. Ita P. Gury, n° 630; Carrière, *De Matrimon.*, n° 503; secus tamen sentit Card. Soglia, *Inst. jur. priv.*, § 184.

Quid sentiendum sit de casu quo Matrimonium contractum fuisset sub conditione *si pater consenserit?* — Vide expensum apud S. Liguor. (*ibid.*, n[is] 892-894).

4091. Advertendum est 1° quòd, ob innumeras difficultates quæ occurrere possunt in matrimoniis sub conditione initis, nunquam, sinè urgentissimâ causâ, illa admittere debent parochi, præsertim sinè Episcopi licentiâ.

4092.—2° Pendente verò conditione, nondum propriè dictum adest conjugium, sed potiùs quasi species sponsalium, ac validè dissolvi potest per revocationem consensûs; impletâ conditione, matrimonium fit absolutum; disputatur tamen an ad hoc novus consensus sit necessarius: utraque sententia est probabilis: negans quidem probabilior videtur, sed tutius est sequi affirmantem, denuò tamen coram parocho non est necessariò sistendum. Vide Soglia (*Inst. jur. priv.*, § 167); Carrière (n[is] 472-479).

4093.—3° Casu autem quo, existente aliquo impedimento, sponsi contraxissent sub conditione *si cessabit impedimentum*, probabiliùs videtur consensum priorem non satis esse validum, ideoque iste consensus est renovandus, nisi super eo dispensatio in radice fuisset obtenta: sic declarasse S. Congr. dicit S. Liguor., lib. 6, n° 895; vide etiam Carrière, *ib.*, n[is] 491-495.

4094.—4° Regulariter consensus non suspenditur per indicationem causæ, motivi, etc., v. g. *duco te quia es virgo; vel ut fureris, occidas*, etc., nisi indicatio motivi æquivaleat conditioni contrariæ substantiæ contractûs, v. g., *duco te ut adulterium facias.* Vide tamen Soglia, *ib.*, § 168. — Probabiliusècontra consensus suspenditur per indicationem temporis: *duco te post tres dies*, etc.—S. Liguor., *ib.* n° 897.

1095. Quærit. 2° An per procuratorem aut per litteras matrimonium possit contrahi?

Resp. 1° Certum est matrimonium posse contrahi per procuratorem : cap. *Procurator* 9, *de procurat.*, in 6°, cap. *Potest quis* et cap. *Qui facit*, *de regul. juris*, in 6° (*De Syn.*, lib. 13, cap. 23, n° 9); sed ad hoc plura requiruntur : 1° speciale mandatum, non tamen necessariò scripturâ expressum; sufficit enim ut detur oretenus, sed mandatum determinare debet personam cum quâ est contrahendum; 2° procurator debet per se contrahere, nisi habeat licentiam alium ad hoc subdelegandi : diversitas sexûs non requiritur in procuratoribus, duoque mares vel duæ feminæ hoc officium gerere possunt; 3° ut mandatum non revocetur, etiam mentaliter, ante momentum quo contrahitur; 4° procurator limites mandati excedere non potest : unde si conditio imponatur à mandante, ut contrahatur cum tali dote, tali tempore, etc., inobservatâ conditione, matrimonium erit nullum; si verò conditio imposita etiam à jure sit requisita, nempe ut non contrahatur omissis denuntiationibus sinè dispensatione Episcopi, validum erit tunc matrimonium sinè illis contractum; 5° procurator probare debet mandatum parocho et testibus, et coram eis contrahere.

De casu quo mandans in amentiam incideret antequam matrimonium contrahatur, vide Theologos, et D. Carrière (*ib.*, n° 145).

1096.—2° Potest similiter matrimonium contrahi per litteras : et tunc, si vir scribat feminæ se illi in virum tradere et acceptare illius consensum, ad validitatem matrimonii sufficit ut femina coram parocho et testibus aperiat litteras et consensum præstet; potest etiam utraque pars litteris exprimere suum consensum et acceptationem consensûs alterius, et sufficit quòd illæ litteræ parocho et testibus exhibeantur. Vide S. Liguor., lib. 6, n^is 885, 886; et Carrière, *ib.*, n^is 141-148.

Non debet autem parochus propriâ auctoritate celebrare hujusmodi matrimonia, nisi ageretur de revalidatione Matrimonii, casu quo una pars renuit coram parocho se sistere.

§ II.

De proprietatibus Matrimonii.

4097. Proprietates matrimonii sunt illius *honestas*, *unitas* et *indissolubilitas*.

I. Quoad *honestatem*, certum est Matrimonium ex se esse bonum et honestum, ita ut etiam hæretici habiti fuêre ab initio qui veluti malum et inhonestum illud tradiderunt (1 Tim., c. 4, v. 1, etc.); non ideo tamen est omnibus et singulis præceptum, ut finxêre pseudo-reformatores; sed ècontra virginitas pro Deo suscepta, non solùm est bona, sed Matrimonio est excellentior, prout definivit Concil. Trid. (sess. 24, c. 10), contra Lutherum et Calvinum.

4098. — II. Quoad *unitatem*, sat communiter docetur *polygamiam simultaneam* adversari juri naturali secundario, seu in quo dispensatio contingere potest (*De Syn.* lib. 13, cap. 21, n° IX); et, quamvis, Deo dispensante, illa fuerit licita veteribus patriarchis, certum est tamen hodie, post Evangelii promulgationem, matrimonium ita unum esse ut nulli liceat plures simul habere uxores. Illud constat ex S. Lucâ (c. 16, v. 18); et ex Epistolâ ad Romanos (c. 7, v. 3); et tanquam de fide, contra Lutheranos fuit definitum à Concil. Trident. (sess. 24, can. 2), quoad fideles, his verbis : « Si quis dixerit licere christia» nis plures simul habere uxores, et hoc nullâ lege divinâ » esse prohibitum, anathema sit. »

4099. *Successiva* verò polygamia minus quidem est probata ab Ecclesiâ, quæ bigamos habet ut irregulares; et viduas rursum nubentes benedictione privat; imò bigamos olim, pluribus in locis, præsertim in Oriente, publicæ subjiciebat Pœnitentiæ : attamen constat eam non esse improbatam; et Probatur ex Epist. ad Romanos (c. 7, v. 3) : « Mulier, si mortuus fuerit vir ejus, liberata est à lege » viri, *ut non sit adultera*, *si fuerit cum alio viro* »; 1 ad Corinth. (c. 7, v. 39) de viduâ dicitur : « cui vult nubat,

» tantùm in Domino »; et 1 ad Tim. (c. 5, v. 14) : « Volo » juniores (viduas) nubere » : undè in Decreto *ad Armenos* sic decernit Eugenius IV : « Declaramus non solùm secun- » das (nuptias), sed etiam tertias et quartas, atque ulte- » riores, si aliquod canonicum impedimentum non obstat, » licitè contrahi posse » ; et Bened. XIV, in pluribus Constitutionibus suis, vult ut hoc idem teneatur ab Italo-Græcis. Vide Carrière (*De Matrim.*, nº 204). — Circa hæc autem ab Ecclesiâ Romanâ dissentit Ecclesia Græca, apud quam validæ non habentur quartæ nuptiæ, imò etiam invalidæ apud ipsam reputantur tertiæ nuptiæ, quando bigami filios ex prioribus conjugibus habentes nubunt post quadragesimum ætatis annum. Vide Carrière, *ib.*, nº 209.

4100. Jure quidem Romano, infamiâ notabatur et nuptiali donatione privabatur mulier transiens ad secundas nuptias intra primum suæ viduitatis annum; sed quoad hanc infamiam, Jus Romanum correctum fuit à Jure Pontificio : vide cap. *Super* et cap. *Cùm secundum*, *de secundis nuptiis;* imò, juxta Apostolum, ut diximus modò, *defuncto viro*, *à lege viri liberata est mulier*, et *cui vult* potest *nubere ;* parùm tamen decens esset ut statim ad novas nuptias convolaret. Juxta autem nostrum Codicem civilem (art. 228), « la femme ne peut contracter mariage qu'après » dix mois révolus depuis la dissolution du mariage précé- » dent. » Sed, hoc non obstante, Touiller (lib. 3, tit. 4, nº 137) validum reputat civile matrimonium ante decimum mensem contractum. De his vide *Histoire des Sacrements*, *Mariage*, ch. 4, art. 1 *versùs finem*.

4101. — III. *Indissolubilitas* autem Matrimonii spectari potest vel quoad *vinculum*, vel quoad *thorum* et *habitationem*.

I. *Indissolubilitas Matrimonii quoad vinculum :* hæc indissolubilitas considerari potest vel ex jure naturali vel ex jure divino positivo : sub priori respectu, fatentur omnes orthodoxi matrimonium habere aliquam indissolubilitatem, juxta quam, ipsum non debet esse rescindibile ad arbitrium contrahentium; sed quousque extendenda sit hæc indissolubilitas, DD. in hoc non concordant : de hâc quæstione

sic habet Bened. XIV, Const. *Dei miseratione*, § 1 : « Ma» trimonii fœdus, quatenus naturæ officium est, pro edu» candæ prolis studio, aliisque Matrimonii bonis servandis » *perpetuum et indissolubile* esse convenit. » Imò damnata fuit à Pio IX, per Brevem *Apostolicæ Sedis*, 22 aug. 1851, propositio Nuytz, in quâ dicebatur : « Jure naturæ matrimonii vinculum non esse indissolubile. » V. *Syllabi* prop. 67.

4102. Sub secundo respectu, juris nempe divini positivi, expendi potest quæstio de indissolubilitate, sive quoad Judæos, sive quoad infideles, sive quoad christianos.

1° *Quoad Judæos* : sufficiat referre verba Deuteronomii, cap. 24, v. 1 et seq. : « Si acceperit homo uxorem..., et » non invenerit gratiam ante oculos ejus, propter aliquam » fæditatem (vitium aliquod animæ vel corporis)..., scribet » libellum repudii, et dabit in manu illius et dimittet eam » de domo suâ. Cùmque egressa alterum maritum duxerit, » et ille quoque oderit eam, dederitque ei libellum repu» dii, et dimiserit de domo suâ, vel certè mortuus fuerit, » non poterit prior maritus recipere eam in uxorem, quia » polluta est et abominabilis facta est corám Domino. » Quomodo interpretentur hæc Deuteronomii verba à Synagogâ, vide D. Drach apud *Ami de la relig.* (tom. 115, pag. 324). His autem verbis communiter docent DD. dissolutum fuisse quoad vinculum Matrimonium apud Judæos per libellum repudii : hoc tamen *propter duritiam cordis*, uti declaravit Christus, qui Matrimonium restituit ad suam primam institutionem seu indissolubilitatem. (S. Matth., c. 19, v. 6 et 7).

Dissentiunt DD. circa quæstionem an facultas Judæis concessa Matrimonium dissolvendi, extensa fuerit ad Gentiles : circa quod vide Carrière, *De Matrim.*, n° 255.

4103. — 2° *Quoad infideles.*—*Quamvis per sacramentum Baptismi*, ut ait Innocentius III (cap. *Gaudemus* 8, *de Divortiis*), *non solvantur conjugia, sed crimina dimittuntur* (unde si conjuges infideles ad fidem ambo convertantur, certum est Matrimonium inter ipsos non dissolvi), attamen casu quo unus duntaxat fidem christianam amplectitur, ipse potest dissolvere Matrimonium in infidelitate contrac-

tum, si alter infidelis nolit cum eo habitare, aut nonnisi cum contumeliâ Creatoris, vel pertrahendo ad peccatum mortale.

Assertio hæc Innocentii III (cap. *Quantò, de Divortiis*) constat: ex Epist. 1ª ad Corinth., cap. 7, v. 12, etc., ubi S. Paulus ait: « Si quis frater uxorem habet infidelem et hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam..; quòd si » infidelis discedit, discedat: non enim servituti subjectus » est frater aut soror in hujusmodi; in pace autem vocavit » nos Deus. » Hæc verba intelligi debent de licentiâ discedendi ita ut dissolutum sit matrimonii vinculum; alioquin Apostolus nullum privilegium concederet parti conversæ, et adhuc servituti erga infidelem subjiceretur.

Ita S. Paulum explicant Innocent. III, loco supra citato; Bened. XIV, in pluribus Constit., et *De Syn.* (lib. 6, c. 4; lib. 13, cap. 21) : ita constanter respondit S. Cong. Concilii; pluresque libri hanc doctrinam impugnantes damnati sunt à Congreg. Indicis; quibus meritò annumerari deberet etiam Dissertatio D. Rondet inserta operi *Bible de Vence* (tom. 15, p. 454). Vide Carrière, *De Matrim.*, nº 256.

Propositionem nostram veluti certissimam habent theologi et canonistæ, et ut regula in praxi observanda traditur à Concil. Limensi et Mexicano. Vid. Theolog. Tolos., *De Matrim.*, cap. 3, art. 2; et apud Labbe, tom. 15, col. 1307.

1104. Præfata verò propositio intelligenda non videtur de casu quo fidelis cum infideli per dispensationem nupsisset : quidam tamen secus sentiunt apud Carrière (*ib.*, nº 263): sed illorum opinio est contraria Decreto Congreg. S. Officii, sub Clemente XIII, 1 aug. 1759, in quo dicitur : « Si fidelis, prævià dispensatione, contraxit Matrimonium » cum infideli, censetur illud contraxisse cum explicitâ » conditione, *dummodo nimirum infidelis secum cohabitare* » *velit, absque contumeliâ Creatoris;* quare si infidelis non » servet prædictam conditionem..., separari debent quoad » thorum et habitationem, *non tamen quoad vinculum;* » quocirca... conjuge infideli superstite, non potest fidelis » ad alia vota transire. » Vide *Analecta* (nov. 1855, col. 1815).

4105. Quonam verò tempore dissolvatur matrimonium cum infideli in suâ infidelitate remanente post conversionem suæ compartis, olim disputatum fuit; sed hodie tenendum est tunc tantùm dissolvi quando conversus novum init matrimonium : constat ex cap. *Gaudemus* 8, *de Divortiis*, ubi Innoc. III dicit : « Si conversum ad fidem et » illa conversa sequatur, *antequam* propter causas præ- » dictas, *legitimam ille ducat uxorem*, *eam recipere compel-* » *letur*. » Non sufficit ergo conversio, sed requiritur novum conjugium cum aliâ : ita pariter decidit S. Congr. Conc., anno 1680; et ita etiam declarat Bened. XIV in pluribus Const., ut videre est ap. Carrière (*ib.*, n° 273).

4106. Hinc 1° conversus, secundâ uxore defunctâ, non tenetur redire ad primam licet conversam.

2° Si infidelis Matrimonium ineat, antequam conversus ad novas nuptias transierit, irritum erit tale matrimonium. Disputatur autem an pars infidelis possit novum contrahere matrimonium postquam conversus ad aliud connubium evolavit; sed non videtur quo jure illud esset ipsi vetitum. (Carrière, *ibid.*, n° 260.)

4107. Quærit. 1° An casu quo pars infidelis non vult quidem ad fidem converti, sed consentit habitare pacificè, possit tunc conversus alterum inire conjugium?

Resp. Tres esse circa hanc quæstionem opiniones : alii purè et simpliciter affirmant; alii purè et simpliciter negant; distinguunt tandem cæteri inter priora et posteriora tempora; negantes quoad priora, quia prioribus sæculis separatio conjugum in casu non erat opportuna; affirmantes quoad tempora posteriora, quia, ob mutatas circumstantias, effectâ nunc illicita cum infideli habitatione, adesse debet libertas alterum ineundi conjugium.—Hanc tertiam sententiam communiorem et probabiliorem vocat S. Liguorius (lib. 6, 957); sed juxta Declarationem S. Congr. Concil. 23 jan. 1603 à Bened. XIV relatam (*De Syn.*, lib. 13, cap. 21, n° 1) videretur potiùs esse adhærendum secundæ sententiæ : sic enim legitur in illâ declaratione : « Si cohabitare absque » Creatoris contumeliâ velint, et absque eo quòd conversos » ad mortale peccatum pertrahant, quamvis veram agnos-

» cere fidem noluerint, non posse conversos alias fideles » accipere uxores. » Sed fortè excipiendus est casus quo Ecclesia, ob varia momenta, prohibet cohabitationem cum infideli, et de hâc hypothesi loquitur S. Liguorius. « Satis » rectè sentire videtur Cabassut, inquit Bened. XIV, qui » hujus dubii resolutionem pendere affirmat à casuum cir» cumstantiis et moribus regionum. » (*De Syn.*, lib. 13, cap. 21, n° 1.) Vide Carrière, *ib.*, n° 280.

1108. Advertendum est autem quòd, antequam novas ineat nuptias, fidelis debet infidelem monere, si velit ad fidem converti: ita præceperunt Gregor. XIII et S. Pius V. Excipiendi sunt tamen casus in quibus constaret infidelem esse pertinacem, vel si multùm distet: sed tunc ad novum conjugium contrahendum requiritur S. Sedis dispensatio : et reipsa in hoc dispensârunt plures Pontifices, non quidem solvendo matrimonium, sed interpretando jus divinum et declarando tunc locum habere privilegium Apostoli. Cæterùm validum est Matrimonium, juxta Gregorium XIII et Bened. XIV, licet postea detegeretur partem infidelem fuisse legitimè à respondendo impeditam, imò et jam conversam, quia semel applicatum privilegium postea non debet cessare. Vide Carrière (*ib.*, 283); Bened. XIV (*De Syn.*, lib. 6, cap. 4, n° III; lib. 13, cap. 21, n° III); S. Lig. (lib. 6, n° 957.)

1109. An verò possit S. Pontifex dissolvere matrimonium consummatum in infidelitate contractum ? — Indecisam hanc quæstionem reliquit S. Congr. Conc. : vide *De Syn.*, lib. 6, cap. 4, n° V, et lib. 13, c. 21, n° IV. Nec in præcedenti casu, matrimonium dissolvitur per dispensationem pontificiam, sed duntaxat vi privilegii ab Apostolo declarati : tunc enim S. Pontifex declarat tantùm partem conversam non teneri ad interpellandum infidelem ob distantiam, vel difficultatem talis admonitionis [1].

[1] Dicit tamen S. Liguor. (lib. 6, n° 897, *prob.* 1, *vers. finem*) :« Licet » conjugia infidelium naturâ suâ... indissolubilia sint, tamen accedente aliquâ urgente causâ, adhuc post conversionem ad fidem aliquando solvi possunt (modò non fuerint consummata post conver» sionem), prout refert Cardenas... Urbanum VIII declarasse, die 20 oct.

1120. Quærit. 2° An casu quo conversus plures duxerit uxores in infidelitate possit retinere eam quæ voluerit fidem amplecti, etsi non sit prima à se ducta ?

Resp. 1° Si etiam prima à se ducta velit converti aut pacificè cohabitare, ea sola est retinenda, cùm illa sola fuerit vera uxor.

2° Si prima nolit converti, vel pacificè cohabitare, vel si ob difficultatem illam interpellandi, data fuerit in hoc dispensatio, conversus fidelis potest inire matrimonium cum unâ ex aliis uxoribus quas duxerat, modò ipsa fidem christianam amplectatur; sed de novo contrahendum est cum eâ. Nec tunc locus esse potest dispensationi in radice, cùm prior consensus fuerat nullus ex jure divino, eò quòd polygamia etiam infidelibus sit prohibita. Vide *De Syn.*, lib. 13, c. 21, n^{is} VI-IX.

1121. *Nota* quòd non sit licitum Judæo converso mittere ad uxorem, in suâ infidelitate pertinacem, libellum repudii de quo agitur in cap. 24 Deuteronomii, quia lex vetus omninò abrogata fuit à Christo in eo quod non pertinet ad jus naturale. (Bened. XIV, lib. 6, cap. 4, n° VI.)

1122. — 3° *Quoad christianos*. De fide est, contra Lutherum et ipsius asseclas, matrimonium non dirimi quoad vinculum, propter hæresim, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam à conjuge. (Conc. Trid., sess. 24, can. 5.)

Dissentiunt autem Græci à Latinis circa quæstionem, *an propter adulterium dissolvi possit conjugium :* affirmant quidem Græci, propter verba S. Matth. (c. 19, v. 9), ubi Christus ait: « Dico autem vobis quia quicumque dimise- » rit uxorem suam, *nisi ob fornicationem*, et aliam duxerit, » mœchatur, et qui dimissam duxerit mœchatur. » Sed omninò negant Latini, et verba *nisi ob fornicationem* referunt ad solum casum separationis quoad thorum et habitationem, non verò ad casum dissolutionis vinculi; et pro-

» anni 1626, et rursus 7 sept. 1627, his verbis : *Nos attendentes » hujusmodi infidelium matrimonia non ita censeri, quia suadente » necessitate solvi possunt;* et... Bened. XIV (*De Synodo*, lib. 13, » cap. 21, n° 3), refert S. Pium V et Gregor. XIII solvisse post » conversionem quædam matrimonia in infidelitate contracta ».

bant ex ipsismet verbis S. Matthei, juxta quæ, omnis, sinè exceptione, proinde etiam in casu adulterii, mœcharetur qui dimissam duceret in matrimonium; vide etiam S. Lucam (c. 16, v. 18); S. Marc. (c. 10, v. 11 et 12); Epist., ad Roman. (c. 7, v. 2 et 3); Epist. 1 ad Cor. (c. 7, v. 39). Non tamen propter hanc discrepantiam doctrinæ in puncto præsenti, Ecclesia Latina anathematizavit Orientalem Ecclesiam: sic enim tantùm decrevit Synodus Tridentina (sess. 24, can. 7.): « Si quis dixerit Ecclesiam errare cùm » docuit et docet, juxta evangelicam et apostolicam doctri» nam, propter adulterium alterius conjugum, matri» monii vinculum non posse dissolvi, et utrumque, vel » etiam innocentem qui causam adulterio non dedit, non » posse, altero conjuge vivente, aliud matrimonium con» trahere; mœcharique eum qui, dimissâ adulterâ, aliam » duxerit, et eam quæ, dimisso adultero, alii nupserit: » anathema sit. » Non tamen permittit Ecclesia ut Græci catholici, vivente priore uxore adulterâ, alias ineant nuptias, et hoc colligitur ex declaratione S. Congr. Concil. 15 jan. 1724. Vide *De Syn.*, lib. 13, cap. 22, n° IV; et Const. Bened. XIV, *De dogmat. et rit. ab Italo-Græcis tenendis atque servandis*, § 8, n° 3, ap. Carrière, *De Matrimon.*, n° 301 *in fine*.

1123. An autem Matrimonium possit dissolvi per professionem religiosam, distinguendum est: vel matrimonium est consummatum (et ut tale dicatur, non sufficit penetratio vasis feminei, sed requiritur effusio seminis in illud. Ita communiter apud S. Liguor., lib. 6, n° 958); et tunc non potest dissolvi per professionem religiosam: contrarium quidem sanxerat Imperator Justinianus, sed lex ipsius improbata fuit à S. Gregorio Magno.—Vel Matrimonium non est consummatum, et tunc dissolvitur per unius è contrahentibus solemnem professionem trium votorum castitatis, paupertatis et obedientiæ, factam in aliquâ Religione à S. Sede approbatâ; ut constat ex Concilio Tridentino (sess. 24, can. 6): « Si quis dixerit Matrimonium ratum, » non consummatum, per solemnem Religionis profes» sionem alterius conjugum non dirimi, anathema sit. »

Vide adhuc caput *Verum*, cap. *Ex publico*, et cap. *Ex parte tuâ*, *de convers. conjug.*

4124. Disputatur inter DD. quonam ex jure dissolvatur tunc matrimonium : alii dicunt ex jure naturali; alii ex solo jure ecclesiastico; alii tandem et probabiliùs ex jure divino positivo. Vide rationes ap. Carrière (*De Matrim.*, n^is 308-320). Monumenta autem quibus constat hoc jus exstitisse, manifesta sunt à sæculo XII; quod verò etiam exstiterit in anteactis temporibus, deduci potest ex ipsismet verbis cap. *Ex parte* modò citati, ubi Innoc. III dicit : « nolentes à *Prædecessorum nostrorum vestigiis declinare,* » *qui respondere consulti* », etc.

4125. Contracto verò Matrimonio, duo menses conceduntur conjugibus ad deliberandum an velint Religionem ingredi, et intra hoc tempus debitum conjugale reddere non tenentur (cap. *Ex publico*, modò citato); peccaret tamen sponsus qui matrimonium contraheret animo Religionem ingrediendi (S. Liguor., lib. 6, n^is 870 et 958). Elapso autem bimestri, si nondum matrimonium fuerit consummatum, certò conjuges possunt validè vitam religiosam solemniter profiteri, imò et probabilius illud licitè facere possunt : sed si Religionem non ingrediantur, non ampliùs eis licet denegare conjugale debitum. Si intra bimestre per vim aut alio modo injusto matrimonium consummetur, non ampliùs quidem dissolvi potest per professionem religiosam, sed pars injuriam passa jus servat Religionem ingrediendi. Carrière, *De Matrim.*, n° 324.

4126. Bimestre præfatum, juxta Joseph Ferrari cùm communi (apud *Analecta*, nov. 1855, col. 1815), non à die celebrati matrimonii incipit, sed à die à judice ecclesiastico determinato. Vide supra (2604).

Etiam matrimonium post fornicationem contractum, sed nondum consummatum, dissolvi potest per professionem religiosam. Ita probabiliùs plures DD. apud Carrière (*ib.*, n° 323) : hoc tamen intellige de solo casu ubi matrimonium non esset necessarium ad legitimandam prolem, vel reparandum scandalum, aut honorem sponsæ : quia tunc

non posset vir fieri religiosus, relinquendo sponsam quæ ob infamiam nequiret alium maritum invenire. (S. Liguor., lib. 6, n° 958.)

1127. Observandum est pro Galliâ quòd, cùm à legibus civilibus non agnoscatur hic modus matrimonium dissolvendi, nonnisi difficillimè eo uti possent conjuges apud nos: unde si casus occurrat, ad Episcopum totum negotium est deferendum. Vide supra (2603).

1128. Quærit. An Papa possit solvere matrimonium ratum et non consummatum?

Resp. Duplicem de hoc esse sententiam; et probabilis utraque vocatur à S. Liguor. (lib. 6, n° 959): *Prima* negat, quia indissolubile est jure divino matrimonium etiam ratum, et S. Pontifex nequit dispensare in jure divino. *Secunda* affirmat, quia pluries hâc potestate usi sunt SS. Pontifices, ut videre est apud Bened. XIV (q. 546, n° 36), qui asserit hoc haberi hodie ut certum : et ratio est quia S. Pontifex, tanquam Christi Vicarius, potest ex justâ causâ, in aliquibus quæ actus humanos concernunt, dispensare in jure divino, v. g. in voto; causa autem justa esset vel impotentia superveniens, aut scandalum imminens, vel sterilitas de novo cognita, quando necessaria est proles ad bonum publicum; aliæ causæ afferuntur, sed non ab omnibus admittuntur. Vide S. Liguor. (*ibid.*); Carrière (*ibid.*, 323-329). Plures casus in quibus concessa fuit dispensatio videri possunt apud *Analecta*, juillet et août 1858, col. 339-947, et janvier 1854, col. 698, 723 : « Depuis Martin V, » sans examiner les siècles précédents, jusqu'à N. S. P. le » Pape Pie IX, tous les Pontifes romains... ont donné dis» pense de mariage non consommé. » (*Analecta*, nov. 1855, col. 1815).

1129. — II. *De dissolutione matrimonii quoad thorum et habitationem.* — Regulariter simul conjuges cohabitare debent, et hoc quidem ex ipsâmet matrimonii institutione : « Propter hoc, inquit Christus, dimittet homo patrem et » matrem et adhærebit uxori suæ » (S. Matth., c. 19, v. 5). Vide etiam Codicem civilem, art. 214.

Tenetur autem uxor sequi virum etiamsi mutet domici-

lium sinè justâ causâ, modò causa non sit turpis, et hoc licet adsit alicubi contraria consuetudo, quæ non potest juri divino prævalere; vel etiamsi longè discedat, et ibi per longum tempus sit moraturus : secus si brevi esset indè reversurus, quia tunc nec uxor tenetur virum sequi, nec vir secum ducere uxorem. Item mulier non tenetur sequi virum vagantem, nisi id cognoverit ante matrimonium; nec pariter illum sequi, si in contractu matrimonii additum fuisset pactum de non mutando domicilio, et nulla gravis necessitas urgeat.

4130. His non obstantibus, plures sunt causæ propter quas, manente vinculo matrimonii, licitè fieri potest separatio quoad thorum et habitationem, sive ad tempus sive in perpetuum : « Si quis dixerit, inquit Trident. (sess. 24, » can. 8), Ecclesiam errare, cùm ob multas causas, sepa» rationem inter conjuges, quoad thorum, seu quoad » habitationem, ad certum incertumve tempus, fieri posse » decernit, anathema sit. » Vide S. Matth., cap. 19, v. 29.

Sic 1° vir potest dimittere uxorem adulteram, ut constat ex S. Matth., c. 5, v. 32, et cap. 19, v. 9; et cap. *Gaudemus*, cap. *Ex litteris*, etc., cap. *Significasti*, *de divortiis*. Idem communiter docetur de muliere quando maritus adulterat.

4131. Dicitur in cap. *Dixit Dominus* 32, q. 1, quòd ad divortium faciendum, sufficiat *fornicationis suspicio;* sed communiter DD. requirunt quòd suspicio sit violenta, et moralem certitudinem fundet : aliàs per solam probabilitatem alter nequit privari suâ certâ possessione; hinc, nisi adsint aliæ circumstantiæ, non sufficiunt amplexus, tactus et oscula ad faciendum divortium : nec sufficit quòd inveniatur sponsus solus cum solâ, in loco secreto; sufficit tamen in foro conscientiæ, si vir fide dignissimus testetur de adulterio, vel de violento indicio, vel si sint litteræ amatoriæ uxoris quibus adulterium præteritum fatetur, vel si aspiciatur solus cum solâ in eodem lecto.—S. Liguor. (lib. 6, n° 961).

4132. Juxta probabiliorem sententiam, ut liceat divortium, requiritur ut fornicatio sit completa, proinde cum seminis effusione intra vas debitum : quia aliàs caro non

dividitur; secus tamen plures sentiunt et dicunt sufficere copulam sinè effusione seminis. (S. Liguor., lib. 6, nº 962.)

1133. Item probabiliùs docetur divortium fieri posse ob sodomiam vel bestialitatem ab altero conjuge commissam, quia sic etiam dividitur caro; sed plures negant, quia tunc reverà caro completè non dividitur. S. Liguor. (*ib.*, nº 962).

1134. Non autem sufficiunt mollities, pollutio, oscula, tactus vel amplexus impudici, licet propter similia ad tempus fieri possit separatio, ut nocens emendetur (ap. S. Lig., *ib.*, nº 960).

1135. Sunt autem plures casus in quibus divortium non est licitum, etsi adfuerit adulterium : sic illicitum est divortium : 1º si uterque conjux sit reus adulterii, etsi unus semel aut occultè crimen commiserit et alter pluries et publicè; disputatur autem de casu quo unus fuerit emendatus et non alter; 2º si conjux consentiat in adulterium alterius; 3º si conjux fuerit violenter oppressa, vel si adulteretur sinè culpâ ob errorem inculpatum; secus, si ex metu tantùm, quia metus à culpâ non excusat.

Notat Dicastillo quòd vir possit uxorem dimittere etiam casu quo ista fornicatur, putans virum esse mortuum; secus si vir fornicetur putans mortuam conjugem : sed hoc controvertitur. Vide Carrière, *ib.*, nº 340.

4º Quando injuria est remissa, si postea adulterium committatur, sive reconciliatus sive reconcilians dimittendi jus habet : — præsumitur facta reconciliatio si sponsus innocens, conscius et memor adulterii, omninò spontè coeat cum adultero; vel si maneat in eâdem domo, mensâ, lecto; maximè si interveniant oscula, tactus, amplexus : si tamen per hæc conjux non habeat animum remittendi in conscientiâ, semper recedere potest, quamvis in foro externo divortium ei denegetur. (S. Liguor., lib. 6, nº 966.)

1136. Quærit. 1º An vir, cognito adulterio uxoris, teneatur eam dimittere?

Resp. Ratione adulterii non teneri, dum illa dimissio, etsi à Christo sit permissa, attamen minimè præscribitur : sed fortè aliquando ad id teneri posset, vel ratione præcepti correptionis fraternæ, aut vitandi scandali (cap. *Si*

vir, de adulter.) : at ad hoc rarò tenetur, quia aliis viis ordinariè potest scandalum vitari et adimpleri præceptum correptionis fraternæ, et aliunde hæc præcepta non obligant cum gravi incommodo. — (S. Liguorius, lib. 6, n° 963, q. 4.)

4137. A fortiori rarò et rarissimè tenentur mulieres in dicto casu dimittere virum; imò nonnulli dicunt ad id ipsas nunquam teneri, quia nunquam præsumuntur consentire in viri adulterium; nec tenentur corrigere illum, quia hoc est officium Superioris; sed veriùs putat S. Liguor. ipsas hoc præcepto aliquando alligari, si possint implere absque gravi detrimento, quia ad hoc etiam inferiores tunc astringuntur. (*Ib.*, n° 964.)

4138. An autem conjux innocens teneatur adulterum recipere saltem ex charitate cùm fuerit emendatus? Affirmant nonnulli; sed hoc non videtur posse sustineri, si intelligatur de culpâ, cùm ipsemet Christus perpetuò ab hâc obligatione videatur liberasse, et charitas non obliget cum tanto incommodo. Nec obstat cap. *Si vir, de adulter.*, ubi dicitur : « Debet, sed non sæpè recipere peccatricem » : nam Glossa explicat de debito honestatis, non verò necessitatis. (S. Liguor., *ib.*, n° 966.)

4139. Quærit. 2° An facto divortio per sententiam Judicis, adhuc possit innocens cogere adulteram ut ad se redeat?

Resp. Duplicem de hoc adesse sententiam : communiter tamen DD. sentiunt cum S. Thomâ, quòd semper ac status utriusque conjugis non sit mutatus, nempe si neuter voverit castitatem, etc., teneatur adulter redire si ab altero requiratur, etiam ante novam sententiam judicis : rarò tamen compelli posset uxor adultera, propter timorem sævitiarum à viro inferendarum.

An autem conjux innocens adhuc servet jus divortii, si facto divortio per sententiam, labatur ipse in adulterium, controvertitur : longè tamen probabilius censet S. Liguor. ipsum servare jus divortii, nec teneri tunc ad compartem etiam petentem redire, nisi judex ad hoc compellat. Ita S. Liguor. (*ib.*, n° 968); contradicit autem Carrière (*De

Matrim., n° 338), et probabile videtur quòd, saltem casu in quo divortium privatâ auctoritate peractum fuit, conjux innocens teneatur compartem revocare si ipsemet incidat in adulterium.

4140. Quærit. 3° An conjux innocens possit adulteram dimittere propriâ auctoritate?

Resp. Tres esse de hoc opiniones : *Prima* absolutè negat; *Secunda* distinguit, affirmando si adulterium sit notorium, negando autem si sit occultum; *Tertia* tandem absolutè affirmat, modò adulterium sit certum, et ex separatione non interveniat scandalum quod non possit aliter reparari : probatur ex cap. *Dixit Dominus*, 32, q. 1, ubi dicitur : « Ubicumque fornicatio erit, vel *fornicationis* » *suspicio, liberè* uxor dimittitur » : hæc tertia sententia probabilior videtur S. Liguorio, *ib.*, n° 969, saltem si adulterium sit ex parte feminæ, quia durum videtur cogere virum certum de adulterio uxoris, ut publicum faciat in judicio crimen cum suo perpetuo dedecore : si tamen judex illum cogat ad cohabitandum, tenetur obedire, sed non tenetur reddere debitum in hâc sententiâ. Vide infra dicenda (6080).

4141. Factâ autem juridicâ separatione, vir innocens potest Religionem ingredi, invitâ adulterâ, aut etiam ordines sacros suscipere : hæc verò fieri non possent, si separatio non esset juridica. — Econtrario, adulter etiam post divortium juridicè factum nequit religiosus fieri aut ordines suscipere, nisi de licentiâ alterius, si alter statum irrevocabilem non assumpserit : sufficit autem licentia tacita, vel quòd alter requisitus neget reconciliationem (cap. *Gaudemus, de convers. conjug.*), aut quòd post biennium non revocet (S. Liguor., *ibid.*).

4142. *Nota* in Congregatione particulari habitâ coram Innocentio X, statutum fuisse quòd si, sufficienter probato mulieris adulterio, ipsa Religionem ingrediatur, vir, licet florens ætate, non sit cogendus ad religionem pariter ingrediendum, sed satis esse ut votum simplex castitatis perpetuæ emittat. His consonant plures S. C. Concil. resolutiones. Vide *De Synodo*, lib. 13, cap. 12,

n° 15; imò à S. Sede obtineri potest dispensatio super obligatione tale votum emittendi (*ib.*, n° 16). Juxta Carrière (*De Matr.*, n° 349) non omninò constat quòd votum viri debeat esse perpetuum. Vide infra (4148).

4143. Sic 2° ob sævitiam conjugis potest alter ab eo separari, quamvis crimen fuerit causa talis sævitiæ. Ita cap. *Ex transmissâ, de rest. spol.*, et can. *De bened.* 32, q. 1 : sed hoc tantùm post sententiam judicis (cap. *Sæculare* 33, q. 2), nisi periculum sit in morâ, vel si non possit litigare aut sævitiam probare; de se non est perpetua hæc causa, nec regulariter sufficit ut conjux recedens possit, invitâ comparte, Religionem ingredi.

4144. Ut sævitiæ sint justa divortii causa, sufficit ut prudenter timeantur quæcumque mala gravia à conjuge, vel ab ejus propinquis : v. g. si adesset comminatio mortis, frequentia convicia et jurgia, ex quibus nimis molesta redderetur cohabitatio, vel esset periculum abortûs intentati, vel mali gravis in aliis filiis aut consanguineis : non sufficiunt tamen solæ minæ, nisi conjux solitus sit illas exequi. Adverte insuper quòd quædam ex dictis possint esse gravia respectu feminæ nobilis, quæ tamen levia habenda esse debent respectu mulieris humilis conditionis (S. Liguor., lib. 6, 971).

4145. Disputatur an sola verbera sint justa separationis causa, et communissimè dicunt DD. illa non esse causam sufficientem, nisi fiant frequenter, acriter et ex levi causâ; id dicunt etiam si fierent sinè causâ, modò verberatio sit levis : excipiunt tamen Salmanticenses si mulier esset nobilis; plures addunt uxori non licere divortium facere ex unâ verberatione licet gravi, nisi timeatur ne probabiliter maritus verberationes replicet, attentâ illius indole et circumstantiis. S. Liguor., lib. 6, n° 972.

4146. Sic 3° licet divortium, si conjux trahat in peccatum, v. g., ad hæresim, veneficium, etc.; vel si vir velit exercere sodomiam cum uxore, quamvis ipsa consentire renuerit; nec tantùm in hujusmodi casibus divortium licet, sed ad illud tenetur conjux si periculum sit grave. — Imò hæresis etiam occulta, vel apostasia matrimonio su-

perveniens est justa causa divortii: non autem ob quodcumque crimen conjugis potest alter discedere, sed tantùm ob perniciosum. — Si crimen hæresis sit declaratum, potest alter Religionem ingredi, modò judicio Ecclesiæ discesserit: ita cap. *De illâ, de divortio*; hæresis ergo est causa separationis etiam perpetuæ. (S. Lig., lib. 6, nis 973, 974.)

4147. Sic 4° divortium fieri potest ob morbum contagiosum, v. g. lepram; vel si conjux sit furiosus, energumenus, etc. ; nisi tamen sinè gravi detrimento posset cohabitare: sed separatio fieri non debet ex privatâ auctoritate, nisi sit periculum in morâ.

4148. Sic 5° licitè separantur conjuges, sive quoad thorum, sive quoad habitationem, ex mutuo consensu, sive ad tempus, sive in perpetuum: hoc tamen ultimum permitti non solet, nisi uterque ingrediatur Religionem, vel, uxore ad Religionem transeunte aut manente in sæculo cum voto continentiæ [1], maritus suscipiat sacros ordines (cap. *Conjugatus, de convers. conj.*). — Prudens putat Bened. XIV, casu quo vir est juvenis, ut ad sacros ordines non initietur nisi priùs postulatâ et obtentâ dispensatione apostolicâ; sed de hoc fatetur nihil in jure esse præscriptum (*De Syn.*, lib. 13, cap. 12, n° XIV, *in fine*). Parum prudens esset hoc permittere in Galliâ, cum ex lege civili uxor posset cogere maritum ad cohabitandum. Si autem vir Religionem profiteatur, mulier pariter debet Religionem ingredi, nisi esset senex, quia tunc posset remanere in sæculo cum voto continentiæ: ita cap. *Cùm sit, de convers. conj.*

Si verò maritus ad Episcopatum assumatur, debet omnino uxor Religionem ingredi: ex cap. *Sanè* 6, *de convers. conjug.*

4149. Quærit. 1° An mulier, cujus vir ordines sacros

[1] Errare ergo videtur D. Carrière (in *Compendio de Matrimonio*, n° 99 4°) dicendo quòd in eo casu « *absolutè* debet uxor in monasterio profiteri: unde ut possit, si provectæ sit ætatis, simplex votum » emittere, requiritur dispensatio Sedis Apostolicæ. » Allegat in magno Tractatu (n° 348) auctoritatem Bened. XIV; sed, etsi Benedictus XIV (lib. 13, cap. 12, n° XVI) loquatur de quibusdam casibus in quibus petita fuit dispensatio à Sede Apostolicâ, non tamen dicit hunc recursum esse necessarium, saltem semper.

suscepit et quæ emisit votum simplex castitatis, possit validè ad alias nuptias transire post mortem sui mariti?

Resp. Duas esse sententias: *Prima,* quæ est communior et valde probabilis, negat; et probatur ex cap. *Quia sunt* 10, dist. 28, et cap. sequenti: ratio est quòd Ecclesia, ob reverentiam ordinis à primo viro assumpti, eam reddat inhabilem ad subsequens matrimonium. — *Secunda* affirmat: quia in dictis canonibus, præcipitur quidem separatio conjugum in pœnam secundi matrimonii illicitè contracti, sed non illud declaratur esse nullum, et hæc secunda sententia sancto Liguorio videtur satis probabilis (lib. 6, 812); secus tamen sentit Cardin. Soglia, *Inst. jur. priv.* (§ 175, *in fine*).

1150. Quærit. 2° A quo et cujus impensis, facto divortio, filii sint educandi?

Resp. Consentire DD. quòd filii apud conjugem innocentem sint educandi: quando tamen conjux innocens est infidelis, vel hæreticus, semper apud conjugem fidelem remanere debent.

Quoad impensas, jure romano (Auth. *Si pater,* cap. *Divortio facto*), si divortium fiat ob culpam patris, ejus impensis filii sunt educandi; ac juxta Glossam et communem sententiam, idem est dicendum de matre, si divortium fiat ipsius culpâ: sed ad hoc requiritur sententia judicis. Vide apud S. Liguor., lib. 6, n° 976.

1151. In Galliâ, Tribunalia applicant dispositiones articulorum 302 et 303 Codicis civilis, ubi dicitur: « Art. 302. » Les enfants seront confiés à l'époux qui a obtenu le » divorce, à moins que le tribunal, sur la demande de la » famille ou du ministère public, n'ordonne, pour le plus » grand avantage des enfants, que tous ou quelques-uns » d'entre eux seront confiés aux soins soit de l'autre époux, » soit d'une tierce personne.

» Art. 303. Quelle que soit la personne à laquelle les » enfants seront confiés, les père et mère conserveront » respectivement le droit de surveiller l'entretien et l'éducation de leurs enfants, et seront tenus d'y contribuer à » proportion de leurs facultés. » — Vide Carrière, *De Matrim.*, n° 356.

1152. Quærit. 3° An autem causæ separationis supra enumeratæ sint admissæ à lege civili in Galliâ?

Resp. Negativè : noster enim Codex civilis, in art. 306, solas admittit causas separationis, quæ sufficiebant ad divortium antequam abrogaretur per legem 8 maii 1816, causâ tamen mutui consensûs exceptâ (art. 307) ; porrò causæ sequentes admittebantur pro divortio strictè dicto :

« Art. 229. Le mari pourra demander le divorce pour » cause d'adultère de sa femme.

» Art. 230. La femme pourra demander le divorce pour » cause d'adultère de son mari, lorsqu'il aura tenu sa con- » cubine dans la maison commune.

» Art. 231. Les époux pourront réciproquement de- » mander le divorce pour excès, sévices ou injures graves » de l'un d'eux envers l'autre.

» Art. 232. La condamnation de l'un des deux époux à » une peine infamante sera pour l'autre époux une cause » de divorce.

» Art. 233.... » In hoc articulo agitur de mutuo consensu qui cum quibusdam conditionibus erat causa divortii strictè dicti, sed qui non est causa sufficiens separationis ex artic. 307.

Patet ex variis illis articulis, à nostro Codice non esse admissas omnes separationis causas à canonistis supra enumeratas; unde cautè procedi debet in consulendâ vel permittendâ separatione conjugum, et in casibus difficilibus semper ad Episcopum recurri debet.

ART. IV.

DE MATRIMONIO PROUT EST SACRAMENTUM.

1153. De fide est Matrimonium esse sacramentum novæ legis, et hoc definivit Synodus Trident. (sess. 24, can. 1) his verbis : « Si quis dixerit Matrimonium non esse verè et » propriè unum ex septem legis evangelicæ sacramentis » à Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ec- » clesiâ inventum, neque gratiam conferre, anathema » sit. » V. prop. 65 *Syllabi*.

4154. Quænam autem sit Materia et Forma hujus sacramenti controvertitur; et non benè determinari potest nisi dependenter à sententiâ amplectendâ circa ejusdem sacramenti Ministrum; porrò, circa hanc quæstionem duplex est sententia. Alii enim dicunt sacerdotem esse Ministrum, et sic sentiunt Canus, *De locis theolog.;* Juenin, Collet; et probabile habent Estius et Habert; — sed communissimè alii tenent ipsosmet contrahentes esse Ministros : et hanc sententiam ut moraliter certam habet S. Liguor., lib. 6, nº 897, citans Bellarminum qui opinionem Cani vocat falsam; Fagnanum qui eamdem vocat periculosam in fide : Sanchez et multos alios qui illam *temerariam* nuncupant, aut *non posse defendi* sinè notâ, aut dicunt illam *nunquam fuisse probabilem*. Vide argumenta pro et contra relata à S. Liguor. (*ibid.*), et à D. Carrière (*De Matr.*, nis 68 et 78).

Expositis argumentis pro sententiâ quæ tenet Ministros esse contrahentes, sic addit S. Liguor. : « His positis, valde » miror quòd... Bened. XIV, postquam contenderit ratio» nibus tam urgentibus contra sententiam Cani, illam (nº 4) » appellet probabilem... extrinsecè..., eò quòd (ut ait) est » *ipsa doctorum suffragiis communita.* Verumtamen magis » oportet attendere ea quæ scribit Benedictus in Decre» tali... ad Archiepiscopum Goanum..., ubi scribit ut Pon» tifex, quàm ea quæ profert ut Doctor privatus in... opere » *De Synodo:* in prædictâ enim Decretali expressè docet » Ministros sacramenti matrimonii esse ipsos contrahentes, » non verò sacerdotem, dum ait quòd *Materia est mutua* » *corporum traditio, verbis ac nutibus assensum exprimen*» *tibus*, *et mutua corporum acceptatio Forma.* »

Hæc confirmantur ex iis quæ dixit Pontifex Noster Pius IX in suâ Allocutione Consistoriali 27 sept. 1852 : « Inter fideles matrimonium dari non posse, quin uno » eodemque tempore sit sacramentum... ac proinde à » conjugali fœdere sacramentum *nunquam* separari posse. » Carrière, *Compendium de Matrim.*, nº 51 : et Bouix, *De Judic.*, tom. 1, p. 85.

Item in litteris ad regem Sardiniæ missis, 19 sept. 1852, idem Pontifex aiebat : « C'est un point de la doctrine catho-

» lique que le sacrement n'est pas une qualité acciden-
» telle surajoutée au contrat, mais qu'il est de l'essence
» même du mariage : de telle sorte que l'union conjugale
» entre les chrétiens n'est légitime que dans le mariage
» sacrement, hors duquel il n'y a qu'un pur concubinage.»
(Bouix, *ibid.*, p. 86.) V prop. 66 *Syllabi*.et Enc.*Arcanum*.

1155. Nunc quoad Materiam sacramenti Matrimonii conveniunt omnes contractum esse illam Materiam, siquidem ipsummet Matrimonium fuit à Christo evectum ad Sacramenti dignitatem; et concipi nequit quomodo illud esset verum, si saltem contractus non esset illius Materia; unde rejicienda est sententia Le Ridant advocati Parisiensis, Maultrot, Agier, Tabaraud, etc., qui auctoritatem Ecclesiæ in statuendis impedimentis matrimonium dirimentibus negantes, contenderunt contractum non esse Sacramentum neque partem illius, sed esse tantùm illud circa quod versatur Sacramentum, quod juxta eos consistit in ritu omninò distincto à contractu, scilicet ejus Forma in benedictione, Materia verò in impositione manuum : unde juxta eos, contractus est res merè temporalis, potestati civili subjicienda. Vide apud Carrière (*De Matrim.*, n^is 90 et 95).

1156. Quoad autem Formam, juxta eos qui tenent sacerdotem esse Ministrum, ipsa reponi debet in his verbis : « *Ego conjungo vos in matrimonium*, etc. »

Non omninò concordant illi qui dicunt contrahentes esse Ministros : alii enim asserunt verba sponsorum, quatenus exprimunt traditionem corporum, esse Materiam, quatenus verò exprimunt acceptationem esse Formam ; alii ècontra quibus magis adhæret S. Liguor. contendunt Materiam remotam esse jus mutuum in corpus alterius: Materiam proximam, ipsam juris in corpora traditionem factam per verba consensum exprimentia, Formam verò esse mutuam acceptationem verbis aut signis expressam : sicut enim in aliis contractibus res de quibus contrahitur sunt Materia remota, rerum traditio Materia proxima, et consensus per verba est Forma, ita in Matrimonio, quod nihil aliud est

quàm contractus ad dignitatem Sacramenti evectus. Vide S. Liguor., lib. 6 n° 880, et prop. 73 *Syllabi.*

1157. Ex his infertur : 1° in sententiâ quam diximus moraliter certam, quæque tenet contrahentes esse Ministros, manifestè patere quòd, in Matrimoniis quæ per procuratorem celebrantur, opus non sit, quominus fiant sacramenta, ut postea contrahentes se sistant coram parocho ad Matrimonium ratificandum : hoc autem non ita patet in sententiâ eorum qui tenent sacerdotem esse Ministrum.

1158. — 2° Etsi illicita sint matrimonia malitiosè contracta coram parocho reluctante et benedictionem denegante, valida tamen esse et vera sacramenta ; talia verò non essent in alterâ sententiâ.

3° Matrimonia coram parocho et testibus celebrata cum occulto impedimento dirimenti, vera, sublato per dispensationem impedimento, evadere sacramenta per consensum absente parocho præstitum : si tamen Matrimonium esset nullum ex causâ publicâ, v. g. ob defectum ætatis, rursum contrahendum esset coram parocho et testibus. Ita S. Congr. Conc., 8 jun. 1619.

1159. Controvertitur autem utrum sub gravi requirantur verba parochi : *Ego conjungo vos*, etc. : sententia affirmans magis placet S. Liguorio.

1160. Controvertitur pariter an à contrahentibus possit validè separari ratio contractûs à ratione sacramenti ; sed omnes ferè concordant in asserendo quòd hoc agere non careret gravi culpâ. Ita S. Lig., lib. 6, n° 899 ; Carrière, *ibid.*, n^is^ 120-124, 131 ; et ex Allocutione supra relatâ (1154) non licet recedere à sententiâ negante : insuper Pius IX in suo Brevi *Apostolicæ Sedis* 22 aug. 1851, sequentem damnavit propositionem D. Nuytz : « Matrimonii » sacramentum non esse nisi quid contractui accessorium » ab eoque separabile, ipsumque sacramentum in unâ » tantùm nuptiali benedictione situm esse. »

1161. Juxta Bened. XIV (*De Syn.*, lib. 8, cap. 13, n° VIII) longè communior DD. sententia docet benè posse matrimonium, antea validum in solâ ratione contractûs, denique renovari ut assequatur virtutem sacramenti. Vide

S. Liguor. (lib. 6, n° 897, *probat.* 5°); unde Matrimonium in infidelitate contractum, efficeretur sacramentum si post Baptismum utriusque conjugis, consensus renovaretur. Dicit tamen Carrière in suo *Compendio* (n° 278) non vigere praxim sic renovandi consensum in missionum regionibus; vide etiam *ibid.*, n° 150.

1162. Controvertitur an adsit sacramentum ex parte fidelis, casu quo per dispensationem, ubi est necessaria, matrimonium init cum infideli: hæc controversia non procedit in sententiâ quæ tenet sacerdotem esse ministrum, cùm, in casu supposito, matrimonium non sit benedicendum. (Carrière, *ibid.*, n° 151.)

1163. Pro matrimonio hæreticorum vel cum hæreticis inito, vide Carrière (*ibid.*, n° 152); non est autem consuetudo apud nos quòd post conversionem benedictionem nuptialem accipiant.

1164. De dispositionibus autem requisitis ad dignè recipiendum Matrimonii sacramentum, vide theologos. In multis diœcesibus confessio præscribitur: quæ præscriptio est observanda ubi viget; sed *Rituale Romanum* vult duntaxat ut sponsi admoneantur *ut, antequam contrahant, sua peccata diligenter confiteantur et piè recipiant sanctissimam Eucharistiam.* Jubet autem ut parochus quærat an sponsi *sciant rudimenta fidei, cùm ea deinde filios suos docere debeant.* Vide *De Syn.*, lib. 8, c. 14; Gury, tom. 2, n° 585; *Analecta*, janv. 1854, col. 504-707; et supra dicta (3216).

1165. De *cæremoniis* in celebratione matrimonii adhibendis, sic habet *Rituale Romanum* : « Caveat... parochus » ne, quando conjuges in primis nuptiis benedictionem » acceperint, eos in secundis benedicat, sive mulier » sive etiam vir ad secundas nuptias transeat; sed ubi vi» get consuetudo, ut si mulier nemini unquam nupserit, » etiamsi vir aliam uxorem habuerit, nuptiæ benedicantur, » ea servanda est; sed viduæ[1] nuptias non benedicat,

[1] Si jam fuerit benedicta, vide De Herdt, p. 6, n° 39, II, *notâ* 1a; Ferraris, v° *Benedicere*, art. 4, n° 11. Controvertitur utrum sub gravi prohibeatur viduam benedicere. Lequeux, n° 871, *in fine.* Vide infra dicenda (1190).

» etiamsi ejus vir nunquam uxorem duxerit.» —Benedicenda non est mulier, juxta Statuta Diœces. Valentin. si notoriè fuerit moribus depravata; sed contrarium fuit decisum à S. Congr. Concil. 20 octob. 1593; vide De Herdt, pars 6, n° 39, II.

4166. « Matrimonium, pergit *Rituale*, in ecclesiâ ma» ximè celebrari decet; sed si domi celebratum fuerit, » præsente parocho et testibus, sponsi veniant ad ecclesiam » benedictionem accepturi; et tunc caveat sacerdos ne » iterum à contrahentibus consensum exigat, sed tantùm » benedictionem illis conferat, celebratâ missâ.

» Parochus igitur Matrimonium celebraturus... in eccle» siâ, superpelliceo et albâ stolâ indutus, adhibito uno » saltem clerico superpelliceo pariter induto, qui librum » et vas aquæ benedictæ cum aspersorio deferat, coram » tribus aut duobus testibus, virum et mulierem, quos » parentum vel propinquorum suorum præsentiâ cohones» tari decet, de consensu in matrimonium interroget » utrumque sigillatim in hunc modum, vulgari sermone..: » (Vide *Rituale*.)

« Nec sufficit consensus unius, sed debet esse ambo» rum..; mutuo igitur contrahentium consensu intellecto, » sacerdos jubeat eos invicem jungere dexteras, dicens: » *Ego conjungo vos in matrimonium, in nomine Patris,* » etc., vel aliis utatur verbis juxta receptum uniuscujus» que provinciæ ritum; postea eos aspergat aquâ benedictâ. » Mox benedicat annulum (etiam in secundis nuptiis, juxta » Decisionem S. R. C., 27 aug. 1836 : ap. De Herdt, pars 6, » n° 38, VIII); deinde sacerdos aspergat annulum aquâ » benedictâ in modum crucis, et sponsus acceptum annu» lum de manu sacerdotis imponit in digito annulari » sinistræ manûs sponsæ, sacerdote dicente *In nomine* » *Patris*, etc. » Vide *Rituale*.

« His expletis, si benedicendæ sint nuptiæ, parochus » missam *pro sponso et sponsâ*, ut in *Missali Romano*, ce» lebret, servatis omnibus quæ ibi præscribuntur. » Vide supra (3722, 3723) et infra dicenda (4191, 4192).

4167. Nuptiarum benedictio fieri nequit nisi intra mis-

sarum solemnia, juxta Decis. S. Congr. Conc. 13 julii 1630, ap. De Herdt (pars 6, nº 39, V) qui tamen dicit aliter fieri posse ubi viget contraria consuetudo approbata ab Ordinario, et citat Resolut. S. Rit. Congr. 1 sept. 1838, cui concordant sequentia *Ritualis* verba :

1168. « Cæterùm, si quæ provinciæ, aliis, ultra prædic» tas, laudabilibus consuetudinibus et cæremoniis in ce» lebrando Matrimonii Sacramento utuntur, eas S. Tri» dentina Synodus optat retineri... » Vide alias explicationes cæremoniarum in Matrimonio adhibendarum apud eumdem De Herdt (*ib.*, nº 40, IV) qui putat (*ib.*, V) posse nuptiarum benedictionem pluribus simul impendi; orationes tamen in singulari prout fert *Missale*, sunt recitandæ : vide infra (1467, 1475).

1169. « An (autem) ritus receptus veli albi explicandi » super sponsos annumerandus sit inter laudabiles consue» tudines à Tridentinâ Synodo approbatas, vel adhæren» dum sit potiùs Decreto 29 feb. 1606 ? — S. Congr. Rit. » respondit 7 sept. 1850 : —*negativè*, *ad primam partem;* » —*affirmativè*, *ad secundam.* » Porrò in Decreto 29 febr. 1606 reprobatur ritus veli explicandi Vide *Revue des sciences ecclés.*, 20 avr. 1861, p. 358.

1170. Benedictio nubentium fieri debet à proprio parocho, non verò ab alio sacerdote, nisi de ipsius parochi vel Ordinarii licentiâ, non obstante immemorabili consuetudine vel privilegio (Conc. Trid., sess. 24, c. 1, *De reform., Matrim.*) : unde parochus proprius debet recipere eleemosynam, ratione benedictionis, et non alius. S. R. Congr., 25 janv. 1602. V. Ferr., vº *Benedicere*, art. 4, nº 14.

« Si quis parochus, inquit Synod. Trident. (sess. 24, » cap. 1), vel alius sacerdos, sive regularis sive sæcularis, » etiamsi id sibi ex privilegio, vel immemorabili consue» tudine, licere contendat, alterius parochiæ sponsos, sinè » illorum parochi licentiâ, matrimonio conjungere, aut » *benedicere* ausus fuerit, ipso jure tamdiù suspensus ma» neat, quamdiù ab Ordinario ejus parochi, qui interesse » matrimonio debebat, seu à quo benedictio suscipienda » erat, absolvatur. » V. C. *Apost. Sedis*, in fine t. I.

ART. V.

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII.

§ I.

De Impedimentis in genere.

1171. Per Impedimentum Matrimonii, intelligitur generatim illud omne quod obstat ne matrimonium licitè aut validè contrahatur : in priori casu, vocatur impedimentum *prohibens ;* in secundo, *dirimens.*

1172. Potestatem instituendi Impedimenta matrimonium dirimentia Ecclesiæ abnuerunt : 1° Lutherus et Calvinus qui contendebant matrimonium non esse sacramentum sed contractum merè civilem soli principum auctoritati subjectum ; 2° Marc. Anton. De Dominis, Launoius, Le Ridanus, Maultrot, Agier et multi alii Jansenistæ, et nostris temporibus Tabaraud, qui non reformidârunt Ecclesiæ potestatem imminuere, modò Principum sæcularium auctoritatem magnificarent. Vide Carrière, n[is] 521-526.

Contra eos hæc statuuntur :

1173. — I. Ecclesia habet, et quidem jure proprio, potestatem apponendi Matrimonio Impedimenta quæ etiam contractum dirimant quoad omnes baptizatos.

Propositio est de fide, et constat :

1° Ex Concil. Trid. (sess. 24, can. 4) : « Si quis dixerit » Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matri» monium dirimentia, vel in iis constituendis errasse, » anathema sit. » Vide etiam can. 3.

2° Ex Bullâ *Auctorem fidei*, quæ in proposit. 59 sic habet : « Doctrina Synodi (*Pistoriensis*) asserens, ad supre» mam civilem potestatem duntaxat originariè spectare » contractui matrimonii apponere impedimenta ejus gene» ris quæ ipsum nullum reddant dicunturque dirimen» tia..., quasi Ecclesia non semper potuerit ac possit in » christianorum matrimoniis jure proprio impedimenta » constituere, quæ matrimonium non solùm impediant,

» sed et nullum reddant quoad vinculum, quibus chris-
» tiani obstricti teneantur etiam in terris infidelium, in iis-
» demque dispensare, *canonum*, *num*. 3, 4, 9, 12, *sess*. 24,
» *Conc. Trid. eversiva, hæretica.* » Vide alia argum. ap. Theolog. Carrière, nº 527. et prop. 67 *Syllabi.*

Nec obstat quòd Ecclesia nequeat invalidare sacramenta quando celebrantur cum debitis Materiâ, Formâ et Ministro: nam, etsi hoc sit verum, tamen Ecclesia potest efficere ut contractus matrimonii, propter impedimentum à se conditum, non verè existat, proinde ut absit Materia saltem ad matrimonii sacramentum à Christo requisita, eodem modo ac si quis per artem chimicam corrumperet aquam ad baptismum præparatam, impediret ne adesset Baptismus, causando ut non esset Baptismi Materia, non verò efficiendo ut invalidus esset Baptismus etiam positis illius Materiâ, Formâ et Ministro debitis. Vide S. Liguor., lib. 6, nº 979.

1174. — II. Certum est prædictam facultatem instituendi impedimenta matrimonium dirimentia residere apud S. Pontificem et Concilium Generale illius auctoritate confirmatum.

1175. An autem Episcopi pro suis respectivis diœcesibus dictam facultatem pariter habeant, controvertitur, si solùm attendatur natura jurisdictionis ipsis concessæ, ut videre est ap. S. Liguor. (lib. 6, nº 980); sed hoc est illis vetitum ex inveteratâ consuetudine; et insuper, juxta Bened. XIV (*De Syn.*, lib. 12, c. 5, nis II, VII, XII), Urbanus VIII approbavit Declarat. S. C. in quâ non solùm id Episcopis est prohibitum, sed etiam præcipitur ne in posterum hoc in dubium revocetur. (S. Liguor., *ib.*)

1176. « Nulla..... peculiaris Synodus potest inducere
» novum impedimentum dirimens... seu hujus contrahendi
» novam formam præscribere; sed ad id necessaria est
» suprema auctoritas, vel Concilii, vel Summi Pontificis. »
Ita Bened. XIV (*De Syn.*, *ib.*, nº IX).

1177. Privata tamen consuetudo, debitis vestita conditionibus, impedimentum dirimens potest inducere vel abrogare; et hoc constat ex cap. *Super eo*, *de cognat. spirit.*, ubi

Alexander III dicit : « De his te volumus consuetudinem » tuæ Metropolitanæ Ecclesiæ vel aliarum circumpositarum » rum inquirere et diligentiùs imitari ; ita quòd, si ejus» dem Ecclesiæ consuetudo habet inter eos non susti» nere conjugium fieri, nec factum firmitatis robur habere, » tu simili modo, in Ecclesiâ tuâ, conjugium hujusmodi » fieri non permittas; et si quos taliter conjunctos inve» neris, juxta earumdem Ecclesiarum consuetudinem, » ipsos separare ab invicem non omittas... »

Unde, etsi juxta præsentem disciplinam nec Episcopus nec Ecclesia particularis possit statuere impedimentum dirimens, id tamen valet consuetudo unius Ecclesiæ, vel Provinciæ, quia tunc S. Pontifex consentit saltem tacitè, quando conditiones requisitæ inveniuntur. Ita Collator Andegavensis, quem sequitur Collet; Carrière, in *Compendio de Matrim.*, n° 138 ; S. Liguor. (lib. 1, n° 108) qui citat Salmanticenses.

1178. An autem de facto existant alicubi impedimenta dirimentia ex vi hujusmodi consuetudinis debitis conditionibus vestitæ, valde incertum est : — reverà declaravit Clerus Gallicanus, anno 1635 (tom. 5, p. 701, *Mémoires du Clergé*), Principes regiæ prosapiæ non posse validè, sinè consensu Regis, conjugia contrahere : « vu, inquiebat, les » Décisions et les Constitutions Apostoliques sur le pouvoir » des coutumes, attendu aussi le consentement et appro» bation de l'Eglise, touchant cette coutume, etc. » Vide Carrière, *De Matrim.*, n° 586.—Hoc impedimentum adhuc vigere in Galliâ dicit DD. Bouvier, *De Matrim.*, *Imped. civil.*, p. 202, 1ª edit. 1834 : sed aliter sensit Facultas Lovaniensis; et S. Pontifex Urbanus VIII de hâc re ab Episcopo Montepessulano consultus, referente Collet (*De Matrim.*, c. 3, n° 719), secus pariter judicavit. Vide insuper *Revue des sciences ecclés.*, n° 7, p. 86; et Tract. *De Matrim.*, P. Martin.

1179. — III. Potestas Ecclesiæ statuendi impedimenta dirimentia, etiam ad hæreticos extendi valet, cùm ratione baptismi, etiam hæretici Ecclesiæ subjiciantur. An de facto Ecclesia velit suis impedimentis hæreticos ligare, disputa-

tur inter DD.; sed videtur esse distinguendum : si agatur de impedimentis post peractam hæreticorum separationem statutis, communiter videtur doceri Ecclesiam nolle ad hæreticos ea extendi; sed de hâc quæstione iterum loquemur agendo de clandestinitate; si verò de aliis impedimentis sit sermo, non videtur posse recedi à sententiâ affirmante, tum propter praxim Ecclesiæ, quæ ut irrita habet conjugia ab hæreticis hujusmodi impedimentis ligatis contracta, ut constat ex Indultis à SS. Pontificibus concessis : « Dispensandi.... in contractis.... cum hæreticis » *Conversis*, etiam in secundo simplici et in his casibus » prolem susceptam declarandi legitimam»; — tum propter auctoritatem Bened. XIV, qui in variis Constitutionibus, videlicet *Ad manus tuas*, 7 aug. 1748, et Declar. circa Matrimonia Hollandiæ, supponit hæreticos ligari impedimentis dirimentibus. Et id expressiùs declarat in Epistolâ ad Cardin. Eboracensem 9 febr. 1749, ubi expendens quid sentiendum sit de Matrimonio Judæi cum uxore è sectâ Protestantium, asserit (§ 8) hùc reduci quæstionem an uxor astricta fuerit impedimento disparitatis cultûs; declaratque (§11) eam revera astrictam esse, quia hæretici, ut ait (§ 14), non eximuntur ab auctoritate Ecclesiæ. Vide Carrière, n° 610.

1180. Infideles autem nequeunt ligari *directè* impedimentis ab Ecclesiâ institutis, nisi essent temporaliter subjecti S. Pontifici, quia tunc astringuntur legibus localibus quoad contractus ab ipsis initos, et proinde quoad etiam contractum matrimonialem. —Diximus *directè :* nam indirectè hujusmodi impedimentis ligari possunt : v. g. nullum esset eorum matrimonium cum fideli baptizato ob impedimentum cultûs disparitatis; posset etiam indirectè nullum esse ob impedimentum criminis. Vide Carrière, *Compend. de Matrim.* (n° 140), et S. Liguor., lib. 6, n° 981.

1181. Quærit. An Principes sæculares habeant potestatem instituendi impedimenta matrimonium dirimentia?

Resp. Si agatur duntaxat de effectibus civilibus, communiter docetur Principes habere potestatem instituendi im-

pedimenta, quibus positis, matrimonium, etiam in conscientiâ validum, effectus civiles habere nequit.

1182. Sed quæstio est de potestate instituendi impedimenta quæ nullum reddant etiam in conscientiâ vinculum conjugale : circa quod quatuor referuntur opiniones, apud D. Carrière (*Compend. de Matr.*, n° 290) : « 1° Alii contendunt Principes ex ipsâ rei naturâ nec posse nec unquam » potuisse irritare Matrimonium; 2° alii concedunt Principes id posse ex naturâ rei, sed propugnant eos excidisse ab hâc potestate quoad subditos christianos, ex » quo Christus Matrimonium evexit ad dignitatem Sacramenti; 3° alii admittentes Principem habere hanc potestatem ex naturâ rei, nec eam amisisse propter institutionem Sacramenti, dicunt fuisse, per reservationem » Ecclesiæ, sublatam Principibus christianis quoad subditos christianos; 4° alii demùm existimant hanc potestatem Principibus competere ex naturâ rei, nec eis fuisse » ablatam sive per institutionem Sacramenti, sive per » reservationem Ecclesiæ, proindeque eâ semper ipsos » gaudere. »

Primam sententiam non audemus dicere improbabilem; quartam à D. Carrière primùm propugnatam, sed postea ab eodem derelictam omninò falsam reputamus; probabilior nobis videtur secunda; dicemus ergo :

1183. *Propositio.* — Ex quo matrimonium fuit à Christo evectum ad dignitatem Sacramenti, Princeps sæcularis etiam christianus, non potest instituere impedimenta matrimonia Christianorum dirimentia.

Probat. 1° Ex traditione : Ivo Carnutensis (Epist. 244 *ad Andoch. Episcop.*) refert leges Principum Christianorum circa matrimonia à fidelibus contracta, fuisse observatas suo tempore eò quòd ab Ecclesiâ Romanâ confirmarentur : non ergo ex nativâ potestate valebant hujusmodi leges condere.

S. Thomas (*Suppl.*, q. 57, art. 2, ad 4) ait : « Dicendum quòd prohibitio legis humanæ non sufficeret ad » impedimentum matrimonii, nisi interveniret Ecclesiæ

» auctoritas, quæ idem etiam interdicat » ; ergo, etc.

Ipsimet Reges christiani non reputabant se habere potestatem impedimenta matrimonium dirimentia constituendi : Legati enim Regis Galliæ à Patribus Concilii Trident. postulârunt ut matrimonia filiorumfamiliâs sinè parentum consensu contracta, irrita declararentur; ergo non putabant ea à seipsis posse dirimi. Nec magis existimavit S. Synodus, quippe non tantùm ipsorum petitioni abnuit, sed etiam anathemate percussit eos « *qui falsò affirmant matri-* » *monia à filiisfamiliâs sinè consensu parentum contracta* » *irrita esse, et parentes ea rata vel irrita facere posse* » (sess. 24, cap. 1).

Nec etiam Præsules Galliæ opinabantur Principem dictam potestatem possidere : nam, cùm, anno 1629, Ludovicus XIII statuisset matrimonia filiorumfamiliâs sinè parentum consensu inita, tanquam invalida esse habenda, Clerus Gallicanus postulavit quòd hujusmodi invaliditas non intelligeretur *nisi quoad effectus civiles*, et supprimerentur verba : « Seront tenus les juges ecclésiastiques de » juger les causes desdits mariages conformément à cet » article » ; et ratio quam afferebant est quòd Decreta et Constitutiones ecclesiasticæ sint unica ipsorum regula : etenim, inquiunt, « la justice laïque ne peut pas donner » la loi aux juges ecclésiastiques en matière spirituelle. » Annuit petitioni pius Rex quoad utramque partem. Vide insuper responsionem Pii VII ad Imperatorem Napoleonem, occasione Matrimonii illius fratris Hieronymi Buonaparte (*Vie de Pie VII*, par M. Artaud, tom. 2, p. 69, 1re édit.).

Probatur 2° Ex SS. Pontificum Constitutionibus: in Bataviâ, tempore Bened. XIV, prout nunc in Galliâ, matrimonia tanquam invalida à lege civili habebantur, si contracta non essent coram Magistratu civili : hoc non obstante, clarissimus Pontifex jussit fidelibus hujus regionis (et hoc idem præscripsit Pius VI pro Galliâ : *Mémorial*, janv. 1828, p. 41) ut coram parocho et testibus contraherent, etiam antequam starent coram civili Magistratu, ad quod nullo modo obligat. Ergo Pontifex velut necessariam non habebat præsentiam civilis Magistratûs; ergo nec etiam proba-

bilem putabat sententiam tribuentem Principibus sæcularibus potestatem statuendi impedimenta dirimentia; alioquin utpote tutiori obsecundare debuisset, cùm agatur hic de validitate Sacramenti.

Idem Bened. XIV, *Epist.* 9 febr. 1749 ad Card. Eboracensem, loquens de lege Theodosiâ Matrimonium inter christianos et judæos prohibente, ait (n° 7) : « Hæc lex, » utpote à laico Principe condita, nullam habere vim in » matrimoniis debet. » (Carrière, *De Matrim.*, n° 576.)

In Brevi 16 sept. 1788, ad Episcop. Motulensem qui tanquam delegatus Principis de causâ ab Archiepiscopo Neapolitano jam judicatâ, ausus fuerat pronuntiare, sic habet Pius VI : « Hinc fit ut ad *solam* Ecclesiam, cui tota » de sacramentis est cura concredita, jus omne ac potestas » pertinet suam assignandi formam huic contractui ad » sublimiorem Sacramenti dignitatem evecto, ac proinde » de matrimoniorum validitate aut invaliditate judicium » ferre. » — Hoc deinde confirmat canone 12, sess. 24, Conc. Trid., ubi dicitur : « Si quis dixerit causas matrimo» niales non spectare ad Judices Ecclesiasticos, anathe» ma sit. »

Nec obstat quòd Concilium non dixerit *ad solos* Judices ecclesiasticos; nam, pergit Pontifex, « scimus etiam hanc » captiunculam et fallax hoc cavillandi genus omni funda» mento destitui » : quod probat variis momentis; et demùm ait : « Sed jam tempus est ut pœnas tibi indigitemus » quæ in his casibus à sacris canonibus infliguntur : au» disti jam canonem Trident. Concil. quo illi omnes ana» themati subjiciuntur qui causas matrimoniales negant » pertinere ad Ecclesiam et ecclesiasticos judices : quo » quidem canone certum non eos modò comprehendi » qui docent esse summarum potestatum hujus sæculi leges » de nuptiis dicere, sed eos quoque qui factis hoc ipsum » confirmant, etc. »

His consonant quæ Pius VIII ait in Encyclicâ 1829, de Matrimonio : « Sacris rebus ipsum (matrimonium) » accensendum esse, ideoque Ecclesiæ *omnino subjici*, » christianus populus accuratè edoceatur. »

Item Gregor. XVI in suâ Encyclicâ anni 1832 ait : « Memores sacris illud (matrimonium) rebus adnumerari et » Ecclesiæ proinde subjici, præstitutas de ipso ejusdem » Ecclesiæ leges habeant ob oculos, iisque pareant sanctè » accuratèque, ex quarum executione *omnino pendet* ejusdem connubii vis, robur, ac justa consociatio. » Porrò in sententiâ adversariorum, *vis, robur matrimonii* ab executione legum Ecclesiæ non penderet *omnino;* siquidem, servatis Ecclesiæ legibus, robur non obtineret matrimonium, propter repugnantiam legum civilium ipsum irritantium : ergo, etc.

His addere tandem debemus quæ S. Pontifex Pius IX, aiebat in Allocutione 27 sept. 1852, ubi, post reprobatos Reipublicæ Neo-Granatensis excessus contra Ecclesiæ jura, concludit, « *Omninò spectare ad Ecclesiæ potestatem* » ea omnia decernere quæ ad matrimonium quovis modo » possunt pertinere. »

Item in Epistolâ ad Regem Sardiniæ, 10 sept. 1852, Pius IX sat luculenter affirmat potestatem civilem jus habere de solis effectibus civilibus Matrimonii statuendi, et ad Ecclesiam pertinere quæ ad validitatem conjugii spectant. Vide Carrière, *Compendium de Matr.,* n° 302.

Probat. 3° Ratione theologicâ : Princeps sæcularis nullam ex se habere potest auctoritatem in spiritualia, ne quidem indirectam ; atqui contractus matrimonii, utpote Sacramentum aut saltem sacramenti Materia, est res spiritualis, ut patet; ergo in ipsum nihil potest Princeps sæcularis, nec proinde impedimenta statuere quæ illum diriment : vel enim res ita est, vel Ecclesia subjicitur potestati temporali etiam quoad validitatem sacramentorum; porrò tale consequens omnino est rejiciendum, ergo, etc. Vide Muzzarelli, *Mariage en tant que Sacrement.*

1184. Propositio nostra ita certa plerisque theologis et canonistis visa fuit, ut ipsemet Van-Espen, in hâc materiâ minimè suspectus, asserat : « Unanimi consensu » receptum est causas sacramentorum esse merè ecclesiasticas, easque quantùm ad substantiam eorum ad Judicem » ecclesiasticum privatim spectare, nihilque circa eorum

» validitatem aut invaliditatem judicem sæcularem posse » decernere, eò quòd hæ ex naturâ suâ sint merè spiri- » tuales. Et sanè si quæstio versatur de validitate ipsius » matrimonii, solus judex ecclesiasticus est competens, » ipseque solus de hâc quæstione cognoscere potest » (*Jus eccles.*, pars 3, tit. 2, c. 1, n[is] 4, 11, 12). Vide Feller, *Dict. hist.* v[is] *De Dominis*, *Gerbais*, et pr. 68, etc., *Syllab*.

Hinc S. Pœnitentiaria ab Episcopo Vivariensi consulta, respondit, 1 junii 1824 : *Matrimonium... contractum in » formâ Ecclesiæ consuetâ, absque impedimento canonico, » sed tantùm cum impedimento civili, validum esse.* » Vide *Instit.*, R. d. M., tom. 2, p. 63, 64.

Objicies : Eam habent potestatem Principes sæculares quæ ipsis jure innato competit, nec ipsis fuit adempta sive per elevationem contractûs matrimonii ad dignitatem Sacramenti, sive per Ecclesiæ reservationem; atqui principibus sæcularibus jure innato competit potestas statuendi impedimenta matrimonium dirimentia, nec ipsis fuit adempta, sive per elevationem matrimonii ad dignitatem Sacramenti, quod non impedit quominus sit contractus civilis ac proinde Principi sæculari subjectum, sive per Ecclesiæ reservationem quæ jura principum nequit tollere. Ergo Princeps, etc.

Resp. 1° Quosdam videlicet fautores primæ sententiæ, negare, jure innato, Principibus competere potestatem impedimenta matrimonium dirimentia : ratio est quia semper matrimonium fuit res spiritualis à Deo instituta ad significandam unionem Christi cum Ecclesiâ : porrò nunquam Principes habuerunt, jure innato, potestatem saltem independentem in res spirituales; ergo, etc. Vide Muzzarelli, *Du Mariage en tant que Sacrement.* Hâc autem responsione dimissâ :

Resp. 2° Dato quòd Principes, jure innato, habeant potestatem in contractum matrimonii utpote, sub aliquo saltem respectu, rem temporalem et ad bonum temporalis societatis ordinatum, attamen quia idem contractus est etiam res spiritualis, ad bonum et multiplicationem societatis spiritualis ordinata, cùm præsertim à Christi tempore

evasit unum novæ legis Sacramentum, aut saltem ipsius Materia, Princeps sæcularis in eum potestatem habere non potest nisi dependentem ac subordinatam auctoritati spirituali : alioquin Societas spiritualis, Ecclesia scilicet, in res spirituales, nempe in matrimonium, non semper exerceret potestatem independentem, sed subjiceretur sæculari potestati, saltem indirectè : cogi enim posset, etiam invita, non admittere ad Sacramentum matrimonii eos qui, juxta sacros canones, omninò habiles forent ad illud dignè et validè suscipiendum ; porrò nullo modo dici debet Ecclesiam circa spiritualia subjici Principibus sæcularibus ; ergo, etc.

1185. *Nota* quòd licet nostra propositio sit verissima, tamen prudenter se geret parochus non admittendo ad matrimonium eos qui civili impedimento detinentur, cùm hujusmodi matrimonia effectibus civilibus, cum prolis inde nasciturae detrimento, privarentur.

1186. Quoad autem impedimenta ab Ecclesiâ statuta, nota quòd, præter peccati gravis reatum, pœna excommunicationis, ex decreto Concilii Generalis Viennensis, incurratur ipso facto ab iis qui « scienter in gradibus con- » sanguinitatis, aut affinitatis, constitutione canonicà inter- » dictis, aut cum monialibus contrahere matrimonialiter » non verentur ; nec non à religiosis et monialibus ac » clericis in sacris ordinibus constitutis matrimonium » contrahentibus. » Vide Carrière, *Compendium*, n° 266. Sublata est pœna saltem quoad sæculares C. *Apost. Sedis.*

Loquendum nobis est nunc de impedimentis in specie, quæ duplicis sunt generis, nempe : 1° simpliciter *prohibentia* ; 2° *dirimentia* ; deinde 3° breviter exponemus quænam sint impedimenta à Codice nostro civili statuta ; 4° tandem de dispensatione impedimentorum tractabimus.

§ II.

De Impedimentis in specie.

PUNCTUM I.

DE IMPEDIMENTIS PROHIBENTIBUS.

1187. Quatuor enumerantur impedimenta simpliciter

prohibentia, quæ in sequentibus versiculis continentur:

Ecclesiæ Vetitum, Tempus, Sponsalia, Votum
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

4188. 1° Per *Ecclesiæ Vetitum* intelligitur prohibitio quæ fit ab Episcopo vel parocho, v. g., ob dubium impedimenti alicujus, et tunc sponsi contrahendo graviter peccarent, juxta S. Liguor. (lib. 6, n° 982); leve tamen foret peccatum, si prohibitio esset ob venerationem alicujus Festi.

Prohibitio sanè fieri potest à S. Pontifice, et tunc, si Decreto irritante prohibitio esset munita, nuptiæ contra talem prohibitionem initæ nullæ essent: quia S. Pontifex potestatem habet matrimonium irritandi; non idem est dicendum, ob oppositam rationem, quando Episcopus matrimonium prohibet. Vide Bened. XIV (*De Syn.*, lib. 12, cap. 5, n° III); et Card. Soglia, *Instit. jur. priv.*, § 173.

4189. Per Ecclesiæ Vetitum intelligi etiam debet quæcumque prohibitio generalis nuptias contrahendi, v. g., absque proclamatione bannorum, vel absque consensu parentum, vel cum hæreticis, vel cum excommunicatis denuntiatis, etc.; vide Carrière, *Compend. de Matrim.*, n° 216. Vetatur pariter ne fiat matrimonium, primum scilicet, omissâ solemni benedictione; sed communiter dicunt DD. hanc omissionem non esse de se mortalem, nisi id fieret ex contemptu aut cum gravi scandalo.

4190. Secundæ nuptiæ non benedicuntur, nisi primæ non fuissent benedictæ: « quod si alter conjugum sit viduus, » alter verò primas nuptias celebret aut saltem nunquam » fuerit benedictus, etsi jure antiquo non licuerit, nunc » tamen quibusdam locis consuetudo habet ut benedi» cantur. » Ap. S. Liguor., lib. 6, n° 988. — Vide dicta supra (4165).

4191. — 2° *Tempus:* Juxta Concil. Trid. (sess. 24, c. 10), solemnitates nuptiarum prohibentur « ab Adventu D. N. » J. C. usque in diem Epiphaniæ, et à feriâ IV Cinerum » usque in Octavam Paschatis inclusivè. »

Nec in præfatis verbis, nec in jure communi invenitur quòd, tempore vetito, ipsummet matrimonium, aut ejus

consummatio prohibeantur, sed solummodo tunc vetantur nuptiarum solemnitates, nempe illarum benedictio intra missam dari solita, solemnis sponsæ in sponsi domum traductio, solemniora convivia, tripudia, etc. Vide *Rituale Romanum*.

Hortatur verò Concil. Trid. (*ib.*, c. 1) ne, antequam benedicatur, matrimonium consummetur, sed non absolutè illud prohibet.

1192. In Galliâ autem, non solùm prohibentur solemnitates nuptiarum, tempore prohibito, sed ipsummet matrimonium est vetitum, et quidem *sub gravi*, juxta Lequeux (nº 859), qui dicit hoc esse commune, ita ut fieri nequeat absque dispensatione Episcopi; imò, juxta Card. Soglia (*Inst. jur. priv.*, § 172), « invaluit consuetudo fermè » communis, ut parochus, feriato tempore, nuptiis non » assistat, nisi primùm ab Episcopo veniam impetraverit »; monet ipse Bened. XIV (*Inst.* LXXX, nº 14) tali consuetudini standum esse ubi viget, et licentiam nubendi, iis in locis, esse postulandam ab Episcopo, non verò licentiam adhibendi tunc solitas solemnitates : sed apud nos etiam hujusmodi solemnitates locum habent, et licitæ censentur quando data fuit ab Episcopo dispensatio nubendi tempore vetito : in quo non videtur esse magna difficultas, quippe juxta S. Liguor. (lib. 6, nº 983) illæ solemnitates non sunt prohibitæ « *sub gravi*, *nisi excessus esset magnus* : imò si » fiant moderatè, nulla erit culpa, ut ait Sanchez. »

1193. — 3º *Sponsalia* etiam privata cum uno contracta et non legitimè dissoluta, impediunt ne matrimonium cum altero celebretur. — In hoc verò impedimento dispensare nequit Episcopus, quia de damno tertii agitur. Vide *De Syn.*, lib. 9, c. 2, nº 1; et Bouix, *De Episcopo*, tom. 2, p. 134.

1194. — 4º *Votum* etiam simplex, sive castitatis, sive Religionis, sive non nubendi, vel sacrum ordinem suscipiendi, impedit ne matrimonium licitè contrahatur.

Qui non obstantibus hujusmodi votis matrimonium contraxit, peccavit quidem, sed validè contraxit, et tenetur debitum conjugale reddere, saltem post bimestre; imò,

nisi agatur de voto castitatis aut voto Religionem ingrediendi, debitum in hoc casu petere potest.

Casu autem quo emisisset quis votum virginitatis, posset pariter debitum petere statim ac consummatum fuisset matrimonium, quia tunc ampliùs servari nequit hujusmodi votum, si tamen verè votum virginitatis intenderit emittere et non potiùs continentiæ.

1195. Dissoluto autem matrimonio, qui vovit castitatem non potest aliud matrimonium inire sinè dispensatione · idem est dicendum de eo qui vovit ingredi Religionem, quique ad eam ingrediendam tenetur statim ac potest : secus autem est pronuntiandum de eo qui votum emittit non nubendi, aut virginitatem servandi : quia hujusmodi vota ampliùs observari non possunt; contingere tamen posset quòd sic voventes intendissent castitatem vovere, et in hoc casu applicanda essent quæ dicta sunt de castitatem voventibus. (P. Gury, tom. 2, n[os] 591-595.)

1196. An autem qui vovit sacros ordines suscipere, dissoluto matrimonio, adhuc teneatur suum votum implere, benè de hoc judicari nequit, nisi pensatis variis circumstantiis quæ contingere possunt; proinde ad novas nuptias non debet talis convolare, nisi cum licentiâ Episcopi.

1197. Episcopus nequit dispensare in voto absoluto Religionem ingrediendi in quâ vota solemnia emittuntur, nec in voto absoluto perpetuæ castitatis; potest autem in hujusmodi votis dispensare quando sunt conditionata, aut disjunctiva, vel dubia, vel ex metu injusto extorta. Vide S. Liguor. (lib. 3, n° 261); Theol. Tolosan. (*De Decalogo*, art. 4, § 4, quær. 3°); Bouix (*De Episcopo*, t. 2, p. 135).

1198. Juxta Salmantic., Episcopus, aut etiam Vicarius ejus, potest ex generali commissione dispensare in voto castitatis perpetuæ emisso post consummatum matrimonium, modò tamen hoc votum non fuerit emissum ex mutuo consensu, quia in tali casu à solo Papâ dispensatio esset obtinenda : ita communiter (S. Lig., lib. 6, n° 987).

1199. Imò valdè probabiliter communiùs docetur, contra nonnullos, posse Episcopum dispensare in voto castitatis ante matrimonium emisso, ad petendum debitum : ita fert

consuetudo, quæ jurisdictionem præbet, ex cap. *Cùm contingat, de foro competenti.*

1200. Item si periculum sit in morâ, et non sit facilis aditus ad Papam, Episcopus valet dispensare in voto castitatis ad matrimonium contrahendum. (S. Liguor., *ibid.*)

1201. Regulares ex suis privilegiis dispensare possunt pro foro interno : 1° in voto castitatis ad tempus; 2° in voto virginitatis, seu non nubendi. Vide P. Gury, tom. 2, n° 595.

1202. Præter enuntiata impedimenta, alia olim existebant, prout: 1° *Catechismus* cujus nomine intelligebatur impedimentum ab eo contractum qui pro infante respondebat quando supplebantur cæremoniæ post baptismum in necessitate collatum, vel (juxta alios) ab eo qui professionem fidei recitabat nomine baptizandi ante baptismum; sed probabilius est hoc impedimentum fuisse sublatum per Concil. Trident. : et sic fuisse decisum à S. C. refert Diana, apud S. Liguor. (lib. 6, n° 985).

2° *Crimen.* Varia autem crimina impediebant ne licitè matrimonium contraheretur cum personâ qualicumque, ut : 1° incestus cum consanguineâ conjugis in primo vel secundo gradu, vel cum propriâ matre aut filiâ; 2° raptus alienæ sponsæ; 3° uxoricidium; 4° presbytericidium; 5° publica pœnitentia, quandiu durabat, etc.; sed hæc omnia per non usum sunt sublata, etc. In interdicto autem Episcopus dispensare valet. (S. Liguor., *ibid.*)

PUNCTUM II.

DE IMPEDIMENTIS DIRIMENTIBUS.

1203. Quindecim numerantur impedimenta Matrimonium dirimentia, quæ versibus sequentibus continentur :

Amens atque *errans*, cui *vis* infertur iniqua,
Impos perpetuò, primoque *ligamine* vinctus,
Quem solemne tenet *votum*, vel consecrat *ordo*,
Cognati, *affines*, quos *publica* jungit *honestas*,
Si *cultu dispar*, conjux si *serviat* unus,
Qui *raptor* sponsæ, infandi qui *criminis* auctor,

Conjugii fœdus qui *clandestinus* iniret :
Norint quidquid agant isti nihil robur habere [1].

I

DE IMPEDIMENTO AMENTIÆ.

4204. Amentium nomine hîc omnes designantur qui privantur usu rationis, ut furiosi, fatui, etc. : hujusmodi homines, jure etiam naturali, incapaces sunt nubendi, cùm ad matrimonialem contractum actus saltem humanus sit absolutè necessarius.

Sunt tamen homines mentis quidem debiles, sed quorum amentia non est completa : si ergo hujusmodi homines sat rationis habeant ut peccare mortaliter valeant, et sufficienter intelligant ad quid nubendo se obligent, validè possunt contrahere, uti pariter illi quorum amentia non est perpetua, sed habent lucida intervalla, vel quorum amentia est solùm circa quædam puncta, et non circa substantiam matrimonii. De surdis et mutis diximus supra (3241).

II

DE IMPEDIMENTO ERRORIS.

4205. Error potest accidere vel circa personam quâcum initur Matrimonium, vel circa ipsius qualitates.

Si error sit circa personam, v. g., si Joanni volenti ducere Annam, offerat se Maria et cum eâ contrahat putans esse Annam, invalidum est matrimonium : et hoc quidem, jure naturali, quia conjugium non potest esse sinè consensu circa illius objectum, nempe circa personam quâcum fit contractus : quod tamen contingeret si in dicto casu validæ essent nuptiæ ; ergo, etc.

4206. Error personæ matrimonium dirimit, etiamsi vincibilis sit et crassissimus, aut etiam concomitans, seu non dans causam contractui, nimirum si, cognito errore,

[1] Hos versiculos à D. Carrière relatos, consuetis *error, conditio, votum*, etc., prætulimus, quia meliori ordine impedimenta disponere nobis visi sunt.

adhuc fuisset initum matrimonium: ita communiter, apud S. Liguor. (lib. 6, nº 1009).

1207. Si autem error sit circa qualitates : vel est concomitans seu non dans causam contractui, vel causat contractum : in primo casu, certum est valere matrimonium quia adest consensus: ita communiter; in secundo casu, quando nempe cognito errore matrimonium non fuisset initum , nonnulli dicunt invalidum esse tunc contractum, quia, qualitate existimatâ deficiente, deficit consensus : ita Pontius; sed sententia communis et verior validum habet tale matrimonium, quia adest consensus circa substantiam, et quamvis deficiat circa accidentia, prævalere debet consensus circa substantiam, ob innumera dubia vel lites quæ aliter emergerent; et ad hoc censetur consensisse contrahens, qui non ignorabat se contractum indissolubilem facere, aut si hoc ignorabat, voluit contrahere juxta contractûs naturam, proinde ut non esset dissolubilis propter deficientiam qualitatum. (S. Liguor., lib. 6, 1012.)

1208. Excipiendi sunt tamen casus in quibus error qualitatum redundaret in substantiam, sive in personam: quod contingit: 1º quando quis expressè non vult contrahere nisi sub conditione talis qualitatis : sufficit quòd hæc voluntas sic conditionata habita priùs fuerit, et non fuerit retractata ante matrimonium; 2º quando qualitas ad plures non extenditur, sed est propria et individualis, ut v. g. qualitas primogeniti talis personæ: unde invalidum esset matrimonium si quis putans nubere cum primogenitâ alicujus Regis, cum aliâ matrimonium iniret; secus esse dicendum putat S. Liguor., si simpliciter putaret se contrahere cum filiâ Regis, aut etiam cum primogenitâ alicujus Regis in genere, nisi in hoc casu expressè noluisset contrahere nisi cum hâc conditione, prout modò diximus in 1º; vel nisi qualitas directè et primariò intenderetur, prout dicemus in 3º, quia aliter qualitas non redundat in personam; 3º quando consensus fertur directè et principaliter in qualitatem et minus principaliter in personam; secus si principaliter in personam et secundariò in qualitatem :

v. g. si quis dixerit : *volo ducere Titiam, quam puto nobilem :* tunc error non redundat in substantiam, et ideo non invalidat matrimonium ; secus si dixerit : *volo ducere nobilem, qualem puto Titiam* : tunc error redundat in substantiam. (S. Liguor., lib. 6, n[is] 1014-1016.)

1209. « Validè contrahit puella nobilis cum viro vago, » qui falsò se jactat nobilem et bonorum multorum possessorem, idque falsis testimoniis probat ; sed mulier illa » non tenetur cum illo cohabitare, et divortium perpetuum » quoad thorum et habitationem statim facere potest. » Ita Gury, tom. 2, n° 602, affirmans ita sentire S. Liguor. et alios omnes.

De errore circa conditionem servilem dicemus infra, ubi de impedimento conditionis servilis.

III

DE IMPEDIMENTO VIS SEU METUS.

1210. Etsi vis à metu differat in eo quòd vis sit ab inferente metum, et metus sit in patiente vim, tamen hæc duo accipiuntur pro uno et eodem impedimento matrimonii.

Vis ergo seu metus gravis, injustè ab extrinseco incussus ad extorquendum consensum, irritat matrimonium in utroque foro : constat ex cap. *Significavit, de eo qui duxit,* etc., cap. *Cùm locum*, cap. *Veniens* et cap. *Consultationi, de sponsalibus et matrim.;* et hoc, juxta S. Liguor. (lib. 6, n° 1045), etiamsi intervenerit juramentum, nisi fuisset de ponendo consensu libero, quia talis consensus certè obligat. Sed non facilè judicari debet esse nullum matrimonium, quamvis ex metu contractum, si constet ipsum fuisse postea consummatum. Vide *Analecta*, janv. 1854, col. 709.

1211. Requiritur autem 1° ut metus sit gravis, proinde ut malum quod intentatur sit grave, saltem respectu metum passi : grave verò reputari debet quod in se tale habetur ex communi hominum æstimatione, licet non sit malum majus illo quod eligitur : tale esset non solùm mors, exilium, sed carcer saltem diuturnus aut in vinculis atrocibus ; amissio statûs, honoris, famæ ; metus magnæ contumeliæ ; violatio virginis aut viduæ honestæ ; injusta

excommunicatio cui facilè nequit occurri; amissio bonorum magni momenti, non verò omissio magni lucri, nisi metum passus jus ad illud habeat, aut nisi ab illo obtinendo injustè impediatur. (S. Liguor., lib. 6, n° 1048.)

1212. Sufficit etiam si malum timeatur proximis conjunctis sive consanguineis, sive affinibus usque ad quartum gradum; id etiam extenditur ad famulos, ex cap. *Quicumque*, *de sentent. excomm.*, in 6°; et ex Clem. 1, *de excess. prælat.*; sed requiritur ut malum prudenter timeatur, et nequeat aliter evitari. (S. Liguor., lib. 6, n° 1047.)

1213. Requiritur 2° ut metus sit ab extrinseco, seu ab homine, quicumque sit ille homo, etiam extraneus; non sufficit autem ut sit ab intrinseco, v. g. à morbo, naufragio, timore inferni : ita communiter; nam sic timens matrimonium liberè eligit.

1214. Requiritur 3° ut metus injustè incutiatur ad finem matrimonium contrahendi : ita etiam communiter ex cap. *Cùm locum*, et cap. *Veniens*, *de spons.*, etc., supra citatis : ratio est quia aliter matrimonium non esset effectus metûs injusti. — Unde si pater minaret mortem stupratori suæ filiæ nisi illam duceret, matrimonium invalidum foret; secus verò si comminaret mortem solùm ad ulciscendam injuriam, et strupator ad se liberandum iniret nuptias. Item validum esset matrimonium si judex includeret stupratorem in carcerem ut puellam ducat, vel dotet, et ille matrimonium eligeret; secus si judex absolutè vellet illum cogere ad puellam ducendam, nisi stuprator nollet vel non posset alià vià damnum resarcire. Vide cap. 1 et 2, *De Adult.* (S. Liguor., lib. 6, n° 1049.)

Validum pariter erit matrimonium si dum aliquis fuit injustè damnatus ad mortem et carcerem, tertius (non verò judex) offerat ei liberationem si filiam ipsius ducat : tertius enim ille non metum infert, sed potius offert medium vitandi metum. (S. Liguor., lib. 6, n° 1050.)

Si verò quis fuisset justè ad mortem damnatus probabiliùs non irritum esset matrimonium, etiamsi ipsemet judex offerret ei liberationem eà conditione ut filiam ducat : et hoc, propter eamdem rationem, nempe quia tunc judex

non infert metum ad obtinendum consensum, sed potiùs aufert. (S. Liguor., lib. 6, nº 1050.)

Quid autem sit sentiendum de casu quo judex secundùm allegata et probata cogeret innocentem ad matrimonium, controvertitur. Vide ap. S. Liguor., lib. 6, nº 1052; et infra dicenda (5569, 5570).

Si medicus nollet mederi ægrotum nisi contraheret cum suâ filiâ, valeretne tunc matrimonium? — De hoc etiam controvertitur : melius dicendum putat S. Liguor. validum esse matrimonium casu quo medicus non tenetur ex justitiâ curare infirmum; secus si ex justitiâ tenetur : quia tunc curationis denegatio est mali gravis incussio injusta ad obtinendum matrimonium : et plures cum Salmantic. idem dicendum aiunt casu quo necessitas urgeret et alius deesset, quamvis medicus tantùm ex charitate teneretur ad curandum. (S. Liguor., lib. 6, nº 1053.)

4215. Quærit. 1º Quonam jure metus matrimonium irritet?

Resp. Duplicem de hoc esse sententiam : *Prima* dicit metum irritare conjugium ex solo jure ecclesiastico : quia etsi metus minuat voluntarium, non tamen eum omninò tollit et in quantum est sufficiens ad contrahendum ex jure naturali. *Secunda*, quam *fortè probabiliorem* dicit S. Liguorius, tenet matrimonium per metum irritari jure naturali : nam, ait S. Thomas, « metus... perpetuitatem » contractûs tollit, quia potest repeti restitutio in inte- » grum »; porrò quod perpetuitatem matrimonii tollit, et ipsum matrimonium, quod indissolubile à Deo fuit institutum, tollere debet. Vide S. Liguor., lib. 6, nº 1054, ubi alia argumenta afferuntur. Positâ verò hâc controversiâ, dubium est an Ecclesia possit in hoc impedimento dispensare; imò incertum est an hujusmodi dispensatio expediret etiam in primâ sententiâ. (Carrière, *Compend.*, nº 146, *in fine.*)

4216. Ratio modò dicta applicari nequit casui quo matrimonium ex levi metu iniretur : nemo præsumendus est noluisse renuntiare levi juri ad restitutionem, ut contractus tam magni momenti, quale est matrimonium, non esset

continuò expositum periculo nullitatis et dissolutionis. (S. Liguor., lib. 6, nº 1056.)

1217. Quærit. 2º An metus reverentialis sufficiat ad invalidandum matrimonium ?

Resp. Per metum reverentialem intelligitur ille quo quis veretur resistere ei cui subjicitur, v. g., patri, matri, avo, socero, marito, Regi, domino, Prælato, tutori et curatori; item patruo, aut patrueli, vel fratri majori, si cum eis habitetur et ab ipsis accipiantur alimenta.—Ad solutionem verò quæstionis deveniendo, dicimus cum S. Liguor. (*ibid.*, nº 1056), duplicem esse sententiam : *Prima* affirmat, casu quo metus reverentialis est vera et principalis causa matrimonii. *Secunda* communiter recepta negat, nisi alia adjiciantur, videlicet, verbera, minæ, odium, diuturna indignatio, preces importunæ, etc., quia, si hæc non accidant, metus reverentialis non est metus alicujus mali, sed potius reverentia quæ veriùs non ab extrinseco sed ab intrinseco procedit. Vide etiam *Analecta* (janv. 1854, col. 700).

1218. Quærit. 3º An à matrimonio contracto possit resilire qui metum incussit ?

Resp. Duas pariter esse sententias : *Prima* affirmat : quia contractus est nullus, et injuria illata potest aliter resarciri quàm per matrimonium. *Secunda* negat : quia nemo debet ex suo crimine commodum reportare; et probatur ex cap. *Propositum*, *de eo qui duxit*, etc., ubi casu quo vivente priore uxore, vir duceret aliam uxorem nesciam anterioris vinculi, Pontifex decernit, mortuâ priore conjuge, hujusmodi virum teneri confirmare secundum matrimonium, si postulet posterior uxor decepta.—Nec obstat quòd in hoc canone agatur de dolo et non de metu : nam ex cap. *Contingat*, *de jurejurando*, dolus et metus æquiparantur (S. Liguor., *ib.*, nº 1057); maximè si metus non possit probari, quia tunc metum passus cogi potest ad cohabitandum, et si ageretur de feminâ non posset deseri sinè aliquâ infamiâ.

IV
DE IMPEDIMENTO IMPOTENTIÆ ET ÆTATIS.

1219. — I. *Impotentia* adest quando conjuges nequeunt

habere copulam per se aptam ad generationem ; unde impotentes non sunt steriles aut senes, aut feminæ quæ semen non retinent, modò possint habere copulam ex se ad generationem idoneam.

Impotentia autem in viro adesse censetur quando est eunuchus, vel saltem seminare nequit intra vas naturale feminæ. In feminâ verò quando, vel seminare nequit (dato quòd seminatio feminæ sit necessaria ad generationem), vel propter arctitudinem non potest pati virum, aut ejus semen recipere. (Juxta medic. semen fem. nil confert ad gener.)

4220. Impotentia, si sit perpetua et matrimonium antecedat, est impedimentum dirimens : secus si sit temporanea, aut si matrimonio superveniat, cùm matrimonium sit indissolubile : tunc tamen sponsis soli contactus et oscula licent quæ fieri possunt citra pollutionis periculum (S. Lig., lib. 6, nº 1095, *Dixi* 2º). — Perpetua censetur impotentia si nequeat auferri nisi per miraculum, aut per peccatum, aut cum periculo mortis.—Oriri potest ex quadruplici capite, nempe vel ex maleficio, vel ex frigiditate vel ex improportione, vel forte ex mixtione *sexûs*. (S. Liguor., lib. 6, nº 1095.)

4221. — 1º *Ex maleficio :* quod adesse meritò concluditur quando conjuges excitantur ad copulam cum aliis et, licet aliàs se diligant, inter se frigescunt, vel à coitu abhorrent.

Impotentia hujusmodi habenda est ut perpetua, et dirimit matrimonium quando intra triennium tolli nequit remedio humano, vel oratione, vel exorcismis; ita communiter. — Si maleficium tolleretur per medium illicitum, v. g., per aliud maleficium, impotentia nihilominus perpetua esset tunc habenda, et matrimonium judicandum esset invalidum : secus si tolleretur, signum amovendo, quia licitè auferri potest. (S. Liguor., lib. 6, nº 1096.)

4222. — 2º *Ex frigiditate :* si conjuges copulam aptam ad generationem nequeant ullo modo perficere, quia semen effundere non possunt, et hoc per experimentum triennii perduraverit, impotentes sunt ex frigiditate, et matrimonium inter se validè non possunt contrahere. Idemque

communissimè dicunt DD. si ob nimiam caliditatem, vir semper seminet extra vas, antequam possit coire; sed hæc caliditas, juxta S. Thomam et alios, vix potest esse impedimentum perpetuum. Idem dicitur de abominatione viri erga mulierem quando ob ejus deformitatem, nullo modo potest excitari ad copulam : in his omnibus casibus datur conjugibus triennium in quo licitè possunt copulam experiri, ex cap. *Laudabilem, de frigiditate*, etc. (S. Liguor., *ibidem*.)

4223. Invalidè etiam contrahunt *evirati* seu *eunuchi* quando carent utroque testiculo (secus si uno duntaxat,) quia non emittunt semen aptum generationi : dum èecontra illud emittunt senes, etsi per accidens semen eorum non sit prolificum (ap. S. Liguor., lib. 6, n° 1095, 1).

Non reputandæ sunt impotentes feminæ quæ non edunt fœtum nisi mortuum, vel nonnisi cum periculo vitæ propriæ; nec qui pauld post sunt morituræ, quia sunt potentes ad coitum. (S. Liguor., *ibid.*)

4224.—3° *Ex-improportione* : « si nempe femina habeat » vas adeo arctum (saltem respectu viri), ut ille nequeat » penetrare : tunc si femina non possit apta fieri ad copulam nisi cum periculo mortis, omnes conveniunt Matrimonium esse nullum ex cap. *Fraternitatis, de frigiditate...;* unde etiamsi cum tali periculo mortis ipsa fuerit » incisa et facta idonea, matrimonium non valet, quia » quod ab initio est invalidum, nequit tractu temporis » convalescere: ita communiter. » S. Lig. (lib. 6, n° 1096).

4225. Controvertitur an judicandum sit nullum matrimonium quando mulier posset apta fieri ad copulam, sinè quidem periculo mortis, sed cum periculo gravis morbi : speculativè verior apparet sententia negans ob auctoritatem cap. *Fraternitatis* modò citati, ubi dicitur nullum esse matrimonium quando copula nequit haberi *nisi per incisionem aut alio sibi modo violentia inferatur, non solummodo levis, sed fortè tam gravis ut ex eâ mortis periculum timeatur* : diximus *speculativè*, quia practicè, quoties per incisionem gravis morbus timetur, subest etiam mortis periculum. (S. Liguor., lib. 6, n° 1097.)

4226. Casu autem quo, matrimonio per judicium Ecclesiæ ob arctitudinem mulieris respectu viri soluto, postea mulier cognosceretur à secundo viro, et per frequentem usum conjugii apta primo redderetur, deberetne mulier ad hunc primum redire? — Dicitur in cap. *Fraternitatis*, quòd si mulier non poterat reddi apta primo nisi cum periculo mortis, tunc non debet redire, secus si poterat sinè tali periculo : an verò debeat judicari quòd potuisset reddi apta sinè tali periculo, ex eo quòd facta fuit apta per usum conjugii, dari nequit regula omnino generalis, sed hoc pendere debet ex circumstantiis, de quibus vide S. Liguor. (lib. 6, nº 1098).

4227. Disputatur an mulier inepta ad copulam ob arctitudinem, teneatur incisionem pati cum periculo gravis morbi : sententia probabilior et communissima dicit feminam teneri incisionem pati cum gravi molestiâ et dolore, non verò cum periculo mortis neque etiam gravis morbi. Valde tamen probabile est quòd si incisio non possit fieri nisi per manum chirurgi, ad eam subeundam mulier non teneatur, ob verecundiam. (S. Liguor., lib. 6, nº 1099.)

Probabiliùs autem tenetur mulier pati reserationem claustri virginalis, etiam per aliquod instrumentum, si opus sit : quia hoc fieri potest vel à viro vel à muliere, sinè magnâ molestiâ. (S. Liguor., lib. 6, nº 1100.)

4228. — 4° *Ob mixtionem sexûs* regulariter conjuges non videntur impotentes : hermaphroditi enim apti sunt ad usum matrimonii. Et quidem si unus sexus prævaleat, secundùm illum validè contrahetur matrimonium : si uterque sit æqualis, optio illis datur utrolibet utantur, ita tamen ut quem semel elegerint semper retineant. Ita Busembaum, ap. S. Liguor. (lib. 6, nº 1095, *versùs finem*).

4229. Quærit. Quid sit agendum in casu impotentiæ?

Resp. Vel impotentia est certa et perpetua, et statim facienda est separatio, cùm ex ipso jure naturali matrimonium sit certè nullum : licet enim copula non sit de essentiâ conjugii, de ejusdem tamen essentiâ est potentia ad illam. Separatio autem fieri potest ex propriâ auctoritate

si absit scandalum; et etiam ad hoc tenentur sponsi si in periculo incontinentiæ essent : pars verò non laborans impedimento, potest ad alias nuptias transire. Si verò, prout ordinariè accidit, periculum adsit scandali, sponsi debent recurrere ad judicem ecclesiasticum à quo separandi sunt quoad thorum, aut etiam quoad habitationem, non expectatâ triennali experientiâ, uti constat ex cap. *Laudabilem*, *de frigiditate.*

1230. Si velint cohabitare tanquam frater et soror, casu quo non adest periculum incontinentiæ nec scandalum, eis, ex eodem textu, permitti potest, sed hoc tantùm quando senes sunt. (S. Liguor., lib. 6, n° 1101.)

1231. Si verò impotentia sit dubia : vel ante matrimonium de eâ dubitatur, et tunc illicitum est nuptias inire, antequam, re diligenter investigatâ, depositum fuerit dubium, quia aliter gravis irrogatur injuria alteri potenti : attamen, si ex medicorum judicio et experientiis probabiliter sit potens, licitè contrahere valet, quia probabilissimum est posse sacramentum ministrari sub conditione, quando adest justa causa, prout hìc adesse videtur, ne scilicet in tali dubio cogatur sponsus perpetuò manere cælebs : monendus tamen esset alter conjux de tali dubio. Cæterùm, præcisis circumstantiis specialibus, quisque ad matrimonium habilis præsumi debet.

1232. Vel contracto tantùm matrimonio supervenit dubium, aut non obstante dubio matrimonium fuit initum, et tunc licitè debitum peti et reddi poterit, et pro hoc casu, datur triennalis experientia in capite *Laudabilem*, *de frigiditate;* durante autem hoc triennio, licitè possunt conjuges copulam intentare, licet sæpè aut semper semen extra vas effundant : ita communiter, apud S. Liguor. (lib. 6, n° 1103).

1233. Hæc pro foro interno; quoad verò forum externum : 1° contingere potest quòd unus, ob dubium impotentiæ, ab alio auctoritate propriâ recesserit : sed judex debet statim eum cogere ad redeundum, nisi evidentes producat impotentiæ probationes; si autem non recesserit nisi post triennium experientiæ, judex debet eum audire.

—2° Si unus alleget impotentiam, alter neget, datur à judice triennium ad experiendum: ubi *nota* quòd illa experientia debet esse continua moraliter; unde non officeret, si unus sponsorum abesset per unum aut alterum mensem in anno. — *Nota* pariter quòd non à die sententiæ judicis incipere debet triennium, quidquid nonnulli dicant, sed veriùs à tempore copulæ intentatæ: deducitur ex cap. *Laudabilem*, *de frigiditate*, ubi dicitur *à tempore celebrati conjugii*, quod intelligitur cum effectu, id est à tempore copulæ intentatæ. Ut autem solvatur matrimonium, sponsi debent jurare in judicio nunquam habuisse copulam, esto pluries intentaverint, et illorum testimonium debet confirmari à depositione juratâ septem propinquorum, aut vicinorum bonæ famæ si propinqui deessent, qui declarent id credidisse, vel ab eis audivisse : si haberi nequeant illi septem propinqui vel vicini, relinquitur arbitrio judicis decernere quid sit tunc agendum. — Si verò mulier quæ tempore matrimonii erat virgo alleget impotentiam viri, adhibenda est inspectio medicorum respectu viri, et matronarum peritarum respectu feminæ: ita probabiliùs Salmantic. et alii contra Pontium. Casu autem quo mulier fuerit corrupta, si vir contendat eam à se fuisse cognitam, credendum est tunc potiùs viro affirmanti consummasse quàm mulieri neganti : ita cap. *Continebatur*, *de despons. impub.*—3° Si demum utraque pars fateatur impedimentum, tunc juramento post triennalem experientiam exacto ab utroque conjuge, et adhibitâ septimâ manu propinquorum ex utrâque parte, id est quatuordecim, solvitur matrimonium, et pars carens impedimento ad alias nuptias licitè convolat, prout etiam utraque pars, si impotentia sit solùm respectiva ad se invicem. Vide S. Liguor. (lib. 6, n° 1103); Bouix, *De Judiciis*, tom. 2, p. 450-452; *Analecta jur. pontif.*, 27° livr., col. 927-930; et infra dicenda (6093-6095).

4234. Etsi per judicium ecclesiasticum uni sponsorum permissum fuerit ad alias nuptias transvolare, si postea constet partem, quæ impotens judicata fuerat, non reverà talem esse, ad eam redire debet conjux cui permissum est

secundum inire conjugium : illud probatur ex cap. *Fraternitatis, de frigid.*, et ex cap. *Requisisti*, causa 33, q. 1, quamvis refragentur nonnulli à Lequeux citati nº 853.

4235. « In dubio autem an matrimonium fuerit con-
» summatum vel non, judicandum est consummatum,
» nisi oppositum probetur, ut communiter docent San-
» chez, etc... In dubio an impotentia præcesserit, vel
» secuta fuerit matrimonium, discrepant DD...: sententia...
» probabilior dicit impotentiam censendam esse anteceden-
» tem... (vide rationes in auctore). Conveniunt autem Cont.
» Tourn., etc..., quòd si impotentia non fuerit naturalis,
» sed accidentalis, nempe ex maleficio, vel ex abscissione,
» aut alio morbo, tunc in dubio præsumitur præcessisse
» matrimonium, si allegetur brevi post ejus celebratio-
» nem; secus verò si post longum tempus. » S. Liguor. (lib. 6, nº 1104).

4236. In variis dubiis quæ in hâc materiâ oriri possunt, pro regulâ generali haberi debet recurrere ad Episcopum. Vide insuper dicenda infra (6093, etc.).

4237. — II. Ætas requisita ad valorem Matrimonii est annus 14 completus pro viris, et 12 completus pro feminis : ita cap. 6, 10 et 14, *de despons. imp.*; ante hanc ætatem certum est conjugium esse nullum, etsi pauci deessent dies, nisi *malitia suppleret ætatem*, ut habetur in cap. *Pubere, de desp. impub.*, ubi dicitur : « Certum est eum puberem
» esse qui ex habitu corporis pubertatem ostendit, et ge-
» nerare jam potest. » Hoc dignoscitur si, v. g., puer jam habuerit copulam, vel si jam sit aptus ad effusionem seminis, vel si puella jam habuit menstruum. Hæc tamen signa non admittuntur, nisi sponsi sint proximi ad pubertatem; et judicis prudentiæ relinquitur determinare quomodo sit intelligenda hæc proximitas, in quo spectare debebit qualitatem personæ, temperiem regionis, etc.

4238. Nullitas autem matrimonii, ob defectum ætatis, ordinariè quidem solius juris ecclesiastici est : esset tamen etiam juris naturalis, si contrahentes nondum haberent sufficientem discretionem ad intelligendam vim conjugalis consensûs.

1239. Si verò conjuges, etsi puberes, non valerent matrimonium consummare, non ideo nullum judicandum eorum conjugium, quidquid nonnulli dicant, quia illorum impotentia meritò præsumi debet ut solùm temporalis. Unde communiùs docetur quod triennium concessum ad experiendam potentiam incipere debet tantùm, pro viro ab anno 18, et pro feminâ ab anno 14, quia hâc duntaxat ætate solet perfecta esse pubertas. — S. Liguor. (lib. 6, n° 1066) et Theol. Tolos.

1240. Quanquam matrimonia rata impuberum invalida habeantur ex defectu consensûs, valere tamen possunt tanquam sponsalia ex speciali dispositione juris in cap. *Tuæ, de spons. impub.*, et cap. unic. *eodem*, in 6°. Vide Card. Soglia (*Inst. jur. priv.*, § 188).

1241. Juxta Bened. XIV, in *Epist. ad Episcopos Poloniæ*, possunt Episcopi declarare an malitia suppleat ætatem, ac proinde an sit locus dandi licentiam nuptias contrahendi, ante legitimam ætatem. Sed ad solum S. Pontificem pertinet dispensare cum eis qui nondum habent ætatem et non adhuc sunt potentes. Vide *Compend.*, D. Carrière, n° 147.

V

DE IMPEDIMENTO LIGAMINIS.

1242. Per ligamen intelligitur vinculum prioris matrimonii : jure divino nititur hoc impedimentum, unitate nempe et indissolubilitate matrimonii quæ juris divini sunt, et ex quibus conjuges nequeunt validè secundum matrimonium contrahere, durante priore : « Si quis dixerit, inquit » Trident. (sess. 24, can. 2), licere christianis plures simul » habere uxores, et hoc nullâ lege divinâ esse prohibi- » tum, anathema sit. » — Nec per supervenientem prioris conjugis obitum, secundum matrimonium convalescit, quia ex regulâ 18 juris in 6° : « Non firmatur tractu tem- » poris quod de jure ab initio non subsistit. »

1243. Secundæ nuptiæ prohibentur quoadusque certò constet de morte prioris conjugis. Sic enim Lucius III, in cap. 2, *de secundis nuptiis*, respondit christianis in captivi-

tate positis : « Nullus amodo ad secundas nuptias migrare » præsumat, donec ei *constet* quòd ab hâc vitâ migra- » verit conjux ejus. » Et hoc quidem, etsi multi anni effluxerint ex die quo disparuit conjux, prout declaravit olim Clemens III, cap. 19, *de Spons. et Matr.* : « Consul- » tationi... tuæ respondemus quòd quantocumque anno- » rum numero ita remaneant viventibus viris suis, non » possunt ad aliorum consortium canonicè convolare, nec » aúctoritate Ecclesiæ permittas contrahere, donec *certum* » *nuntium* recipiant de morte virorum. » Contigit reapsè aliquando ut, post multos annos, viri qui mortui reputabantur, ad suam conjugem redierint : sic narratur à Bailly, (*De Matrim.*) J. Maillard ad uxorem suam remigrasse post 43 annos. Cf. App. XII.

1244. Certitudo moralis à jure requisita non habetur per solum rumorem publicum, nisi aliquo argumento positivo fulciatur, nec per unicum testem nisi aliæ adsint conjecturæ de quibus solius est Episcopi judicare qui, remanente tamen dubio, non debet celebrationem matrimonii permittere (P. Gury, tom. 2, n° 634) ; graviter ergo peccat qui, sinè certitudine qualis fuit modò exposita, matrimonium contrahit : in dubio enim, sive positivo sive negativo, de morte prioris conjugis, possidet prius conjugium (S. Liguor., lib. 6, n° 901, *adv.* 1).—Validum tamen esset matrimonium si reverà prior conjux è vitâ migrasset, tempore quo istud fuit initum.

1245. Sed si post contractum secundum matrimonium, etiam bonâ fide in facie Ecclesiæ, compareat prior conjux, statim derelinquendus est secundus, et ad priorem est redeundum ; filii tamen suscepti habentur ut legitimi in utroque foro saltem ex unâ parte. Ita Innocent. III, cap. *Ex tenore* 14, *Qui filii sint legitimi* ; et Codex civilis noster art. 202, cujus interpretationem videre est apud Touiller (t. 1, n° 666).

1246. Quærit. An et quatenus conjux possit petere aut reddere debitum conjugale in dubio de morte prioris conjugis ?

Resp. Certum est quòd, durante dubio (sive matrimo-

nium antecedente sive ipsi superveniente), conjux dubitans nequeat petere debitum, nondum adhibitâ sufficienti diligentiâ ad vincendum dubium, sed potest et tenetur reddere alteri bonâ fide petenti; id constat ex cap. *Dominus, de secundis nuptiis*, ubi legitur : « Nullus... ad se» cundas nuptias migrare præsumat, donec ei *constet* » quòd ab hâc vitâ migraverit conjux ejus; si verò aliquis » hoc non servavit et de morte conjugis adhuc existimat » sibi dubitandum, ei quæ sibi nupsit *debitum non dene» get postulanti, quod à se tamen noverit nullatenus exi» gendum* » : ratio est quòd non potest secundus vir privari jure certo possessionis quod prævalere debet juri incerto primi viri de cujus morte dubitatur; et hoc est dicendum, propter eamdem rationem, etiam in casu quo adest probabilitas pro invaliditate secundi matrimonii, et nulla ratio invenitur pro ipsius valore, nisi habeatur certitudo de vitâ primi viri, quod probatur ex cap. *Inquisitioni, de sententiâ excommun.* — S. Liguor., lib. 6, nº 903.

4247. Attamen conjux dubitans non tenetur nec potest reddere in primo bimestri, ante præmissam diligentiam, etiamsi petens sit in bonâ fide, quia eo tempore sic petens jus ad id non habet: et idem est dicendum si, propter incestum vel adulterium, petens sit privatus jure debitum exigendi. S. Liguor. (lib. 6, nº 904 *in fine*).—Item si uterque conjux, contrahendo, dubitasset de morte prioris conjugis, quia, in hoc casu, neuter jus habet petendi, et possessio pro primo conjugio remanet.

4248. An autem aliquando liceat conjugi dubitanti debitum petere in modo dicto casu? Distinguendum est : vel dubium supervenit conjugio contracto in bonâ fide, et, diligentiâ sufficienti adhibitâ, adhuc perseverat : tunc, etsi plures graves DD., ut S. Thomas et S. Bonaventura, negent posse licitè peti debitum conjugale, ob auctoritatem cap. *Inquisitioni* modò citati, ubi dicitur : « Verùm » cùm conscientia pulsat animum ex credulitate probabili » et discretâ, quamvis non evidenti et manifestâ, debitum » quidem reddere potest, sed postulare non debet », ta-

men longè communior et probabilior sententia affirmat: quia conjux, qui matrimonium bonâ fide contraxit, non est privandus certâ possessione petendi, donec constet de impedimento; hocque probat S. Liguor. (*ibid.*) ex cap. *Laudabilem, de Frigiditate.* — Ad textum cap. *Inquisitioni*, respondetur illum textum esse intelligendum de tempore quo nondum fuerit adhibita diligentia ad deponendum dubium : tunc enim dubitatur etiam practicè; sed adhibitâ diligentiâ sufficienti, efformatur conscientia practicè certa, medio principii certi: *In dubio melior est conditio possidentis;* proinde non ampliùs est locus applicandi regulam cap. *Inquisitioni*, et satis probabiliter eadem decisio dari potest pro casu ubi conjux dubitans habuisset rationem probabilem pro invaliditate matrimonii, et nullam pro ipsius valore : attamen in hoc casu communiter DD. sentiunt talem dubitantem ad reddendum debitum quidem teneri, sed non posse petere. Vide S. Liguor., lib. 6, n° 905.

Sed, quidquid sit de his, si dubitans spem prudentem habet inveniendi majorem certitudinem pro invaliditate matrimonii, tunc non potest debitum petere.

1249. Si verò matrimonium contractum fuisset cum dubio de impedimento, et post diligentem inquisitionem dubium perseveret, nullatenus tunc dubitans potest petere : id constat ex cap. supra citato *Dominus, de secundis nuptiis;* et hâc ratione probatur, quòd tunc possideat prius matrimonium.—S. Liguor., lib. 6, n° 906; vide etiam Carrière qui aliter in quibusdam sentit, et cujus rationes exponuntur in *Compendio Matrim.* (n[is] 271-273).

1250. Quæ modò dicta sunt respiciunt casum dubii de morte prioris conjugis, non verò cæteros casus in quibus dubitatur an existant alia impedimenta matrimonium dirimentia : de talibus dubiis vide S. Liguor. (lib. 6, n[is] 900 908).

VI

DE IMPEDIMENTO VOTI.

1251. Nomine Voti hîc solùm intelligitur votum solemne quod emittitur in validâ professione Religionis approbatæ: alia enim vota, emissa in Religionibus non approbatis, aut

si in approbatis, non agnita tamen ab Ecclesiâ tanquam solemnia, possunt quidem esse impedimentum prohibens, ut superiùs diximus (4194, etc.), non verò dirimens; excipitur tamen votum scholasticorum apud Societatem Jesu, quod illos inhabiles reddit ad matrimonium quamdiu remanent in Societate; item probabiliter votum emissum ab uxore illius qui sacros ordines suscipit, de quo tamen disputatur, ut supra diximus (4149). Dirimens præsertim est votum solemne emissum in Religione approbatâ : «Si quis » dixerit, inquit Trident. (sess. 24, can. 9)...., regulares, » castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse non obstante.... » voto..., anathema sit. »

In quonam autem consistat solemnitas voti castitatis religiosæ, et quonam jure per ipsum matrimonium dirimatur jam diximus supra (2469, etc.). Vide etiam S. Liguor., lib. 6, n° 1015.

In quâcumque sententiâ, S. Pontifex dispensare valet super hoc impedimento. (*Ibidem.*)

Diximus supra quid sit sentiendum de solemnitate votorum monialium in Galliâ (2506).

4252. « Viri admodùm docti, inquit Card. Soglia (*Inst. » jur. priv.*, § 179), existimant solemne castitatis votum, » olim nuptias non solvisse, sed primùm sub Gregorio » Magno eam disciplinam propositam et demum in Concil. » Lateranensi II legem generalem latam, ut nulla forent » matrimonia quæ contra votum castitatis in Religione ap» probatâ celebrarentur. »

VII

DE IMPEDIMENTO ORDINIS SACRI:

4253. Certum est Ordinem Sacrum dirimere matrimonium : et constat cap. *De Diacono* 1: cap. *Ex litterarum*, *qui clerici vel vovent.*; Extrav. *Antiqua, de voto;* et præsertim ex Concilio Trident. (sess. 24, can. 9) : « Si quis dixerit cle» ricos in sacris ordinibus constitutos... posse matrimo» nium contrahere, contractumque validum esse non obs» tante lege ecclesiasticâ vel voto..., anathema sit. »

Communiter dicunt DD., et cum eis supra diximus

(2122), illud impedimentum non esse juris divini (secluso voto). Quandonam autem incœperit esse impedimentum dirimens, non planè constat : agnoscunt omnes jam exstitisse tempore Concilii Lateranensis I, anno 1123; agnoscunt pariter jam à primordiis Ecclesiæ prohibitas fuisse nuptias iis qui sacris initiabantur ordinibus : sed an ordo sacer esset jam tunc impedimentum dirimens incertum est. Vide supra (2121) et Card. Soglia (*Inst. jur. priv.*, § 186).

1254. Ex dictis patet posse S. Pontificem dispensare cum ordinatis in sacris; asserit tamen S. Liguor. (lib. 6, n^is 808 et 1059) eum non posse dispensare cum sacerdotio initiatis, sed in hoc non videtur esse sequendus : et reverà cum pluribus sacerdotibus in hoc dispensatum fuit, in Galliâ post luctuosam perturbationem quæ, ab anno 1789, tantas apud nos calamitates congessit; sic tamen non potest cum omnibus in sacris dispensari, nisi in casibus urgentibus tantùm, propter votum in quo non potest dispensari sinè justâ causâ.

1255. Hoc impedimentum non viget in Ecclesiâ Orientali : Græci enim in minoribus nuptias contrahere valent, et ad ordines superiores, præter Episcopatum, provehi, licet à suis uxoribus non separentur; non tamen permittuntur contrahere post susceptos sacros ordines. Vide Card. Soglia, *ibid.*

VIII

DE IMPEDIMENTO COGNATIONIS.

1256. *Cognati* dicuntur quasi *connati* : Triplex autem distinguitur cognatio : *naturalis*, *spiritualis* et *legalis*.

I. *Cognatio naturalis*, quæ dicitur *consanguinitas*, est propinquitas personarum ab eodem stipite descendentium.

1257. Tria sunt in consanguinitate distinguenda, scilicet : 1° *stipes*, seu persona ex quâ aliæ ducunt originem; 2° *gradus* qui inserviunt ad mensurandas lineas consanguinitatis : unaquæque autem generatio unum gradum constituit, ac proinde tanquam unitas habenda est pro computandis linearum gradibus; 3° *linea* seu series personarum ab eodem stipite descendentium.

1258. Duplicis speciei est linea : *recta* nimirum et *colla-*

teralis seu *transversalis;* prior est series personarum quarum una descendit ab aliâ; posterior verò est series personarum quæ licet stipitem communem habeant, aliæ tamen ab aliis non descendunt, ut fratres, consobrini, etc.

Linea collateralis est *æqualis* vel *inæqualis*, prout consanguinei æqualiter vel inæqualiter à communi stipite distant, v. g., patruus et nepos, filius et soror patris, etc. (P. Gury, tom. 2, n° 605.)

4259. Consanguinitas in lineâ rectâ matrimonium dirimit indefinitè in quocumque gradu, saltem de jure positivo: constat ex respons. Nicolai I ad Bulgaros, c. 37.

Consanguinitas in lineâ collaterali matrimonium dirimit etiam inter eos qui ex eodem patre tantùm, vel ex eâdem tantùm matre nati sunt, etiam modo illegitimo, usque ad quartum gradum inclusivè, et non ultra: constat ex Concil. Lateran. IV, et ex variis locis juris canonici. Vide P. Gury, tom. 2, n° 606.

4260. Sic autem sunt computandi gradus consanguinitatis: 1° in *lineâ rectâ*, tot numerantur gradus quot sunt generationes, seu quot sunt personæ, stipite dempto.

2° *In lineâ collaterali æquali*, tot sunt gradus quot sunt personæ inter stipitem et unam ex personis collateralibus de quibus gradus sunt computandi, dempto pariter stipite.

3° *In lineâ collaterali inæquali*, tot sunt gradus quot personæ inveniuntur inter stipitem et consanguineum remotiorem ab eodem stipite qui etiam non debet computari. (P. Gury, tom. 2, n° 609).

4261. Aliter gradus computantur in lineâ collaterali, juxta jus civile in Galliâ; insimul enim adjiciuntur gradus quibus singuli contrahentes à stipite communi distant, et summa ex iis efformata exprimit in quo gradu consanguinitatis inter se existunt; sic fratres et sorores sunt in secundo gradu consanguinitatis juxta jus civile nostrum; consobrini germani in quarto gradu, etc.; avunculus et filia fratris aut sororis, in tertio gradu, etc.

4262. Quærit. Quo jure consanguinitas in prædictis gradibus matrimonium dirimat?

Resp. Certum esse illud dirimere jure naturali in primo

gradu lineæ rectæ, et probabiliùs etiam in cæteris gradibus indefinitè, sed certè ex jure positivo, juxta responsionem Nicolai I supra citatam (4259) : ita communiter; vide Card. Soglia, *Inst. juris. priv.*, § 180. Attamen, juxta S. Liguor. (lib. 6, n° 1029), satis probabile est quòd in lineâ rectâ, primo gradu excepto, matrimonium dirimitur solo jure ecclesiastico.

4263. Quoad lineam collateralem, probabiliùs est matrimonium dirimi ex jure naturali, aut saltem ex jure divino positivo in primo gradu, cùm nunquam Ecclesia in eo gradu dispenset, prout asserit Bened. XIV, Constit. *Ætas anni;* in aliis gradibus, solo jure ecclesiastico matrimonium dirimitur : ita omnes, et constat praxi Ecclesiæ quæ in iis frequenter dispensat. V. Carrière, *Comp. de Matr.*, n° 161, et titul. *De consang. et affinitate*, *in Decret.* Gregorii IX.

4264. Institutum fuit hoc impedimentum : 1° ut matrimonium propter bonum commune ad extraneos extenderetur; 2° ut major reverentia impenderetur sanguine junctis; 3° ne consanguinei, ob spem matrimonii, minus castè simul cohabitarent. (Theolog. Tolosana.)


4265. Olim impedimentum istud extendebatur usque ad septimum gradum in lineâ collaterali; sed ab Innocentio III reductum fuit ad quartum gradum, uti est videre in 4° canone Concil. Lateran. IV, anno 1215.

4266. Duo sunt hìc observanda :

1° Quòd in supplicatione pro dispensatione obtinendâ, exprimendus sit gradus propinquior in lineâ collaterali inæquali : nam S. Pontifex non intendit dispensare in primo gradu, nisi is exprimatur. Constat ex Bullâ *Sanctiss.* S. Pii V. (S. Liguor., lib. 6, n° 1031.)

4267. — 2° Pariter est exprimendum an à multiplici capite cognatio proveniat : diverso enim modo consanguinei possunt descendere ab eodem stipite : imò plures haberi possunt stipites communes; et tunc inter hujusmodi propinquos multiplex adest cognatio; proinde hoc exprimi debet in supplicatione ut ab omnibus impedimentis contrahentes solvantur : hæc omnia intelligi poterunt per sequentia stemmata seu arbores consanguinitatis :

Prima consanguinitatis arbor.




Hæc arbor inservire potest quando cognoscitur stipes, qui si sit unicus, sufficit ponere unum contrahentium in cellulâ mediâ, et alterum in aliâ cellulâ adjacente juxta gra-

dum : numerus superior indicat gradum canonicum ; inferior verò gradum civilem.


Si autem ignoretur stipes communis, tunc separatim conficiendæ sunt duæ arbores ascendentium, una pro sponso et altera pro sponsâ usquedum inveniatur stipes communis. Vide Carrière, *Compendium de Matrimonio*, n° 160.

Secunda consanguinitatis arbor.



Stephanus et Julia (qui supponuntur conjungendi) descendunt ab eodem stipite ; sed Julia descendit duplici modo : 1° per Philippum, et est consanguinea cum Stephano in secundo gradu lineæ collateralis æqualis ; 2° per Cæciliam, et sub hoc respectu est consanguinea cum eodem Stephano in tertio gradu lineæ collateralis inæqualis : ipsa quidem, in tertio gradu, et Stephanus, in secundo.

Tertia consanguinitatis arbor ubi duo sunt stipites communes.



Lucius et Agatha unt in secundo gradu lineæ collatera-

lis æqualis per patrem Joannis et Andreæ, et in tertio gradu ejusdem lineæ collateralis æqualis per matrem Bertham et Annam.

4268. Non tamen ideo habentur consanguinei multiplici tituto illi qui à duobus personis conjugio junctis descendunt. Unde nihil refert quoad matrimonium, quòd contrahentes descendant ab iisdem avo et aviâ vel ab eodem avo tantùm aut aviâ tantùm; sicut non interesset an essent frater et soror ex patre et matre, vel ex patre tantùm vel ex matre tantùm. Vide Carrière, *Compendium de Matrim.*, n° 160, *Observandum.*

4269.— II. *Cognatio spiritualis* est propinquitas quæ ex Baptismo aut Confirmatione oritur inter personas in jure canonico determinatas.

Olim ad multas personas extendebatur, sed ex Concil. Trident. (sess. 24, cap. 2) dirimit matrimonium tantùm inter baptizantem et Baptizatum et hujus patrem vel matrem : item inter susceptorem et susceptum et hujus patrem et matrem. Idem est dicendum in Sacramento Confirmationis : unde non bene adhiberi omittuntur patrini in hoc sacramento. Vide quid dixerimus supra de patrinis (3320, etc., 995).

4270.— III. *Cognatio legalis* est propinquitas personarum proveniens ex adoptione legali : duplicis generis est adoptio ex jure romano : una *perfecta*, altera *imperfecta.*

« *Adoptio perfecta*, inquit S. Liguor. (lib. 6, n° 1027),
» est illa quâ Principis rescripto, persona sui juris transit
» in potestatem et familiam adoptantis sicut ac etiam filii
» ejus » (dicebatur *adrogatio* et adoptatus fiebat hæres necessarius tam ex testamento, quàm ab intestato). « *Imperfecta*
» est quando fit sinè rescripto Principis supremi, sed auc-
» toritate inferioris magistratûs, nec adoptatus cum filiis
» transit in potestatem adoptantis » (is non fiebat hæres necessarius ex testamento sed solùm ab intestato). « Dubi-
» tatur an cognatio legalis oriatur etiam ex adoptione
» imperfectâ : affirmant Palaus, etc..., apud Salmantic. ;
» sed probabiliùs dicunt S. Thomas.., Sanch.., Salmantic...
» oriri tantùm ex adoptione perfectâ...

4271. » ..... Hoc impedimentum est perpetuum inter
» adoptatum et adoptantem et uxorem illius, vel è con-
» verso; verùm inter adoptatum et filios adoptantis, est
» tantùm ad tempus : scilicet usquedum filii sunt sub po-
» testate illius : ita Salmant. cum S. Thomâ et aliis passim...
» Dubitatur ad quos extendatur hæc legalis cognatio...
» Pontius, Soto, etc... dicunt extendi usque ad quartum
» gradum in lineâ rectâ; sed Salmantic... tenent omninò
» dicendum non extendi ultra primum gradum : quia hic
» tantùm à jure positivo assignatur; extenditur tamen
» inter adoptantem et omnes qui sunt sub potestate adop-
» tati. » Vide etiam Bened. XIV (*De Synodo*, lib. 9, cap. 10, n° IV).

4272. Ex his concludit Card. Soglia (*Inst. jur. priv.*, § 182) posse matrimonium consistere inter adoptantem et filiam filiæ adoptivæ, quia mulier neminem habet in suâ potestate. Item posse consistere inter adoptantem et quamcumque filiam illegitimam adoptati, quia illegitimus quandiu talis manet, patriæ potestati non subditur.

4273. « Jam verò, inquit Bened. XIV (*De Syn.*, *ib.*,
» n° 5), et cognationem legalem et quæ ex eâ ad nuptias
» profluunt obstacula, eo prorsus modo, quo à jure civili
» statuta fuerant, universim recepit approbavitque Nico-
» laus I, in *respons. ad consulta Bulgarorum...;* quamo-
» brem, si quæstio incidat... Tribunali ecclesiastico, an
» hoc vel illo casu adsit impedimentum cognationis legalis,
» necessariò recurrendum erit ad leges civiles, atque ad
» earumdem normam controversia decidenda. »

4274. Adoptio autem agnoscitur in nostro Codice civili, sed non omninò videtur esse perfecta; siquidem, ex articulo 348 : « L'adopté restera dans sa famille et y conservera » tous ses droits »; dum ex jure romano, adoptatus transiebat in potentiam et familiam adoptantis, sicut et etiam filii ejus; item ex jure romano adoptio perfecta fieri debebat ex rescripto Principis, ac imperfecta habebatur quæ auctoritate magistratûs inferioris peragebatur; porrò apud nos solâ auctoritate tribunalium civilium adoptio decernitur, ut videre est in artic. 353-360.

Hoc tamen non obstante, sic dicitur in art. 348 : « Le » mariage est prohibé : entre l'adoptant, l'adopté et ses » descendants; entre les enfants adoptifs du même indi» vidu; entre l'adopté et les enfants qui pourraient survenir » à l'adoptant.

» Entre l'adopté et le conjoint de l'adoptant, et récipro» quement entre l'adoptant et le conjoint de l'adopté. »

1275. Apud nos canonicè vigere impedimentum cognationis legalis existimat D. Carrière (*Compend.*, n° 165), et in hoc sensu respondisse asserit S. Pœnitentiariam, 17 maii 1826; sic pariter sentiunt Card. Gousset, *Théologie morale*, n° 812; DD. Bouvier, *De Matrimonio;* Compans (n° 136 4°, 137); — sed Theologia Tolosana; D. André, v° *Adoptionis;* P. Gury (tom. 2, n° 615, *in notâ*) dicunt duas esse sententias : et reverà apud nos adoptio non videtur esse perfecta. Refertur etiam à Jos. Ferrari, apud *Analecta*, nov. 1855, col. 1811, Decretum S. Sedis 14 jan. 1802, in quo dicitur quòd adoptio, qualis usitatur apud Tonquinos, non dirimat matrimonium christianorum. — Quidquid autem sit, si casus occurrat in Galliâ, parochus ad matrimonium non admittat nisi priùs consulto Ordinario.

IX

DE IMPEDIMENTO AFFINITATIS.

1276. *Affinitas* est propinquitas orta ex copulâ carnali, et contrahitur cum consanguineis personæ quâcum fuit habita hujusmodi copula : unde is qui fornicatus est cum sorore sponsæ suæ, isti affinis effectus est, et cum neutrâ absque dispensatione potest nuptias contrahere; econtra potest quis ducere affinem fratris sui, etiam in primo gradu : v. g., duo fratres possunt ducere duas sorores; imò pater et filius possunt ducere matrem et filiam; item aliquis potest successivè ducere uxores duorum fratrum : quia in his casibus nullus è contrahentibus habuit commercium carnale cum consanguineis alterius : sic S. Congr. Conc., 8 martii 1721, censuit posse contrahi matrimonium inter vitricum et eam quæ fuit uxor privigni. Vide S. Liguor.,

lib. 6, n° 1068. Unde regula hodie communiter admissa : *Affinitas non parit affinitatem.*

1277. Personæ autem quæ carnaliter conjunguntur, non habentur ut propriè *affines*, sed sunt fundamentum seu principium affinitatis.

1278. Triplex fuit olim affinitatis genus : primum unâ duntaxat mediâ personâ ; alterum duabus ; tertium, tribus personis mediis contrahebatur : si, v. g., Titius, frater Caii, matrimonium iniisset et consummasset cum Berthâ, hæc Caio affinis erat sicut nunc etiam est, et hoc erat primum genus affinitatis ; si, mortuo Titio, Bertha matrimonio jungebatur cum Sempronio, Sempronius secundum affinitatis genus contrahebat cum Caio et omnibus consanguineis Titii ; si demum, mortuâ Berthâ, Sempronius aliud matrimonium celebrasset cum Claudiâ, etiam cum istâ Caius et omnes consanguinei Titii tertio affinitatis genere conjungebantur. Vide Bened. XIV (*De Syn.*, lib. 9, c. 13, n° 11).

1279. Sed duæ posteriores consanguinitatis species abrogatæ fuerunt à Concilio Lateranensi IV (cap. *Non debet*, *de consang. et affin.*), etiam in lineâ rectâ, quidquid in contrarium dicat Collator Andegavensis (10° *confér. sur le mariage*, 4° *quest.*, p. 388, édit. 1830) et nonnulli alii : sic resolutum fuit à S. Congr. Conc., 8 mart. 1721 ; et insuper affinitas primi generis ad 4^{m} gradum restricta fuit ab eodem Concil. Lateranensi ; imò illam ad secundum gradum reduxit Concilium Trident. (sess. 24, cap. 4), casu quo oritur ex copulâ illicitâ : si tamen oriretur ex matrimonio nullo propter aliquod impedimentum, tunc affinitas sese extendit usque ad quartum gradum, saltem casu quo matrimonium fuit cum bonâ fide initum ; et hoc colligitur ex decisione S. Congr. Conc. à D. Carrière citatâ, *De Matrim.*, n° 836.

1280. Dicunt idem D. Carrière (*ib.*, n° 834) et alii nonnulli affinitatem dirimere matrimonium in quocumque gradu lineæ rectæ, et Collator Andegav. in probationem affert cap. *Ex litteris*, *de consang. et affinit.*, ubi dicitur : « Æquè enim, ut canones dicunt, abstinendum à consan- » guineis uxoris, ut propriis » ; sed ex unâ parte in capit. *Ex litteris*, hæc verba prolata fuêre occasione duntaxat


affinitatis quarti gradûs lineæ collateralis, dum èfontra, ex aliâ parte, caput *Non debet* modò citatum, sinè ullâ distinctione, pronuntiat affinitatem non esse extendendam, ultra quartum gradum consanguinitatis; insuper plerique DD. distinctionem non faciunt rectam inter et collateralem lineam. Vide S. Liguor. (lib. 6, n° 1069); Bened. XIV (*De Syn.*, lib. 9, cap. 13, n° II); Card. Soglia (*Inst. jur. priv.*, § 189); imò nec etiam distinguit Concil. Trident. (sess. 24, cap. 4), ubi dicit : « In ulterioribus verò gradibus, statuit » hujusmodi affinitatem matrimonium postea contractum » non dirimere. » Idem dicit S. Pius V, in Const. *Ad Romanum :* vide Cardin. Soglia (*loco modò citato*). — Unde tutò potest teneri affinitatem non esse extendendam ultra quartum gradum, etiam in lineâ rectâ.

4281. Dictum fuit *ex copulâ carnali:* porrò hæc copula debet esse perfecta et consummata : hoc certum est ex parte viri; an autem requiratur etiam seminatio ex parte feminæ controvertitur, ut videre est apud S. Liguor., lib. 6, n° 1075; sed in dubio, præsumendum est perfectam fuisse copulam : « quapropter si vir coierit, et dubitet an seminaverit, » vel an intra vas, copula præsumitur perfecta », inquit S. Liguorius; idem præsumi debet in muliere quando ipsa in coitu magnam experitur voluptatem, esto seminationem non adverterit (*ib.*).—Oritur affinitas ex copulâ quæ habetur cum muliere prorsus invitâ ac renitente, aut etiam dormiente aut ebriâ. Cap. *Discretionem*, *de eo qui cognovit* (Soglia, *Inst. jur. priv.*, § 189).

4282. Plura, ut patet, possunt existere affinitatis vincula inter easdem personas, sive in eodem sive in diverso gradu : siquidem aliquis potuit habere commercium carnale cum pluribus consanguineis alterius ejusdem vel diversi gradûs consanguinitatis.

4283. Hæc autem datur regula pro computandis affinitatis gradibus : *Qui personam aliquam carnaliter cognovit affinis est illius consanguineis eodem gradu quo persona cognita est illius consanguinea.*

Elucidari poterit hæc regula medio duplicis arboris sequentis :



1284. Certum est affinitatem solo jure ecclesiastico diri-

mere matrimonium in lineâ collaterali, etiam in primo gradu: unde Alexander VI concessit Emmanueli Lusitaniæ Regi duas Hispaniarum Regis filias successivè habere uxores. Item Julius II Henrico VIII Regi Anglorum concessit ut Catharinam fratris sui Arthuri viduam duceret: sic sæpe hodie hujusmodi dispensationes pro Galliâ à S. Sede conceduntur.

4285. Quoad verò lineam rectam, ut moraliter certum haberi potest affinitatem non dirimere matrimonium ex jure naturali, si primum gradum excipias; imò, nec excepto primo gradu, si agatur de affinitate ex copulâ illicitâ, cùm S. Sedes in eo aliquando dispenset: si verò agatur de affinitate ex copulâ licitâ in primo gradu, disputatur: « Probabilissimè, inquit Bened. XIV (*De Syn.*, lib. 9, cap. » 13, n° IV), auctores dicunt nullam affinitatem, non eam » quidem quæ est in primo gradu lineæ rectæ, dirimere » matrimonium jure naturæ, sed jure tantùm ecclesiastico, » et consequenter super eo impedimento, gravissimis ur» gentibus causis, posse à Pontifice dispensari. At quid» quid sit de potestate, à simili dispensatione, Romani » Pontifices, etsi pluries rogati, abstinuerunt. » —Attamen juxta Collatorem Andegavensem (*ibid.*, p. 394) qui citat Sanchez et Pontium, « Le Pape.... dispense les infidèles » convertis qui se trouvent mariés dans le premier degré » d'affinité, lorsqu'ils l'ont pu faire par les lois de leurs » pays » : quod certè supponit saltem probabile esse affinitatem in primo gradu lineæ rectæ non esse impedimentum juris naturalis. V. etiam Carrière (*De Matrim.*, n° 846).

4286. Si conjux rem habeat cum consanguineâ conjugis suæ, intra secundum gradum lineæ etiam rectæ, et vice versâ, contrahitur quidem affinitas cum ipsâ conjuge, ita ut non possit conjux reus licitè petere debitum conjugale, sed propterea non dissolvitur matrimonium, ut evidens est, cùm sit indissolubile: cap. *Si quis*, *de eo qui cognovit*; in hoc quidem capitulo agitur tantùm de primo gradu lineæ rectæ; sed quòd impedimentum matrimonio superveniens extendi debeat ad secundum gradum, habetur ex declaratione Gregor. XIII, ubi dicitur: « SS. D. N. Gregorius XIII,

» ex sententiâ Congregationis dixit per hoc Decretum (id est » Trid.) ablatum censeri impedimentum quoque superve» niens affinitatis post contractum matrimonium. Concilium » sustulit tertium et quartum gradum, ergo in omnibus » sustulit: ap. S. Liguor., lib. 6, n° 1070.

1287. Disputatur an casu quo mulier fuit cognita à consanguineo viri, metu gravi coacta, privetur jure petendi: probabilior et communior sententia negat, quia metus gravis, sicut excusat à lege ecclesiasticâ, ita à pœnâ ab ipsâ impositâ. (S. Liguor., *ib.*, n° 1071.)

1288. An autem ignorantia excuset à dicto impedimento petendi debitum?—1° Si sit ignorantia juris seu legis dictam pœnam imponentis, probabiliùs hæc excusat, saltem in foro interno; 2° si ignorantia sit facti, nempe si quis sciens dictam legem nesciat personam ad quam accedit esse consanguineam conjugis, tunc, etsi ignorantia sit crassa, commune est non incurri impedimentum: incurreretur econtra si ignorantia esset affectata; hoc communius habetur et probabilius (S. Liguor., lib. 6, n° 1073); 3° si ignorantia sit solius impedimenti, controvertitur an hæc etiam excuset ab impedimento; sententiam affirmantem sat probabilem vocat S. Liguorius (*ibid.*, n° 1074).

1289. Super dicto impedimento debitum petendi, communissimè docent DD. posse Episcopos semper et absolutè dispensare, saltem ex consuetudine; imò hanc dispensandi facultatem possunt, non solùm in particulari casu sed etiam generaliter, aliis delegare. (S. Liguor., lib., 6, n° 1076.)

1290. An et quatenus super eodem impedimento dispensare valeant confessarii regulares, vide apud S. Liguor. (*ib.*) et infra (1405); non autem id possunt simplices confessarii, quidquid dicat Card. De La Luzerne, ap. Carrière (*De Matrim.*, n° 844).

1291. *Nota* ex S. Liguor. (*ib.*, n° 1077) quòd scienter contrahentes cum impedimento consanguinitatis vel affinitatis incurrant excommunicationem ipso facto, ut habetur in Clem. un., *de consanguinitate*, ubi idem statuitur de religiosis, monialibus et clericis in sacris matrimonium contrahentibus, qui insuper sunt denuntiandi ex Edicto

Inquisitionis Generalis ; idem pariter statuitur de laicis nubentibus cum monialibus. — Vid. (4186). Prior excom. sublata est a Const. *Ap. Sedis ;* posterior servata est.

X

DE IMPEDIMENTO HONESTATIS PUBLICÆ.

4292. Honestas publica est propinquitas orta ex sponsalibus aut matrimonio rato et non consummato.

Hoc impedimento irritum fit matrimonium contractum cum consanguineis illius personæ quâcum sponsalia quis vel matrimonium ratum contraxit : et quidem ante Concil. Trident., hoc impedimentum vinculum conjugale dirimebat usque ad quartum gradum ; sed jure novo Trident. (sess. 24, cap 3) non oritur ex sponsalibus invalidis, et extenditur duntaxat ad primum gradum si ex sponsalibus validis, ad quartum verò, si ex matrimonio rato sequatur.

Oritur tamen ex matrimonio rato nullo, nisi nullitas procederet ex defectu consensûs : puta ex errore etiam conditionis, metu, defectu ætatis, quod tamen valere potest ut sponsalia, ut supra diximus (4240), etc. Vide Theol. Tolos. ; DD. Bouvier ; Card. Soglia, § 188.

4293. Dicunt nonnulli etiam oriri impedimentum ex sponsalibus quomodocumque nullis, si hæc nullitas sit occulta, aut ex matrimonio rato nullo ex defectu consensûs, si iste defectus sit occultus ; sed probabilius est non oriri, etiam in his casibus : nam Tridentinum indistinctè dixit sponsalia, quomodocumque invalida, nullum parere impedimentum, et in cap. unic., *de sponsal.*, in 6°, sancitum pariter fuit universè non oriri impedimentum ex matrimonio nullo ex defectu consensûs, et ita asseritur fuisse declaratum à S. Congr. Cardin., ap. S. Lig. (lib. 6, n° 1062).

4294. Ex his tamen immeritò concluderetur, cum quibusdam, sponsalia valida, ex mutuo consensu dissoluta, non producere impedimentum : nam cùm sponsalia valida certè statim producant impedimentum, mutuus consensus non potest illud tollere : ita resolvit S. Congr. 6 jul. 1668, cujus declaratio approbata fuit ab Alexandro VII, qui pro-

hibuitne deinceps hæc resolutio in dubium revocaretur.

4295. Non oritur autem impedimentum ex sponsalibus cum personâ incertâ, v. g., cum unâ ex filiabus Petri; nec etiam ex conditionatis ante conditionis eventum, ex cap. unico, *de sponsalibus* in 6°: vide S. Liguor., lib. 6, n° 1061;—sed oritur ex sponsalibus etiam privatis (P. Gury, tom. 2, n° 624).

4296. Plures asserunt non oriri impedimentum publicæ honestatis ex matrimonio nullo propter clandestinitatem; sed veriùs affirmandum etiam oriri in hoc casu, proinde usque ad 4 gradum, prout fuit declaratum à S. Congr. Card. his verbis : « Præsuppositâ declaratione per Const. » *Romana* S. Pii V (quam vide ap. Carrière, n° 819) su- » per hoc Decreto, censuit Congregatio oriri impedimen- » tum publicæ honestatis, omissâ formâ Decreti Conc. » Trident., sess. 24, cap. 1 », nempe sinè parocho et testibus.

Supponitur sanè in hoc casu contrahentes voluisse nuptias inire : nam si secus contigisset, matrimonium esset nullum ex defectu consensûs, proinde nullum impedimentum produceret, nisi voluissent contrahentes saltem sponsalia contrahere, ut supra diximus (3999), quo casu ad primum gradum impedimentum restringendum esset. Vide S. Liguor., lib. 6, n° 1063.— Vid. n. 3999.

4297. Observandum est autem quòd matrimonium ratum invalidum non inducit impedimentum in præjudicium priorum sponsalium : unde, si post sponsalia validè contracta cum unâ, aliquis ducat ipsius sororem, potest et tenetur, antequam rem habuerit cum secundâ, nuptias inire cum primâ, cùm matrimonium fuerit nullum (S. Liguor., *ibid.*); si verò rem habuerit cum secundâ, idem non poterit sinè dispensatione, cùm adsit tunc affinitatis impedimentum; unde, in hoc casu, cum nullâ ex duabus potest matrimonium contrahere sinè dispensatione. Hinc affinitas dicitur retroagere, idemque de aliis impedimentis tradit Sanchez. Vide Card. Soglia (*Inst. jur. priv.*, § 188, *in fine*).

4298. Impedimentum honestatis publicæ est certè juris

duntaxat ecclesiastici : proinde, etiam super primo gradu lineæ rectæ Ecclesia dispensare valet; nec videtur contrahi ab infidelibus etiam ex matrimonio rato : sed vide Carrière, n° 826.

XI

DE IMPEDIMENTO DISPARITATIS CULTUS.

4299. Per *cultûs disparitatem* intelligitur generatim religionis diversitas : duplici modo contingere potest hæc diversitas inter contrahentes : vel unus est infidelis et alter fidelis; vel unus est catholicus et alter hæreticus.

4300. Disparitas cultûs dirimit matrimonium inter baptizatum et non baptizatum, etiam catechumenum : et hoc quidem, ait Bened. XIV ad Card. Eborac. (§ 19), *non jure sacrorum canonum, sed generali Ecclesiæ more, qui pluribus abhinc sæculis viget, ac vim legis obtinet;* nec etiam cum fictè baptizato seu cujus baptismus fuit invalidus, valet matrimonium : sed valeret, etsi unus è conjugibus esset apostata. (Carrière, *Compend. de Matrim.*, n° 173.)

4301. Impedimentum hoc non est ergo juris divini aut naturalis, ut constat exemplo piarum mulierum quæ cum infidelibus matrimonio conjunctæ fuêre : v. g., S. Monicæ, matris S. Augustini cum Patricio; S. Clotildis cum Clodoveo, etc.; et quamvis Ecclesia conjugia hujusmodi minus probaverit, non tamen ita illa absolutè olim prohibuit ut, positis certis circumstantiis, haud potuerint fieri licita.

4302. Dicit autem Auctor libri *Histoire des Sacrements* (tom. 6, ch. 13, p. 396) hoc impedimentum non vigere apud gentes infideles, v. g., Sinenses, Japonenses, quia apud eas non existit consuetudo quâ impedimentum fuit introductum; sed impedimentum apud eas vigere supponit Bened. XIV, in Constit. *Singulare nobis* 1741, citatâ à D. Carrière (n° 752, *De Matr.*), et P. Gury (tom. 2, n° 631). « En 1759, inquiunt *Analecta* (nov. 1855, col. 1811), la » S. Congr. du S. Office ordonne de punir les mission- » naires qui ne craindraient pas d'assister ou consentir à » ces unions sans la dispense apostolique. » Cf. App. XIII.

4303. Quoad verò matrimonia fideles inter et hæreticos

inita, quæ *mixta* vulgò nuncupantur, ea certè non sunt invalida, ut fatentur omnes, ac declaravit Bened. XIV in Const. *Matrimonia* 4 nov. 1741 : sed sunt ab Ecclesiâ prohibita, et generatim, quamvis non absolutè, sunt quoque contraria juri naturali et divino, ob infelices exitus inde procedentes et pericula salutis quibus exponunt conjugem catholicam et prolem ex iis orituram. Ecclesia semper deterruit fideles ab hujusmodi conjugiis, uti est videre apud Bened. XIV (*De Syn.*, lib. 6, cap. 5, n° III); et constat Bullâ *Matrimonia*, 4 nov. 1741, ejusdem Pontificis, in quâ illa vocat *detestabilia, quæ S. Mater Ecclesia perpetuò damnavit; et Episcopos omnes, vicarios, parochos... seriò graviterque hortatur et monet ut catholicos ab hujusmodi nuptiis, in propriarum animarum perniciem ineundis absterreant atque efficaciter impedire satagant.* His consonant quæ leguntur in variis Brevibus aut Constit. Pii VI, Pii VII, Pii VIII, Gregor. XVI. Vide Carrière, *ib.*, n^is 754 et 764.

4304. Porrò hujusmodi nuptiæ *cohonestari nequeunt*, ait Bened. XIV, *De Syn.* (*ib.*), *obtentu solius consuetudinis*, (*veriùs corruptelæ, dicerem*, inquit), *nisi amoveantur pericula*, *quod tamen vix evenire notant auctores;* « tales... (tamen, » ait *ib.*) concurrere possunt circumstantiæ quæ, cùm ab » eo qui facultatem dispensandi habet expensæ fuerint, » aditum aperiant concessioni legitimæ dispensationis. »

Sed ut, quantùm fieri potest, pericula præcaveantur, Ecclesia non concedit fidelibus licentiam hujusmodi matrimonia ineundi, nisi positis quibusdam conditionibus nempe: 1° ut absit à parte catholicâ periculum seductionis, et ipsa admoneatur de obligatione quæ ipsi incumbit nihil negligendi quominus compartem à suâ hæresi retrahat; 2° ut infantes utriusque sexûs ex matrimonio orituri, in catholicâ religione sint educandi; 3° ut adsit causa gravis; 4° ut taliter nupturis non impendatur benedictio nuptialis : ita Bened. XIV, *in epist. ad Episc. Poloniæ*. Vide *Compend.*, Carrière, n° 176 ; et *De Syn.*, lib. 6, c. 5, n° V.—Suppositis modò relatis conditionibus, valde probabile habet S. Liguor. (lib. 6, n° 56) quòd, ex consuetudine receptâ et toleratâ, licitum sit inire conjugia cum hæreticis. Vide

Bouix, *De Episcopo*, tom. 2, p. 136, et dicta supra (3219-3221).

4305. Non prohibetur tamen parochus assistere talibus matrimoniis quando fiunt ex legitimâ dispensatione; si verò absque eâ, vide dicta supra (3221).—*Nota* tamen quòd facultatem hujusmodi matrimoniis assistendi, Pius VIII concessit parochis ad id coactis, in Russiâ et Germaniâ, ut majus malum evitetur, quamvis in casu graviter peccent contrahentes: hæc concessio confirmata fuit à Gregorio XVI: per hujusmodi concessionem, inquiebat iste Pontifex in suâ Allocutione 10 dec., 1837, « S. Sedes suam eò usque » indulgentiam protulerat, ut verissimè dici queat illos » attigisse limites quos prætergredi nefas est. » Vide Lequeux, n° 837; P. Gury, tom. 2, n° 631; et Carrière, n° 764.— In dictis regionibus parochi nihil facere possunt ex quo deduci possit hujusmodi matrimonia ab ipsis approbari: unde si à consuetis proclamationibus non possint se abstinere, in eis mentionem facere non debent religionis contrahentium, et in litteris eorum testimonialibus (si nullum detectum fuerit impedimentum dirimens), unicè enuntiari debet « nihil aliud, præter vetitum Ecclesiæ ob » impedimentum mixtæ religionis, matrimonio conciliando » obstare, nullo prorsus addito verbo ex quo consensûs » aut approbationis vel levis suspicio sit oritura. » Ita Instructio Cardin. Bernetti, *Litteris jam indè*, jussu Gregorii XVI data. (Carrière, n° 764.)

An verò et quatenus ad sacramenta sit admittenda pars catholica, quæ illicitè cum hæretico conjugium iniit, vide dicta supra (3220).

4306. Quærit. 1° An ab Episcopis concedi valeat dispensatio vi cujus Matrimonium cum hæreticis iniri possit?

Resp. Negativè: Episcopi enim super generali Ecclesiæ prohibitione non valent dispensare, nisi ipsis facultas fuerit data à lege, vel à legitimâ consuetudine; porrò hoc saltem apud nos non contigit, ut fatentur Carrière, *De Matrim.*, n° 762; *Rituale Bellic.*; DD. Bouvier; DD. Affre; *Rituale* De La Luzerne; et constat ex praxi. « Nullus..., » inquit Concilium Avenion. anni 1849, absque dispensa-

» tione Summo Pontifici reservatâ, Matrimonium acatho-
» lici viri cum catholicâ muliere, et vice versâ, celebrare
» præsumat. » Vide dicta supra (3221).

4307. Quærit. 2° Quali ritu, obtentâ dispensatione, celebrari debeat Matrimonium catholicum inter et hæreticam, aut vice versâ?

Resp. Jam diximus non esse impendendam benedictionem, quidquid nonnulli dicant : ritus autem sequens fuit observatus in celebratione nuptiarum Henrichetæ, Henrici IV filiæ, cum Carolo I Magnæ Britanniæ Rege : Matrimonium extra Ecclesiam contractum fuit ad limina Ecclesiæ Metropolitanæ Parisiensis coram Cardinali Majore Franciæ Eleemosynario, à quo tamen benedictio mulieri non fuit data : deinde Regis Britanniæ Procurator novam nuptam deduxit usque ad ingressum chori, ubi à Cardinali solemniter missa fuit celebrata, adstantibus Rege et Reginâ Franciæ, et novâ Magnæ Britanniæ Reginâ ac universâ regiâ familiâ; sed Regis Angliæ Procurator, etsi catholicus, admissus non fuit, utpote gerens personam Principis acatholici : finitâ autem missâ, accessit Procurator ad reducendam ab Ecclesiâ Reginam. Vide *De Syn.*, lib. 6, c. 5, n° V. Eadem observata fuêre in matrimonio Henrici IV, nondum conversi, cum Margaritâ Valesiâ. (Carrière, n° 762.)

In Rescriptis autem dispensationum præscribi solet, juxta Carrière (*ib.*, n° 763), ut contrahatur « coram Ordi-
» nario, sive ejus delegato, et duobus testibus confidenti-
» bus, privatè et secretò extra ecclesiam, omissis solitis
» denuntiationibus, absque ullâ ecclesiasticâ solemnitate
» et nuptiarum benedictione, juxta formam tamen à
» S. Concilio Trid. præscriptam. » Concilium verò Avenionense 1849 sic statuit pro nostrâ Provinciâ : « Si verò
» dispensatio illa concessa fuerit, matrimonium celebretur
» sinè solemnitate bannorumque promulgatione, et semper
» extra ecclesiam : poterit tamen in sacristiâ consensus
» partium accipi » (p. 63, etc.). Non autem licet, matrimonio contracto, adire postea ministrum acatholicum. Vide *infra* (6124-6127).

XII

DE IMPEDIMENTO CONDITIONIS SERVILIS.

4308. Quadruplex est servorum genus, inquit Cardin. Soglia (*Instit. jur. priv.*, § 178) : « Alii sunt domestici » seu famuli qui operas suas domino locant, pactâ mer- » cede; alii adscriptitii et qui ex his nascuntur originarii, » qui glebæ seu certis excolendis agris perpetuò addicti » sunt, sibique duntaxat necessaria reservare possunt; alii » servi pœnæ qui ex judicis sententiâ, ad pœnam...,v. g. ad » triremes damnati sunt : alii demum servi strictè sumpti » et propriè *mancipia* dicti, quorum dominus plenè » potitur, eosque ceu res vendere, locare potest, aut in iis, » quæ sibi magis libuerint, operibus occupare. »

De servis domesticis et *glebæ... addictis*, certum est, inquit idem, matrimonia cum eis inita valida esse, etsi à comparte ignorata fuerit eorum conditio.

Quoad autem *servos pœnæ*, nihil pronuntiavit Ecclesia, proinde valida sunt conjugia cum eis contracta, nisi aliunde irrita essent.

4309. Quoad tandem *servos propriè dictos seu mancipia*, jure romano et etiam canonico antiquo, matrimonium inter ipsos, inscio vel invito domino, nullum erat; hodie tamen, ex cap. *Dignum*, *de conjug. servor.*, hujusmodi conjugium est validum : sed ex Innocentio III, cap. *Ad nostram*, *eodem*, invalidæ sunt nuptiæ cum talibus servis contractæ, ignoratâ illarum conditione : sic enim legitur in dicto capitulo : « Mandamus quatenus si constiterit quòd miles » ignoranter contraxit cum ancillâ, ita quòd postquam » intellexit conditionem ipsius, nec facto nec verbo con- » senserit in eamdem.., contrahendi cum aliâ liberam ipsi » concedas auctoritate apostolicâ facultatem ».

4310. Duo ergo requiruntur ut conditio servilis sit impedimentum dirimens : 1° ut unus è contrahentibus sit liber et alter servus; 2° ut liber ignoret conditionem alterius; proindè si liber nuptias cum muliere contrahat quam scit esse servam, vel vice versâ, tunc licitum et validum

est matrimonium : deducitur ex cap. *Proposuit*, *de conjugio servorum* : debita tamen et consueta servitia debentur propriis dominis, ut habetur in dicto capit. *Dignum*.

4311. Disputatur autem an solo jure ecclesiastico, vel an etiam jure naturali error conditionis servilis matrimonium dirimat; de hoc vide Card. Soglia (*Inst. jur. priv.*, § 178) : sententia asserens illud dirimi solo jure ecclesiastico, fundato tamen jure naturali, vocatur communior et probabilior à S. Liguor. (lib. 6, n° 1017).

Servitus strictè dicta non existit in Galliâ, nec etiam in Europâ, sed adhuc viget in pluribus aliis regionibus : unde contingere potest ut locus sit supradictarum regularum applicationi.

4312. Non ita pridem apud nos vigebat mors civilis, de quâ sic aiebat art. 25 Codicis civilis : « Le mort civilement » est incapable de contracter un mariage qui produise » aucun effet civil. » Tunc autem temporis disputabant jurisperiti an solummodo quoad effectus civiles, vel an etiam quoad vinculum conjugale matrimonium per dictam mortem dirimeretur : circa quod vide Carrière (*De Matrim.*, n° 951 etc.). — Occasione verò ejusdem legis inquirebant pariter theologi an error versans circa conditionem personæ civiliter mortuæ, matrimonium dirimeret, et sat generaliter respondebant negativè, ut videre est ap. Theolog. Tolos., *de condit. servili*; Carrière (*ibid*, ut supra) ; Compans, etc. — Sublata est autem mors civilis per legem 31 maii 1854, ubi dicitur, art. 2 : « Les effets de la mort civile cessent » pour l'avenir, à l'égard des condamnés, actuellement » morts civilement, sauf les droits acquis aux tiers. »

XIII

DE IMPEDIMENTO RAPTUS.

4313. Hoc impedimentum à Concil. Trident. fuit institutum, cujus verba sunt ista (sess. 24, cap. 6) : « Decernit » S. Synodus inter raptorem et raptam, quandiu ipsa in

» potestate raptoris manserit, nullum posse consistere
» matrimonium. Quòd si rapta à raptore separata et in
» loco tuto et libero constituta, illum in virum habere
» consenserit, eam raptor in uxorem habeat; et nihilo-
» minus raptor ipse ac omnes illi consilium, auxilium et
» favorem præbentes, sint ipso jure excommunicati, ac
» perpetuò infames, omniumque dignitatum incapaces, et
» si clerici fuerint, de proprio gradu decidant. Teneatur
» præterea raptor mulierem raptam, sive eam uxorem duxe-
» rit, sive non duxerit, decenter arbitrio judicis dotare. »

4314. Ut raptus sit impedimentum dirimens, tria requiruntur : 1° ut mulier rapta abducatur de loco ad locum qui sit separatus, et ubi mulier sit sub potestate viri, etsi per aliquot tantùm passus locus sit distans, et licet ibi mulier non violetur; sed non sufficit abductio de cubiculo in cubiculum ejusdem domûs, etiamsi ibi violenter oppressa fuerit : ita S. Liguorius, lib. 6, n° 1107; — 2° ut femina rapiatur tantùm causâ matrimonii : unde non sufficit si abducatur ex aliâ causâ, etiam libidinis explendæ : ita probabiliùs ex S. Liguorio, *ibidem;* et ita resolvit Sacra Congregatio Concilii, anno 1586, juxta Theologiam Tolosanam : ratio est quia impedimentum fuit statutum ut non noceatur libertati matrimonii; — 3° ut raptus sit mulieris, ipsâ repugnante; nihil tamen refert quòd rapta sit virgo vel vidua, probis vel improbis moribus : unde impedimento non est locus si mulier rapiat virum, aut si fiat raptus feminâ consentiente, licet ejus parentes vel tutores repugnent : ita communiter ex cap. *Cùm causam*, *de raptor.;* secus tamen sentiunt plures in Galliâ, allegantes consuetudinem apud nos vigentem, sed de quâ non constat, cùm plures illam non agnoscant, et non videatur habere conditiones requisitas. — S. Liguor., *ibidem;* P. Gury, et alii ab ipso citati (tom. 2, n° 653); DD. Bouvier · Gousset, etc.[1]

4315. Durat autem hoc impedimentum quandiu rapta

[1] Utile esset, inquit Benedictus XIV (*De Synodo diœcesanâ*, lib. 9, cap. 10), quòd in Statutis Synodalibus Episcopi declarassent matrimonia contracta absque consensu parentum esse valida. Vide Bouix, *De Episcopo*, tom. 2, p. 143.

est in potestate raptoris, etiamsi liberè ipsa matrimonio consentiat; proinde raptus est impedimentum juris positivi, et à metu gravi distinctum. — S. Liguor., lib. 6, n° 1320.

1316. Ex legibus imperialibus romanis, raptus nuptias in perpetuum dirimebat, ita ut nullo unquam tempore, etiam cum spontaneo consensu sponsorum aut parentum, ampliùs poterat validè iniri matrimonium inter raptorem et raptam; sed hoc non fuit admissum à legibus canonicis: ex jure enim canonico, ante Concilium Tridentinum, raptus non erat impedimentum nisi quatenus vim supponebat: sic enim decrevit Innocentius III (cap. 7, *de raptor.*): « Rapta puella legitimè contrahit cum raptore si prior dis» sensio transeat postmodum in consensum. » — Vide Soglia, *Institutiones juris privati*, § 192.

1317. Quoad pœnas à Concilio impositas, notandum est quòd ipsæ, præter excommunicationem, non incurrantur ipso facto, sed duntaxat post sententiam. — Vide S. Lig., *ib.*

XIV

DE IMPEDIMENTO CRIMINIS.

1318. Hoc impedimentum oriri potest ex duplici crimine: homicidio videlicet, et adulterio: et incurritur in tribus casibus: 1° *utroque* conjuge *patrante* homicidium; 2° *uno* duntaxat *patrante;* et 3° tandem *nemine patrante.*

1319. — 1° Quidem *utroque patrante homicidium seu conjugicidium.* — Ut tunc sit impedimentum, non est necesse quòd interveniat adulterium inter eos qui nuptias volunt contrahere, sed requiritur ut occisio conjugis eveniat ex communi consilio viri et feminæ (cap. *Laudabilem* 1, *de conv. infid.*) et fiat animo contrahendi matrimonium cum complice homicidii: ita communissimè *Glossa* in cap. *Si quis vivente* 31, q. 1, v° *Occidisse;* quidam tamen secus sentiunt eò quòd in cap. *Laudabilem* nulla fiat mentio de hâc conditione; sed benè respondent alii, inquit S. Lig., hanc conditionem satis intelligi ex fine legis, nimirum ne conjux machinetur mortem alterius ut postea cum alio nubat.

1320. Sufficit autem ut intentio matrimonii adsit in uno è machinantibus. An verò requiratur ut talis intentio alteri

manifestetur, non concordant Doctores : probabilius dicendum putat S. Liguorius (lib. 6, n° 1034) quòd si occisionem præcesserint sufficientia intentionis indicia, puta munera, familiaritates, epistolæ amatoriæ et similia, inter eos qui contrahere volunt, tunc incurritur impedimentum; secus si intentio remanserit omnino interna.

1321. — 2° *Uno patrante homicidium.* — Ut tunc adsit impedimentum, requiritur ut, commisso adulterio, adulter, vel adultera, quævis sit, alterum conjugem occidat ad ducendam partem complicem adulterii, etsi ista sit inscia homicidii : id patet ex cap. *Si quis vivente* 5, causa 31, q. 1, cap. *Propositum* 1, *de eo qui duxit*, et cap. *Significasti* 6, *eodem.*

1322. *Nota* requiri 1° ut mors verè secuta sit ex percussiore, veneno, etc., datis à complice adulterii, vel ejus mandato; et idem est dicendum in casu præcedenti (1319); — 2° ut adulterium præcedat occisionem; — 3° ut priùs matrimonium fuerit validum, etsi non consummatum, aut licet obtentum fuerit divortium; — 4° ut adulterium sit verum : undè si conjux qui putabatur adhuc vivens jam fuisset occisus, impedimentum non esset; — 5° ut sit consummatum : si enim vir non seminet in vase mulieris, non incurritur impedimentum; controvertitur verò quoad necessitatem seminationis feminæ : vide supra, *de Affinitate* (1281), et S. Liguorium, lib. 6, n° 1036; — 6° ut ambo adulteri sint conscii matrimonii; controvertitur autem an excuset ignorantia crassa: sed non excusat certè affectata (cap. *Propositum* 1, et cap. *Veniens* 7, *de eo duxit*, etc.) : S. Liguorius, *ibidem;* — 7° ut occisio facta fuerit cum animo nubendi cum adultero, saltem ex parte occidentis, modò is externè talem intentionem manifestaverit, prout supra diximus in casu *utriusque patrantis :* unde si vir uxorem occidat, ut liberiùs adulterâ fruatur, vel ob aliam causam, etsi ista consenserit in homicidium, sed absque intentione matrimonii, impedimentum non contrahitur; imò si vir occidat uxorem ut aliam indeterminatam ducat, potest deinde ducere adulteram ; secus si occidat ad aliquam ex adulteris ducendam. — S. Liguor., *ibidem.*

4333. — 3° *Neutro patrante homicidium sed solum adulterium.* — Ut tunc adsit impedimentum dirimens, requiritur : 1° quòd adsit promissio matrimonii, sive ante sive post patratum adulterium : cap. 1 et 6, et clariùs cap. fin. *de eo qui duxit;* — 2° quòd tàm adulterium quàm promissio habita sint, vivente conjuge; — 3° quòd promissio non fuerit revocata ante adulterium; secus si fuisset revocata post adulterium, licet, eo jam patrato, fuisset facta promissio, cùm jam contractum fuisset impedimentum (ita cap. fin. *de eo qui duxit*) : censeretur revocata promissio ante adulterium, si, v. g., Petrus, vivente uxore, promittit Berthæ matrimonium; sed, uxore mortuâ, ducit Catherinam; tunc, etsi adulterium committeret cum dictâ Berthâ, impedimentum non esset; sècus dicendum, juxta plures, contra quosdam, si Petrus, vivente uxore, committeret adulterium cum Berthâ, et uxore deinde defunctâ, duceret Catharinam, et postea Berthæ promitteret matritrimonium, quia adulterium semel patratum revocari non potest : vide Carrière (*Compendium*, n° 183) et Theologiam Tolosanam, *Matrim.*, *impedimentum de Crimine;*—4° quòd promissio fuerit acceptata, nec sufficit quòd adultera merè se negativè habuerit : ita communiter S. Liguorius, lib. 6, n° 1037; disputatur autem an silentium sit sufficiens consensûs signum : probabilis habetur à S. Liguorio tàm sententia affirmans quàm negans. — S. Lig., lib. 6, n° 1038.

4334. Quærit. 1° An promissio ficta matrimonii cum adulterio inducat impedimentum?

Resp. Duplicem esse sententiam : negans probabilior habetur à S. Liguorio (*ibidem*, n° 1039), quia jus requirit fidem seu veram promissionem matrimonii.

4335. Quærit. 2° An promissio conditionata inducat impedimentum?

Resp. In hoc pariter esse duplicem sententiam : et negantem adhuc à S. Liguorio haberi ut probabiliorem. Communiter tamen Doctores excipiunt casum quo conditio adimpleta fuisset ante mortem conjugis : quamvis de hoc etiam dubitet S. Liguorius, sapientibus se remittens.

4336. Quærit. 3° An ad incurrendum impedimentum requiratur mutua promissio?

Resp. Probabiliùs sufficere promissionem acceptatam sinè repromissione, quia de illâ repromissione nulla in jure fit mentio, sed tantùm de fide datâ. — S. Liguorius, *ibidem*, n° 1041.

4337. Præfatis tribus dictis criminibus addendum est quartum : adulterium nempe cum matrimonio attentato, sive copula præcesserit hoc matrimonium, sive fuerit subsecuta. Ita ex cap. *Significavit* 2; cap. *Litterarum* 4; cap. *Cùm habent* 5; et cap. *Si quis* 8, *de eo qui duxit in matrimonium.*

4338. Impedimentum criminis est juris ecclesiastici tantùm : unde in eo Ecclesia potest dispensare. Attamen ex Bened. XIV (Constit. *Ætas anni*), si conjugicidium esset publicum, nullo exemplo constat Summum Pontificem in hujusmodi dispensasse; secus de casu solius adulterii.

4339. Contrahitur hoc impedimentum à fideli, etiam respectu infidelis : quia licet Ecclesia non possit punire infidelem, potest tamen fidelem. — S. Liguor., lib. 6, n° 1037.

4340. Si adulterium et homicidium suas quodlibet separatim conditiones habeant ut unumquodque sit impedimentum dirimens, hoc est explicandum in supplicatione pro dispensatione obtinendâ, quia duplex est tunc impedimentum. — P. Gury, tom. 2, n° 628.

XV

DE IMPEDIMENTO CLANDESTINITATIS.

4341. Hoc impedimentum à Concilio Tridentino fuit institutum his verbis (sess. 24, cap. 1) : « Tametsi dubi-
» tandum non est clandestina matrimonia, libero contra-
» hentium consensu facta, rata et vera esse matrimonia,
» quandiu Ecclesia ea irrita non fecit..., nihilominus
» Sancta Dei Ecclesia, ex justissimis causis, illa semper
» detestata est atque prohibuit..; cui malo cùm... succurri
» non possit nisi efficaciùs aliquod remedium adhibeatur;

» idcirco... qui aliter quàm præsente parocho, vel alio » sacerdote de ipsius parochi seu Ordinarii licentiâ, et » duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere at- » tentabunt; eos S. Synodus ad sic contrahendum omninò » inhabiles reddit, et hujusmodi contractus irritos et » nullos esse decernit, prout eos præsenti Decreto irritos » facit et annullat... Si quis parochus, vel alius sacerdos, » sive regularis sive sæcularis sit, etiamsi id sibi ex pri- » vilegio vel immemorabili consuetudine licere contendat, » alterius parochiæ sponsos sinè illorum parochi licentiâ » matrimonio conjungere aut benedicere ausus fuerit, » ipso jure tamdiu suspensus maneat quamdiu ab Ordi- » nario ejus parochi, qui matrimonio interesse debebat » seu à quo benedictio suscipienda erat, absolvatur...

» Curent (Ordinarii) hoc Decretum populo publicari ac » explicari in singulis suarum diœcesium parochialibus » ecclesiis... — Decernit insuper (S. Synodus) ut hujus- » modi Decretum in unâquâque parochiâ suum robur, » post triginta dies, habere incipiat, à die primæ publi- » cationis in eâdem parochiâ factæ, numerandos. »

Et de vagis (cap. 7) sic habet S. Synodus : « Parochis » autem præcipit ne illorum matrimoniis intersint, nisi » priùs diligentem inquisitionem fecerint, et re ad Ordi- » narium delatâ, ab eo licentiam id faciendi obtineant. »

4342. Ex verbis præfatis, matrimonia inita absque parochi vel alius sacerdotis de ipsius parochi seu Ordinarii licentiâ, et duorum vel trium testium præsentiâ, sunt prorsus invalida, iis in locis ubi dictum Decretum fuit promulgatum.

4343. Est autem necessarium quòd dictum Decretum in singulis parochiis fuerit promulgatum, et quidem vulgari et intelligibili idiomate; nec sufficiens esset quòd publicatum fuisset in Synodo : vide Decisionem Sacræ Congregationis Inquisitionis 1669, apud *Analecta* (janvier 1856, col. 1870). — Si deficiat probatio talis promulgationis in quodam loco, facta ibidem præsumi potest, inquit Benedictus XIV (*De Synodo*, lib. 12, cap. 5, n° VI), si constet ibi *jam usu receptum esse ut matrimonium coram parocho*

et duobus vel tribus testibus, tanquam in executionem Decreti Concilii Tridentini celebraretur : citatque Pontifex Declarationem Sacræ Congregationis Concilii 26 septembris 1602 et 30 martii 1669.

4344. Non autem videtur fuisse mens Concilii quòd per præfati Decreti publicationem, acatholici commorantes in parochiâ ubi fit hujusmodi promulgatio et societatem separatam facientes, impedimento clandestinitatis detineantur : illud enim constare videtur ex Decisione Benedicti XIV circa matrimonia hæreticorum in Belgio facta; nam Decretum Concilii publicatum fuerat in hâc Provinciâ : nihilominus Pontifex, anno 1741, in Congregatione Concilii, « declaravit statuitque matrimonia in dictis Pro» vinciis inter hæreticos usque modò contracta, quæque » in posterùm contrahentur, etiamsi forma à Tridentino » præscripta non fuerit in iis celebrandis servata, dum» modo aliud non obstiterit canonicum impedimentum, » pro validis habenda esse. » Idem dicit de conjugiis quæ in iisdem Provinciis contrahuntur catholicos inter et hæreticos; ergo publicatio Concilii Tridentini in aliquo loco facta, irrita semper non facit matrimonia hæreticorum vel cum hæreticis inita, sed ad hoc requiri videtur quòd dicta promulgatio tàm pro hæreticis quàm pro catholicis facta fuerit, saltem si societatem separatam efforment; hoc idem colligi insuper potest ex eo quòd Concilium videatur præcepisse promulgationem in unâquâque parochiâ, ut sic irrita non redderentur omnia acatholicorum matrimonia.

4345. Attamen hanc conclusionem admittere non videntur *Analecta* (janvier 1856, col. 1888) ubi dicitur : « Au » jugement de la Sacrée Congrégation, les mariages clan» destins entre hérétiques et catholiques sont nuls dans les » pays auxquels le Saint-Siége n'a pas étendu l'Indult que » Benoît XIV accorda à la Hollande » ; et, col. 1871, ubi etiam legitur : « Le Siége Apostolique a, dans la suite, » porté la condescendance jusqu'à sanctionner la validité » du mariage des hérétiques dans les régions où le Concile » avait été dûment promulgué, témoin les déclarations de

» Benoît XIV au sujet de la Belgique, que les Papes ont » étendue ensuite à d'autres pays. » Idem sentit Joseph Ferrari (apud *Analecta*, novembre 1855, col. 1813).— Sed si ex declaratione supra relatâ (4344), Benedictus XIV pronuntiavit non solùm valida fore matrimonia hæreticorum quæ in Belgio in posterùm erant contrahenda, sed etiam valida esse ea quæ usque tunc fuerant contracta, non ideo ista sunt valida quia per Indultum præfatum hoc concessit Sancta Sedes, sed ob aliam rationem, quæ non videtur alia fuisse quàm supra allata, nempe quòd, non obstante publicatione factâ Concilii Tridentini in Belgio, hæretici per hujusmodi publicationem etiam ab initio non fuerant impedimento clandestinitatis devincti, eò quòd tunc efformabant societatem separatam.

Reverà *Analecta* (*ibidem*, col. 1888) referunt decisionem Sacræ Congregationis Concilii quâ nullum declaratum fuit matrimonium cujusdam Lutherani Dani contractum in Helvetiâ cum quâdam Catholicâ Liburnâ. In Helvetiam se contulerant præfati contrahentes eò quòd non valerent facilè Liburni nuptias inire ob impedimentum disparitatis cultûs : fuit verò nullum declaratum eorum conjugium propter defectum domicilii; sed ex hâc Decisione, immeritò nobis videntur *Analecta* concludere promulgationem Concilii Tridentini, alicubi factam, semper attingere hæreticos ibidem commorantes, nisi per Indultum à Sanctâ Sede obtentum, à lege Tridentinâ eximantur : nam, in casu præfato, Lutheranus, etsi Daniæ ortus, tamen verum domicilium habebat Liburni, ubi non sunt Lutherani, vel saltem ubi nunquam efformârunt societatem separatam ; ergo hujusmodi Lutheranus, Liburni habens domicilium, erat devinctus prout cæteri habitatores hujus civitatis Decreto Concilii Tridentini; eodemque pariter devincta erat mulier quâcum matrimonium attentabat; ergo debebant ambo Liburni matrimonium contrahere ut validum esset; nec alibi id facere poterant sinè debitâ licenciâ ; ergo meritò nullum fuit declaratum hujusmodi matrimonium, licet exinde deduci nequeat publicationem Decreti Tridentini circa clandestinitatem astringere semper hæreticos locorum qui commorantur

in loco ipsius promulgationis : ipsamet *Analecta* observant cum eâdem Sacrâ Congregatione quòd « l'exemption à la-
» quelle le Luthérien prétendait en qualité de Danois, loin
» d'être personnelle, était un privilége local que son séjour
» à Livourne lui avait fait perdre. »

4346. Nostra argumentatio maximè corroboratur auctoritate Pii VII, in responsione ad Napoleonem I, occasione matrimonii illius fratris Hieronymi apud Artaud, tom. 2, p. 69 et 70, ubi sic loquitur : « Cet empêchement (de clan-
» destinité) vient du Concile de Trente; mais la disposition
» du même Concile n'a lieu que dans les pays où son décret
» a été publié, et, *même dans ce cas, il n'a lieu qu'à l'égard*
» *des personnes pour lesquelles on l'a publié...* » — Paulò post hæc addit Pontifex : « Quand même cette publication
» (du Concile, à Baltimore, dans les Etats-Unis) y eût été
» faite, *on ne l'aurait faite que dans les paroisses catholiques,*
» *s'agissant d'un pays originairement acatholique*, *de sorte*
» *qu'on ne pourrait jamais en déduire la nullité d'un mariage*
» *mixte*, c'est-à-dire entre un catholique et une hérétique,
» *à l'égard de laquelle* la publication n'est pas censée être
» faite.

» Ce principe a été établi par un décret de Notre Prédé-
» cesseur Benoît XIV, au sujet des mariages *mixtes* con-
» tractés en Hollande et dans la Belgique confédérée. *Le*
» *décret n'établissant pas un nouveau droit, mais étant seu-*
» *lement une déclaration...*, *on comprend aisément que le*
» *même principe doit être appliqué aux mariages contractés*
» *entre un catholique et une hérétique dans un pays sujet à*
» *des hérétiques, quand même parmi les catholiques on aurait*
» *publié le susdit décret.* »

4347. Reverà Sacra Congreg. Conc. (apud Zipeum, lib. 4, *de Spons.*) censuit : « .... 3° hæreticos..., ubi Decretum est
» publicatum, teneri talem formam (Concilii) observare,
» ac propterea etiam ipsorum matrimonia absque formâ
» Concilii, quamvis coram Ministro hæretico vel Magis-
» tratu loci contracta, irrita atque nulla esse. » (Vide Soglia, *Institutiones juris privati*, § 191 *in fine.*) — Sed ne Sacra Congregatio videatur contradicere S. Pontifici Pio VII,

prælaudata decisio necessariò est intelligenda de casu in quo Decretum Concilii Tridentini publicatum fuit etiam pro hæreticis, quod non contingit (necessariò saltem) quoties societatem separatam faciunt in loco promulgationis.

1348. Quandonam autem per publicationem Decreti Tridentini, hæretici censendi sint devincti, necne, impedimento clandestinitatis? — Illud pendet ex circumstantiis: si enim hæretici societatem separatam faciebant tempore promulgationis, præsumi non debet mentem fuisse Ordinariorum illos præfato Decreto attingere, quia Ordinarii meritò sunt præsumendi voluisse se conformare menti Ecclesiæ, quæ suam intentionem illos non comprehendendi satis manifestavit; si verò societatem separatam non faciebant, sed permixtim vivebant cum catholicis, nullos habentes proprios pastores, Decretum tunc, si in parochiâ quam incolunt hujusmodi hæretici publicetur, censetur etiam ad illos pertinere, cùm ab aliis non distinguantur. Sed quia de his dubitatio persæpè oriri posset, quæstio à privatis non est solvenda, sed ad Sedem Apostolicam est recurrendum, quæ pluries respondit declarationem Benedicti XIV, absque novo judicio, non esse applicandam regionibus ab Hollandiâ distinctis. — Vide Lequeux, n° 850.

1349. In Galliâ, tanquam certum ab omnibus habetur promulgatum fuisse Decretum Concilii circa clandestinitatem : illud constat ex multis Conciliis Provincialibus apud nos habitis, ab omnibus vel ferè omnibus *Ritualibus* nostris, et consensu Theologorum. —Vide Carrière, *Compendium*, n° 191, et *De Matrimonio, tract. maj.*, n^is^ 1201-1205.

1350. An verò etiam heterodoxi Decreto Concilii Tridentini apud nos detineantur? — De hoc interrogatus à Cardinali Caprara, Pius VII quæstionem noluit dirimere : unde duæ exortæ sunt opiniones sibi invicem contrariæ, quarum rationes exponuntur apud Carrière. — Vide *Compendium*, n° 193.

In praxi, curandum est, quando apud nos heterodoxi convertuntur, ut renovent consensum coram parocho et testibus, tum ut tollatur omne dubium, tum ut non careant gratiâ benedictionis matrimonialis; si autem hoc obtineri

non posset, cautè esset agendum, nihilque faciendum esset inconsulto Ordinario, quia licet matrimonium foret invalidum, satius esset aliquando relinquere contrahentes in bonâ fide, eò magis quòd non constet illorum conjugium esse invalidum.

4351. Quærit. 1° Qualis præsentia parochi requiratur?

Resp. Requiri illius præsentiam, non tanquam Ministri Sacramenti, sed tanquam testis principalis ab Ecclesiâ deputati, seu, ut loquitur Benedictus XIV, tanquam testis autorisabilis pro Ecclesiâ per quem ipsi nempe constet de inito matrimonio (*De Synodo*, lib. 13, cap. 23, n° VI).—Unde ad validitatem matrimonii minimè est necessarium ut benedictio nuptialis impendatur, nec requiritur ut parochus dicat: *Ego conjungo vos*, etc.

4352. Non sufficit præsentia *physica*, sed requiritur et sufficit præsentia *moralis*, qualis nempe necessaria est pro ferendo testimonio, etsi parochus non interponat suam auctoritatem, nec fuerit præmonitus aut expressè vocatus; imò etsi fuerit coactus aut per dolum adductus; sic enim decisum à Sacrâ Congregatione Concilii refertur à Zamboni (v° *Matrimonium*, § 19, n° 9, etc.): « 1. Quòd si invitus et » compulsus per vim adsit sacerdos, præcedente vel non » præcedente dictâ prohibitione, vel tali interdictione, » utrum tale matrimonium subsistat? Sacra Congregatio » subsistere censuit [1]. — 2. Si sacerdos adfuerit, nihil » tamen eorum quæ agebantur vidit neque audivit: utrum » tale matrimonium validè contrahatur, vel, etc...? Res- » pondetur non valere si sacerdos non intellexit, nisi » tamen affectasset non intelligere. — 3. Denique si adsit » sacerdos, dum contrahitur matrimonium, casu quo » non cogitans se esse ad id vocatum, sed aliud agens, » audit duos inter se contrahentes matrimonium, in quo » fuit præsens, non tamen certior factus, nec ad id » expressè vocatus, neque interponens suam auctoritatem » dicto vel facto (an tunc sit validum), vel potiùs sit nullum » quasi assistentia auctoritativa per Concilium requiratur,

[1] Hujusmodi matrimonia vocantur apud nos *mariages à la gomine*. —De his vide *Histoire des Sacrements*, t. 6, c. 15, p. 439.

» et non nuda vel casualis præsentia? Valere etiamsi pa-
» rochus aliam ob causam adhibitus sit ad illum actum,
» est definitum. »

1353. Hâc decisione non obstante, probabilius putat Benedictus XIV, contra aliquos (*De Synodo*, lib. 13, cap. 23, n° V), necessarium esse quòd parochus, etsi ob aliam causam sit accersitus, antea moneatur : et in probationem affert sequentem resolutionem Sacræ Congregationis : « An
» sit matrimonium, si duo contrahant per verba de præ-
» senti, proprio pastore præsente, et aliis requisitis non
» omissis, cui contractui parochus formaliter adhibitus
» non fuit; sed dum fortè convivii, vel confabulationis,
» vel aliud tractandi causâ adesset, audit hujusmodi con-
» tractum geri, et postea alter contrahentium velit ab
» hujusmodi contractu... resilire? — Sacra Congregatio
» respondit *posse*, nisi alia intervenerint quæ parochum à
» contrahentibus adhibitum fuisse arguant. » Vide Carrière (*Compendium*, n° 192), et S. Liguorium (lib. 6, n° 1092).

Item 6 martii 1700, eadem Sacra Congregatio consulta :
« 1° An parochi præsentia de quâ loquitur Concilium,
» debeat esse moralis humano modo et cum advertentiâ,
» ita ut possit esse testis matrimonii actualiter et de facto
» contracti, non verò voluntatis contrahendi : vel sufficiat
» potiùs sola præsentia physica seu materialis; 2° etc.? —
» Sacra Congregatio, reprobatâ opinione quòd sufficiat
» præsentia parochi purè physica seu materialis, provi-
» debit in casibus particularibus, etc. »

1354. Non absolutè requiritur ad validitatem matrimonii quòd parochus verba contrahentium audiat, modò ex aliis signis satis intellexerit dari matrimonialem consensum. — Sic etiam decisum refertur à Zamboni (v° *Matrimonium*, § 19, n° 33) : « Responsum est à Sacrâ Congregatione pro
» validitate matrimonii clandestinè contracti coram parocho
» qui consensum sponsæ non audivit : duo tamen testes
» adhibiti deponebant de verbis sponsæ exprimentibus
» suum consensum; nam postquam Franciscus, innuens
» parocho Mariam, pronuntiavit hæc verba : *Vedete, questa*
» *è mia moglie :* quo audito, parochus cœpit indignatus

» eos increpare et redarguere, et terga vertens non auscul-
» tavit (ut ipse asserit) eamdem Mariam, quæ suum con-
» sensum expressit. » — Patavina, 11 maii 1669.

Item 11 martii 1673 : « Defendit Sacra Congregatio vali-
» ditatem matrimonii contracti coram parocho, qui tantùm
» audivit verba feminæ, sed non viri, et annuli traditionem
» aspexit, testibus deponentibus de utriusque consensu. »

4355. De his et aliis pluribus vide *Analecta* (janvier 1856, col. 1892-1898), quibus consonant dicta à Benedicto XIV (*De Synodo*, lib. 13, cap. 23), ubi addit (n° X) : « Nihil
» necesse est aures obturare, velare faciem aliaque hujus
» generis facere quæ ad id solùm valeant ut animos contra-
» hentium aliquando scrupulis torqueant » ; sufficit tunc parocho seriò monere sic clandestinè contrahentes quòd graviter peccent, et deferre rem omnem ad Episcopum. — (*Ib.*)

4356. Notant Palaus et Salmanticenses, apud S. Liguorium (lib. 6, n° 1093), quòd, urgente necessitate, si parochus nollet assistere, nec posset Superior adiri, nolens tunc posset adduci, modò vis personæ non fieret; imò quidam apud Salmanticenses concedit quòd per vim posset adduci, si aliter vexatio tolli nequiret, quia parochus ex officio assistere tenetur.

4357. Quærit. 2° Quisnam sit proprius parochus in ordine ad matrimonium?

Resp. Parochum alium esse *domicilii*, alium *quasi-domicilii*, alium tandem *simplicis habitationis ;* coram omnibus illis parochis celebrari potest matrimonium, etiam coram parocho simplicis habitationis, si in ipsius parochiâ contrahentes saltem per unum mensem fuerint commorati. —Vide quid dixerimus de omnibus his, supra (1349, 1374-1379); et insuper *nota* quòd ad acquirendum domicilium nulla requiratur mora, sed obtineatur statim ac incipit habitatio cum animo manendi (Vide Theologiam Tolosanam); nòn tamen acquiritur per habitationem solius diei, si noctu quis in priori cubaret domo : ita Croix apud S. Liguorium (lib. 6, n° 1086, *in fine*).

4358. Nomine parochi, quoad matrimonium, intelligendum est non solùm sacerdos qui curam habet animarum

in domicilio contrahentium, sed etiam Episcopus diœcesis et ipsius Vicarius Generalis, et hoc etiamsi Episcopus suo Vicario id prohibuerit, juxta Declarationem Sacræ Congregationis : et idem dic de parocho aut sacerdote ab ipso deputato, qui possunt assistere validè, etiamsi hoc fuerit ipsis prohibitum ab Ordinario.—Nomine parochi intelliguntur etiam : Vicarius Capitularis, Sede vacante ; S. Pontifex; Cardinales in Ecclesiis sui tituli; Legati in suâ provinciâ; Nuntii. — Vide *Analecta* (janvier 1856, col. 1814) et S. Liguorium (lib. 6, nº 1081).

Potest autem Episcopus sacerdotem delegare ad assistendum matrimonio, etiam inconsulto aut invito parocho, quamvis sæpò id non expediat. — Vide Carrière, *Compendium*, nº 209.

4359. Nomine parochi, quoad matrimonium, intelligi adhuc possunt sacerdotes qui parochiam suo pastore orbatam, per tempus notabile regunt : tales enim sacerdotes matrimoniis validè interesse queunt, etiam sinè speciali ad hoc delegatione ; idem est dicendum de sacerdote qui curam parochiæ gerit, parocho ægrotante : ita decisum refertur ab *Analectis* pro quibusdam casibus privatis. —Vide *ibid.*, col. 1878-1880.

4360. Utile ducimus quasdam Sacræ Congregationis Concilii resolutiones vel decisiones hic referre :

1° Zamboni refert (vº *Matrimonium*, § 17) resolutum fuisse 31 maii 1704, quòd « consuetudo habilitare non valet » illum qui non est parochus contrahentium, ad confir- » mandum Sacramentum matrimonii, nec in posterum » toleranda. »

4361. — 2° Sacra Congregatio Concilii declaravit matrimonium valere, si sponsi parochus in parochiâ sponsæ, absque istius parochi licentiâ, matrimonio assistat, vel vice versâ; atque hoc Decretum S. Pontifex approbavit, sic in posterum respondere jubens : quod testatur Fagnanus, in cap. *Quod nobis, de Clandestinitate.*—Vide Cardin. Soglia, *Institutiones juris privati*, § 191.

4362. — 3° Quando de matrimonio agitur, proprius parochus reputandus est non *originis*, sed *domicilii :* sic deci-

sum à Sacrâ Congregatione refert Benedictus XIV, apud *Analecta* (janvier 1856, col. 1886).

4363. — 4° « Cùm vir et mulier Trajectensis, timentes » impedimentum à parocho, ad vicinam urbem Aquisgranensem se contulissent, et ibi aliquandiu morati, matrimonium contraxissent, Sacra Congregatio consulta super » validitate, censuit exprimendum tempus quo contrahentes Aquisgranæ manserant : quòd si fuerit *saltem unius mensis*, dandam esse Decisionem pro validitate, aliàs de » novo referendum in Congregatione. » Ita Fagnanus, ap. Carrière (*Compendium*, n° 200). — Eamdem Decisionem referunt Benedictus XIV (in Constitutione *Paucis abhinc*) et Soglia (*Institutiones juris privati*, § 191).

4364. Ex hâc Decisione concludi licet matrimonium esse validum, etsi ex fraude contrahentes mutent domicilium, modò per sufficiens tempus extra proprium domicilium commorentur.

4365. Concilium Tridentinum non fuit promulgatum in Britanniâ Majori : proinde hùc commeantes possunt ibidem nuptias validè contrahere absque præsentiâ parochi et testium, etsi veniant è locis ubi dictum Concilium vim obligantem obtinet. — Quænam verò debeat esse commoratio in hâc regione, ut sic validè contrahatur? Certum videtur quòd decem dies non sufficiant, ut colligitur ex Decisione relatâ ab *Analectis* (janvier 1856, col. 1889); quindecim autem dies sufficere mihi assertum fuit occasione matrimonii D. du Bouchage, viri nobilis hujus diœcesis Valentinensis, qui Londinum causâ nuptias ineundi se contulerat. Observant autem *Analecta* (*ibid.*, col. 1889) quòd in causâ quam referunt, Sacra Congregatio præscripsit ut diligens inquisitio fieret circa durationem commorationis tàm Londini quàm in toto Vicariatu Apostolico : quia, inquiunt, « le décret du Concile de Trente n'étant pas en vigueur » en Angleterre.... il ne fallait pas seulement considérer » le temps que les époux avaient habité le lieu où ils » avaient contracté, mais encore le temps qu'ils avaient » passé en Angleterre. »

4366.—5° Eadem *Analecta* (*ibidem*, col. 1898) referunt ex

Zamboni Decisionem Sacræ Congregationis Concilii, quæ contraria videtur his quæ supra (297) dicta sunt de necessitate erroris communis circa titulum coloratum; Decisio sic habet : « Julianus et Bertha, matrimonium inter se con» tracturi, interrogati fuerunt à Notario quisnam esset » eorum parochus, responderunt per errorem parochum » Sancti-Demetrii, in cujus parochiâ jam pridem habita» verant, sed tunc temporis non incolebant. Ita celebra» tum fuit matrimonium coram dicto parocho : inde dubi» tatum fuit de ejusdem validitate, et modò instant declarari » an præfatum matrimonium fuerit validum ? Et affirma» tivum datum fuit responsum (*Dub. Matrim.*, 9 septembris » 1684). » Non benè videtur in dicto casu quomodo error potuerit esse communis; sed fortè quædam circumstantiæ omissæ sunt in facti expositione.

1367. — 6° In Decreto Sacræ Congregationis 1 decembris 1640, apud Benedictum XIV (*Notif.* 33, n° 7), sic legitur : « Parochum ruralem non esse proprium, quando » rus itur causâ rusticationis vel pro rusticanis negotiis; » ideoque matrimonium validè coram hujusmodi parocho » celebrari non posse » (Vide Soglia, *Institutiones juris privati*, § 191): hoc intelligendum si per breve tempus aliquis ruri degat. Vide S. Liguorium, lib. 6, n° 1086.

1368. — 7° « Episcopus per suum Decretum jubeat » ut matrimoniis puellarum quæ famulatum Eugubii præs» tant, assistat parochus domicilii paterni, materni, fra» terni ejusdem puellæ, quatenus illud habeant in eâdem » civitate; si non habeant, assistat parochus domicilii in » quo degunt, quatenus in eâdem civitate contrahant. » Ita S. Congregatio Concilii, 24 maii 1788 (apud Cardinalem Soglia, *Institutiones juris privati*, § 191). — Si ergo extra civitatem vellent contrahere, coram parocho domicilii paterni, materni, etc., nihil videtur huic adversari, eò magis quòd puellæ quæ famulatum præstant, retineant domicilium paternum, maternum, etc.

1369. — 8° Sacra Congregatio Concilii apud Zipeum, lib. 4, *de Spons.* (Soglia, *ibidem*, *in fine*), « censuit... » 4° Ubi constat Concilium esse publicatum, vel aliquo

» tempore in parochiâ tanquam Decretum Concilii observatum, sed parochialis ecclesia utpote vacans, proprio parocho careat, et Cathedralis itidem Episcopo atque Capitulo habentibus à Concilio facultatem alium sacerdotem ad id delegandi, nullusque alius ibi sit qui vices parochi vel Episcopi suppleat, matrimonium valere absque præsentiâ parochi, servatâ tamen in eo in quo potest formâ Concilii, nempe adhibitis saltem duobus testibus; — 5° si exstent quidem parochus et Episcopus, et uterque, nullo constituto Vicario, metu hæreticorum lateat, ita ut verè ignoretur ubinam sit; vel eodem metu, à diœcesi absit, nec ad alterutrum sit tutus accessus, validum est matrimonium contractum absque formâ, adhibitis tamen, ut dictum est, duobus testibus. »

4370. His consonant quæ dixit Card. Caprara in suâ instructione pro revalidatione matrimoniorum tempore Gallicæ perturbationis contractorum (pars 1, n° 1) : « Qui civiliter, sive coram quocumque extraneo sacerdote, duobus saltem testibus præsentibus, aut duntaxat coram duobus testibus, matrimonium...inierunt, tunc temporis cùm ad proprium parochum, seu legitimum Superiorem, aut ad alium sacerdotem, specialiter et notoriè ab alterutro licentiam habentem, quique (parochus vel sacerdos) à catholicâ unitate non recesserant, aut nullatenus aut nonnisi difficillimè seu periculosissimè recursum habere potuerant, moneantur sic contrahentes de hujusmodi matrimonii validitate, et tantummodo hortentur ut nuptialem benedictionem à proprio parocho recipiant. »

4371. — 9° In Thesauro resolutionum legitur sequens decisio S. Congr. Concil. sub datâ 17 nov. 1736 : « Episcopus, sicuti non poterat sub pœnâ nullitatis proprio contrahentium parocho, ne controverso matrimonio assisteret juxta resolutionem S. C... 2 martii 1595.., ita id Vicario Generali prohibere nequivit; ideoque illius interdictum matrimonium præfatum minimè irritavit, cùm impedimenta matrimoniorum dirimentia statuere, atque sub nullitatis pœnâ interdicere S. Pontifici sit reservatum. » Ap. *Analecta* (janv. 1856, col. 1876).

Nec etiam sub pœnâ nullitatis Episcopus potest prohibere parochis amovibilibus ne matrimonio assistant. Ita decisum refert Zamboni, v° *Matrimonium* (§ 17, n° 6); vide *Analecta*, *ib.*, col. 1877.

1372. Quærit. 3° Quænam esse debeant dotes parochi, ut validum sit matrimonium coram ipso contractum?

Resp. 1° Non absolutè requiritur ut sit sacerdos, imò infra primum annum suæ promotionis, non solùm validè sed etiam licitè potest assistere (cap. *Cùm ex eo*, *de elect.*, in 6°); atque etiam, transacto anno, ex decreto S. Congr. 12 martii 1583: tenetur tamen alium sacerdotem delegare pro impendendâ benedictione nuptiali. Vide S. Liguor., lib. 6, n° 1081.

1373. — 2° Parochus excommunicatus, irregularis, suspensus, etsi vitandus, validè assistit matrimonio, quia ipsius assistentia non est actus jurisdictionis, quippe valet matrimonium coram ipso invito contractum, quamvis nemo invitus possit exercere actum jurisdictionis, sed tantùm actus testis auctorisabilis. Ita communiter, contra paucos apud S. Liguor. lib. 6, n° 1082; et sic decisum à S. Congr. testatur Fagnanus (*Compendium* Carrière, n° 206).

1374. Peccaret tamen, et quidem probabiliùs graviter, qui denuntiatus veluti excommunicatus, sic matrimonio extra casum necessitatis assisteret, aut assistentiam à parocho denuntiato excommunicato postularet; sed probabiliùs videtur quòd talis parochus excommunicatus, aut irregularis possit alteri sacerdoti dare licentiam assistendi: quia nec etiam hæc licentia ut actus jurisdictionis est habenda, cùm parochus illam det, non præcisè quia est parochus, sed quia à Concilio Tridentino est constitutus ut testis principalis matrimonii, cum potestate alium sacerdotem sibi substituendi; deinde nihil aliud est quàm mera personæ designatio. S. Liguor. (lib. 6, n° 1083); Carrière (*ibid.*). — Quid sit sentiendum de matrimoniis coram intruso celebratis, colligi potest ex iis quæ supra diximus (290, etc.).

1375. Quærit. 4° Quinam, à quo et quatenus delegari valeant ad interessendum matrimoniis vice parochi?

Resp. 1° Ad matrimoniis interessendum soli sacerdotes

possunt delegari : de iis enim duntaxat loquitur Concil. Trident. (4341) : ita pluries declaravit S. C. Concil. juxta Carrière (*Compendium*, nº 210). Nec obstat quòd validum sit matrimonium coram parocho nondum sacerdote, quia parochus à suo titulo habet quòd sit *testis auctorisabilis* : idem non competit alteri merè delegato.

4376. — 2º Delegatio accipi potest non solùm à parocho sed ab iis omnibus qui jurisdictionem ordinariam habent in contrahentes quoad matrimonium. Item potest haberi ab omnibus qui ex generali commissione validè matrimoniis assistunt, ut à vicariis; imò etiam ab iis qui deputantur ad matrimoniis quibusdam in specie interessendum, modò ex circumstantiis appareat illis datam fuisse potestatem sibi alterum substituendi pro hujusmodi assistentiâ : hanc tamen conditionem veluti necessariam habere non videtur D. Carrière in suo *Compendio* 210; sed nescimus quâ solidâ ratione nitatur.

4377. — 3º Diximus supra (320-326) qualiter fieri debeat delegatio. — Quousque verò extendatur quoad matrimonium ? — Si parochus illam restringat ad ecclesiam parochialem vel alium locum, certum est delegatum non posse validè matrimonio assistere extra limites sibi assignatos. Si autem nulla restrictio fuerit apposita, validè potest delegatus etiam extra parochiam matrimonio assistere, quia nulla est ratio cur extra parochiam id fieri non valeat, præsertim cùm assistentia matrimonio non sit propriè actus jurisdictionis. Vide Carrière, *Compendium*, nº 212.

4378. De vicariis parochialibus plura diximus supra (1519, 1526); adde hìc quòd ex variis decisionibus quæ inveniuntur, tom. 58 *Thesauri resolut.* p. 213, et tom. 64 p. 128, et referuntur ab *Analectis* (janv. 1856 col. 1880), non prudenter et salubriter Episcopus ferret legem quâ parochi prohiberentur dare suis coadjutoribus seu vicariis illimitatam facultatem matrimoniis assistendi, aut tenerentur pro singulis casibus dare hanc facultatem in scriptis. Ex iisdem decisionibus matrimonia inita cum assistentiâ pro-parochorum seu vicariorum contra prohi-

bitionem episcopalem sed cum delegatione generali parochorum, declarantur valida, quamvis illicita.

1379. In diœcesibus verò in quibus vicarii parochiales recipiunt ab Episcopo generalem facultatem sacramenta administrandi, prout fieri solet in multis (si non omnibus) Galliæ diœcesibus, parochi non possunt ipsis prohibere quominus, saltem validè, matrimoniis assistant.

Quid verò possint eleemosynarii hospitiorum, conservatoriorum, militum, carcerum, jam diximus; vide (1377-1379, 1544-1549, 463).

1380. Ut autem constet de celebratione matrimonii sedulò observandum est quòd, post verba supra relata (1331), Concilium Trident. superaddat (sess. 24, c. 1): « Habeat parochus librum in quo conjugum et testium » nomina, diemque et locum contracti matrimonii descri- » bat; quem diligenter apud se custodiat. »

1381. Quærit. 5° Quot et quales testes requirantur ad matrimonium?

Resp. Ex Concil. Trident. supra relato (1341), requiri et sufficere saltem duos testes. — Si alii ultra hunc numerum aliquando fuerint requisiti in Ritualibus, non ideo sunt reputandi velut necessarii ad matrimonii validitatem, sed duntaxat ad ipsius liceitatem.

1382. Cùm ex jure nullæ qualitates speciales in hujusmodi testibus requirantur, adhiberi possunt quicumque usum rationis habent, sive mares sive feminæ : præferri tamen debent personæ honestæ, quæ contrahentes cognoscant, consanguinei præcipuè vel affines.

1383. Concurrere autem debet præsentia parochi et testium : nec satis foret quòd adessent successivè; sufficit ad validitatem matrimonii quòd ex signis et circumstantiis testes potuerint certò intelligere matrimonium fuisse contractum, etiamsi verba quibus consensus fuit datus non audierint.

1384. Etsi ad validitatem matrimonii non sit necesse ut testes sint expressè vocati ad illi interessendum, videtur tamen necessarium ut de illius celebratione præmoneantur, prout diximus de parocho supra (1353).

PUNCTUM III.

DE IMPEDIMENTIS CIVILIBUS IN GALLIA.

1385.— 1° *Amentiæ* impedimentum agnoscitur à Codice nostro civili et includitur in artic. 146, ubi dicitur: « Il n'y » a pas de mariage lorsqu'il n'y a pas de *consentement.* » Interdicti ergo nequeunt validè matrimonium civiliter contrahere, cùm ex art. 489 interdictio non feratur nisi ob habitualem statum dementiæ aut furoris.

2° Ex eodem articulo 146, agnoscitur etiam à Codice impedimentum *erroris;* vide insuper art. 180, ubi dicitur: « ... Lorsqu'il y a eu *erreur* dans la personne, le mariage » ne peut être attaqué que par celui des deux époux qui » a été induit en *erreur.* »

3° Impedimentum *vis* seu *metûs* sufficienter continetur in artic. 1109-1115, etsi in his articulis de contractibus in genere agatur.

4° De impotentiâ nulla fit mentio in Codice : in art. 144 statuitur tantùm quòd mas ante 18 annos evolutos, et femina ante 15 etiam integros, matrimonium contrahere non possint : « Néanmoins, addit art. 185, le mariage » contracté par des époux qui n'avaient pas encore l'âge » requis, ou dont l'un des deux n'avait point encore atteint » cet âge, ne peut plus être attaqué: 1° lorsqu'il s'est écoulé » six mois depuis que cet époux ou les époux ont atteint » l'âge compétent; 2° lorsque la femme qui n'avait point » cet âge a conçu avant l'échéance de six mois. »

5° *Ligaminis* impedimentum exprimitur art. 147 : « On » ne peut contracter un second mariage avant la disso- » lution du premier.»—Dicitur autem in art. 296: « Dans » le cas de divorce prononcé pour cause déterminée, la » femme ne pourra se remarier que dix mois après le » divorce prononcé »; divortium quidem fuit abrogatum per legem 8 maii 1816, sed applicatur ille articulus aliis casibus dissolutionis matrimonii, quamvis non sub pœnâ nullitatis, ut constat jurisprudentiâ sat permanenti. Vide *Compendium* Carrière, n° 316.

6° Lex civilis non agnoscit vota solemnia, nec proinde impedimentum *Voti*.

4386.— 7° Quoad verò *Ordinis* impedimentum, de eo prorsùs silet Codex civilis : in varias autem opiniones scinduntur jurisperiti : tribunalia non semper eamdem circa hujus impedimenti existentiam tulerunt sententiam : Suprema tamen Curia, 21 februar. 1833, in negotio famosi Dumonteil, nulla judicavit matrimonia sacerdotum catholicorum, ob dispositionem art. 6 et 26 Legis Organicæ. De his interrogatum Gubernium, ab anno 1830, suis Officiariis civilibus respondit quæstionem casu occurrentem deferendam esse ad Tribunalia, ad quæ spectat leges interpretari. Vide *Compend.* Carrière, n° 317.

4387. — 8° et 9° *De Cognatione et Affinitate* sic habet Codex civilis, art. 161 : « En ligne directe, le mariage est » prohibé entre tous les ascendants et descendants legitimes » ou naturels, et les alliés dans la même ligne.

» Art. 162. En ligne collatérale, le mariage est prohibé » entre le frère et la sœur légitimes ou naturels, et les » alliés au même degré.

» Art. 163. Le mariage est encore prohibé entre l'oncle » et la nièce, la tante et le neveu. » De affinibus in hoc articulo nulla fit mentio.

Ex his, consanguinitas, juxta nostrum Codicem, non extenditur ultra secundum gradum, et affinitas ultra primum gradum lineæ collateralis.

Anno tamen 1808, Consilium Statûs declaravit sub articulo 163 comprehendi *le grand oncle et la petite-nièce ; la grand'tante et le petit-neveu*. Vide *Compend.* Carrière, n° 318.

Cognatio spiritualis à lege civili non agnoscitur, et quoad *cognationem legalem* diximus supra (1274-1275).

10° Impedimentum *honestatis publicæ*, quatenus oritur ex *sponsalibus*, non admittitur à Codice ; quatenus verò procedit ex matrimonio rato, agnoscitur quidem, sed sub nomine *affinitatis*, ad quam lex civilis non exigit consummationem matrimonii.

11° *Cultûs disparitas* non agnoscitur à lege civili.

12° Locus esse nequit apud nos impedimento *conditionis servilis*, cùm servitus apud nos non existat. — De morte civili sufficienter diximus supra (4312).

13° Impedimentum *raptûs* quale statutum est jure canonico, non admittitur à Codice; admittitur tamen quatenus *vim* supponit; imò admittitur raptus seductionis, quatenus lex requirit consensum parentum, ut mox dicturi sumus.

14° Nihil invenitur in nostro Codice quoad impedimentum *Criminis*.

4388.—15° *Clandestinitas*, seu defectus præsentiæ parochi non attenditur in foro civili : ipsius loco præscribitur sub pœnâ nullitatis præsentia Officiarii civilis : sic enim habet art. 191 : « Tout mariage qui n'a point été contracté » publiquement, et qui n'a point été célébré devant l'officier public compétent, peut être attaqué par les époux » eux-mêmes, par les père et mère, par les ascendants et » par tous ceux qui y ont un intérêt né et actuel, ainsi que » par le ministère public.

»... Art. 199. Tout ministre d'un culte, qui procédera aux » cérémonies religieuses d'un mariage, sans qu'il lui ait été » justifié d'un acte de mariage préalablement reçu par les » officiers de l'État civil, sera, pour la première fois, puni » d'une amende de 16 francs à 100 francs.

» Art. 200. En cas de nouvelles contraventions..., le » ministre du culte... sera puni..., pour la première récidive, d'un emprisonnement de 2 à 5 ans; et pour la » seconde, de la détention. » (*Code pénal.*)

4389. Officiarius autem competens est officiarius domicilii unius è contrahentibus, ex art. 74 Codicis civilis : « Le domicile, quant au mariage, s'établira par six mois » d'habitation continue dans la même commune. » Vide *Compendium* Carrière (n° 322).

4390. His omnibus adde tandem *defectum consensûs parentum*, de quo sic decernit Codex civilis : « Art. 148. » Le fils qui n'a pas atteint l'âge de 25 ans accomplis, la » fille qui n'a pas atteint l'âge de 21 ans accomplis, ne » peuvent contracter mariage sans le consentement de leurs

» père et mère : en cas de dissentiment, le consentement
» du père suffit.

» Art. 149. Si l'un des deux est mort, ou s'il est dans
» l'impossibilité de manifester sa volonté, le consentement
» de l'autre suffit.

» Art. 150. Si le père et la mère sont morts, ou s'ils
» sont dans l'impossibilité de manifester leur volonté, les
» aïeuls et aïeules les remplacent : s'il y a dissentiment
» entre l'aïeul et l'aïeule de la même ligne, il suffit du
» consentement de l'aïeul; — s'il y a dissentiment entre
» les deux lignes, ce partage emportera consentement.

» Art. 159. L'enfant naturel qui n'a point été reconnu,
» et celui qui, après l'avoir été, a perdu ses père et mère,
» ou dont les père et mère ne peuvent manifester leur vo-
» lonté, ne pourra, avant l'âge de 21 ans révolus, se ma-
» rier qu'après avoir obtenu le consentement d'un tuteur
» *ad hoc* qui lui sera nommé.

» Art. 160. S'il n'y a ni père et mère, ni aïeuls ni
» aïeules, ou s'ils se trouvent tous dans l'impossibilité de
» manifester leur volonté, les fils ou filles mineurs de
» 21 ans ne peuvent contracter mariage sans le consente-
» ment du conseil de famille.

» Art. 151. Les enfants de famille, ayant atteint la
» majorité fixée par l'art. 148, seront tenus, avant de
» contracter mariage, de demander par un acte respec-
» tueux et formel, le conseil de leur père et de leur mère,
» ou celui de leurs aïeuls et aïeules, lorsque leurs père et
» mère sont décédés ou dans l'impossibilité de manifester
» leur volonté.

» Art. 152. Depuis la majorité fixée par l'art. 148, jus-
» qu'à l'âge de 30 ans accomplis, pour les fils, et jusqu'à
» l'âge de 25 ans accomplis, pour les filles, l'acte respec-
» tueux prescrit par l'article précédent, et sur lequel il
» n'y aurait pas de consentement au mariage, sera renou-
» velé deux autres fois, de mois en mois; et un mois après
» le troisième acte, il pourra être passé outre à la célébra-
» tion du mariage.

» Art. 153. Après l'âge de 30 ans, il pourra être, à dé-

» faut de consentement sur un acte respectueux, passé » outre, un mois après, à la célébration du mariage. »

Quænam formalitates in his omnibus sint observandæ, vide explicatum in subsequentibus articulis ejusdem Codicis.

4391. « Hùc referri potest quod sancitum fuit Decreto » 16 junii 1808 quoad milites : officiarii nubere nequeunt » sinè consensu Ministri Belli, milites verò sinè consensu » Consilii administrationis... Omnes agnoscunt hæc non » præscribi sub pœnâ nullitatis. » Ita Carrière, in *Compendio*, n° 321.

§ III.

De dispensatione super impedimentis.

4392. Non immorabimur in exponendis quæ pertinent ad dispensationes super impedimentis civilibus : de hàc quæstione legendi sunt art. 145 et 164 Codicis civilis. — In quo nota quòd, licet Codex prorsus sileat de impedimentis quæ in dictis articulis non exprimuntur, concludi non debet ex hoc silentio, dispensationem super iis non posse obtineri; porrò ad illam obtinendam recurrendum est ad Procuratorem Imperialem, qui supplicationem dirigit ad Ministrum Justitiæ, qui et ipse de eâ refert ad primam Potestatem exsecutivam, seu hodie ad Imperatorem : ita Decretum 20 prairialis an. XI. Vide *Compendium* Carrière, n° 327.

Fusiùs autem sunt exponenda quæ spectant dispensationes super impedimentis canonicis; itaque :

4393. Quærit. 1° Quis possit dispensare in impedimentis canonicis matrimonii?

Resp. 1° Certè S. Pontificem habere hanc potestatem in impedimentis solius juris ecclesiastici : nullum tamen invenitur monumentum exercitii hujusmodi potestatis ante S. Gregorium Magnum, qui instante S. Augustino, Anglis permisit matrimonium in gradibus remotioribus affinitatis; idemque Germanis indulsit Gregorius II, anno 726 ; Paschalis II verò concessit Philippo I Regi Galliæ

dispensationem pro matrimonio jam inito : primum autem exemplum dispensationis privatæ, pro matrimonio contrahendo, occurrit in dispensatione concessâ Imperatori Othoni ab Innoc. III, anno 1209. Vide *Compendium* Carrière, n° 221.

An SS. Pontifices possint dispensare in impedimentis juris naturalis aut divini, vide dicta supra (693).

1394. — 2° Quoad Episcopos diximus supra (959-962) ipsos non posse dispensare in generalibus Ecclesiæ legibus, qualia sunt impedimenta matrimonii : quia inferior dispensare non potest in lege Superioris, nisi hoc illi fuerit à Superiori, vel expressè vel tacitè, concessum : unde opinionem quæ tribuit Episcopis facultatem communiter dispensandi super impedimentis matrimonii, Bened. XIV asserit non semel proscriptam fuisse à S. Congr.; hanc autem potestatem S. Sedi exclusivè vindicant Pius VI, occasione Edictorum Josephi II, et Pius VII, in Brevi 27 februarii 1809 ad Episcopos Galliæ. V. Carrière (*De Matrim.*, n° 1074).

1395. Communiter tamen DD., contra nonnullos, docent posse Episcopos, jam contracto Matrimonio, dispensare in impedimento dirimente, casu quo facilis aditus non patet ad Papam, et contra imminet periculum mortis vel infamiæ aut scandali, si conjuges separentur; vel incontinentiæ, si non separentur : ratio est quia præsumitur Pontifex consentire, cùm non ignoret sic communiter edoceri. Benè tamen advertit Croix quòd si dispensatio commodè per epistolam possit à S. Pœnitentiariâ obtineri, ad eam est recurrendum, etsi plures fornicationes materiales interim habeantur, secus si formales : ubi nota quòd si conjuges sint in bonâ fide, in eâ sunt relinquendi, quando esset periculum infamiæ, scandali aut incontinentiæ, si monerentur conjuges de nullitate matrimonii. Vide S. Liguor. (lib. 6, n° 1113); Bened. XIV (*De Syn.*, lib. 9, cap. 2, n° 1), qui exigit ut matrimonium sit consummatum.

1396. Ut in præfato casu Episcopus possit dispensare, sufficit quòd matrimonium fuerit bonâ fide saltem ex unâ parte initum (cap. *Cùm inhibitio*, *de clandestin. despons.*,

et cap. *Ex tenore*, *qui filii sint legit.*) An autem dispensare possit quando matrimonium fuit initum malâ fide ex utrâque parte, affirmant quidem nonnulli apud Salmantic., sed communissima et verior sententia negat; et nititur præsertim Concil. Trident. (sess. 24, cap. 5) ubi dicitur: « Si quis, intra gradus prohibitos, scienter matrimonium » contrahere præsumpserit, separetur et spe dispensationis » consequendæ careat... : non enim dignus est qui Eccle- » siæ benignitatem facilè experiatur, cujus salutaria præ- » cepta temerè contempsit. »

4397. Non autem censentur malâ fide contraxisse qui matrimonium inierunt ex ignorantiâ crassâ impedimenti, nisi adeo crassa fuerit, ut temeritas videatur; nec qui contraxerunt scientes quidem factum, sed ignorantes per illud induci impedimentum. — Sed si sponsi voluntariè omiserint proclamationes, tunc ipsis, etiam ignorantibus nullitatem matrimonii, dispensatio est deneganda, juxta Concil. Trident. (*ibid.*, ut supra). Vid. App. XIV.

4398. Etiam ante contractum Matrimonium Episcopus potest, certis in casibus, dispensare super impedimento dirimente: si nempe urgeret necessitas, periculum mortis, et legitimanda esset proles, vel vitanda esset infamia aut aliud damnum: vel si mulier nobilis aut honesta parata esset nuptias, die determinato, contrahere, et in confessione manifestaret impedimentum: illud constat ex cap. 2 *De Dispensat. imped.*, ubi dicitur: « Districtiùs inhibemus, » ne aliqui quorum uterque, vel alter ad ætatem legibus... » determinatam non pervenerit, conjungantur, *nisi fortè* » *aliquâ urgentissimâ necessitate interveniente, utpote pro* » *bono pacis talis conjunctio* toleretur. » Hoc tamen vix potest contingere, inquit S. Liguor. (lib. 6, nº 1122), quando impedimentum est publicum. Vide etiam Bened. XIV (*De Syn.*, lib. 9, cap. 2, nis II et III).

4399. « Propositio asserens posse Episcopum dispensare » in publico impedimento Matrimonii dirimente consan- » guinitatis, pro matrimonio contrahendo, sivè in articulo » mortis sive in aliâ urgentissimâ necessitate, Romæ » declarata est *falsa et temeraria* » (*Compendium* Carrière,

n° 327, etc.); Lequeux tamen plures citat qui hanc propositionem sustinent. Vide Bouix, *De Episcopo*, tom. 2, p. 138.

1100. Potest etiam Episcopus dispensare in impedimentis non dirimentibus, exceptis tamen quæ ex jure naturali impediunt, item exceptis votis Religionem approbatam ingrediendi, et perpetuæ castitatis, in quo ultimo tamen potest dispensare ad petendum debitum, sicut in omnibus quæ superveniunt matrimonio contracto, nempe in cognatione spirituali et affinitate. S. Liguor. (lib. 6, n° 1126). Vide etiam Bouix (*De Episcopo*, tom. 2, p. 136) et dicta supra (958, etc., 1198-1200).— Quæ autem dicta sunt de Episcopo intelligi debent de Capitulo, Sede vacante.

1101. Casu quo Episcopus potest dispensare, potest etiam et hanc facultatem alteri delegare, prout communiter dicunt DD., contra quosdam, apud S. Liguor. (lib. 6, n° 1125): ratio est quia hæc potestas haberi debet ut ordinaria, utpote Dignitati et Officio annexa.

1102. Communiter Episcopi obtinent à S. Sede Indulta ad dispensandum in impedimentis tertii et quarti gradûs consanguinitatis, affinitatis et publicæ honestatis, etc., quæ singulis trienniis renovanda sunt. An tunc etiam valeant has facultates subdelegare?—Videtur quòd possint ex dictis supra (308, 309): vide tamen quid dicat Carrière in suo *Compendio de Matrim.*, n° 231.

1103. Quoad veteres consuetudines quarumdam diœcesium Galliæ, quarum vi Episcopi dispensabant in 3° aut 4° gradu consanguinitatis vel affinitatis, etc., de quibus Lequeux (n° 879), quid de iis sit sentiendum colligi potest ex dictis supra *de Prolegomenis* (152-155); vide etiam Bouix, *De Episcopo*, tom. 2, p. 139; et Bened. XIV, *De Syn.*, lib. 9, cap. 2.— Juxta Card. Caprara, in Epistolâ ad Episcopum Leodiensem 18 nov. 1803, hujusmodi consuetudines, si alicubi existerent in Galliâ, revocatæ fuerunt per Bullam *Qui Christi Domini*. Vide *Revue des sciences ecclés.* (n° 8, 15 août 1860, p. 119).

1104. An autem in casu Indulti, si contrahentes sint diœcesis diversæ, dispensatio sit ab Episcopo utriusque

diœcesis concedenda, duplex est sententia : probabilis est autem sententia negans, juxta S. Liguor. (lib. 6, n° 1142); P. Gury, n° 656 ; Carrière, *Compendium*, n° 263, ubi citatur Responsio S. Pœnitentiariæ in gratiam validitatis dispensationis ab uno tantùm Episcopo concessæ, factâ mentione expressâ delegationis S. Sedis. Vide etiam Lequeux, n° 884 ; et *Rituale Bellicense*, tom. 1, n° 912.

1405.— 3° Regulares approbati pro confessione, nempe: Benedictini, Mendicantes et omnes alii in eorum privilegiis communicantes, de licentiâ suorum Provincialium, aut Prælatorum monasterii, ut plures dicunt, possunt dispensare ad petendum debitum conjugale circa incestum in secundo gradu. Vide S. Liguor. (lib. 6, nis 1127 et 1676).

Item possunt dispensare in omnibus votis in quibus Episcopi jure proprio dispensant, etiam ante matrimonium. An verò etiam possint dispensare in voto perpetuæ castitatis, si nuptiæ non possent moraliter differri, et aliunde immineat periculum infamiæ aut scandali, controvertitur, ut diximus supra *De Episcopis*; nec audet S. Liguor. (*ib.*, n° 1128, reprobare sententiam affirmantem.—Quid verò possint parochi in casu necessitatis, vide dicta supra (1438).

1406. Quærit. 2° An justa causa sit necessaria ad legitimitatem dispensationis ?

Resp. Affirmativè, quia tolli non debet obligatio legis sinè rationabili causâ. Ita communiter: vide Theologos in Tractatu *de Legibus*.

Causæ autem justæ dispensationis in matrimonio sunt: extinctio magnæ litis, vel odii inter agnatos; ablatio scandali; inæqualitas matrimonii nisi consanguineis aut affinibus nubatur; defectus dotis competentis; conservatio bonorum in eâdem cognatione; merita dispensationem petentis; instauratio matrimonii bonâ fide contracti, aut etiam malâ, si fuerit consummatum, vel adsit fama de copulâ habitâ; proles legitimanda; angustia loci (si 300 familias non contineat), ita ut in loco sponsa non facilè alium sponsum sibi idoneum sit inventura; apud nos hodie timor contractûs civilis, vel ipsemet civilis contractus jam initus; ætas feminæ excedens 24 annum; si mulier indigeat auxilio

viri, v. g. ad sibi assistendum in lite, vel ad filiis providendum ; item subministratio majoris pecuniæ : revera Concil. Trident. (sess. 24, c. 5) ait : « in contrahendis matrimo- » niis, vel nulla omninò detur dispensatio, vel rarò, idque » ex causâ et *gratis* concedatur » ; sed, hoc non obstante, communiter præfata causa admittitur; « et meritò, inquit » S. Liguor. (lib. 6, nº 1130), cùm hujusmodi composi- » tiones (ut Innocent. X præcepit) non immisceantur cum » aliis pecuniis thesauri cameralis, sed reserventur in » Monte Pietatis, et inde non extrahantur, nisi de man- » dato Pontificis, ut in sola opera pia impendantur..; nec » officit quòd mussitent hæretici, nam patenter injustè » mussitant. » Vide supra (1057, 1058).

1407. Etsi S. Pontifex possit, etiam sinè causâ, validè dispensare in impedimentis matrimonii quæ sunt solius juris ecclesiastici, attamen ipsius mens non est ut tollatur impedimentum, si falsæ sint causæ enuntiatæ ad obtinendam dispensationem; sic enim habet Bened. XIV, in Constit. *Ad Apostolicæ* (25 febr. 1742, § 1) : « expressio causarum » earumque verificatio ad substantiam et validitatem dis- » pensationis pertinet, illisque deficientibus, gratia nulla » ac irrita est, nullamque executionem meretur. »

1408. Non tamen necesse est ut omnes causæ allegatæ sint veræ : sufficit enim quòd vera sit una ex eis, modò sit gravis et sufficiens ad legitimandam dispensationem; eò autem gravior requiritur causa quò majus est impedimentum, proximiorque est gradus consanguinitatis vel affinitatis. (S. Liguor. lib. 6, nº 1129, et lib. 1, nº 114.)

1409. In dubio autem an causa falsò allegata fuerit finalis aut impulsiva, vel an vera aut falsa, valida censenda est dispensatio, quia in dubio standum est pro validitate actûs. (S. Liguor., lib. 6, nº 1133.)

1410. An verò cessante causa dispensationis statim cesset dispensatio, distinguendum est : si causa cesset antequam è Româ dispensatio expediatur, vel antequam fiat ab Episcopo, cui à Pontifice commissa fuerit, fulminatio, affirmandum; secus verò, si causa cesset, dispensatione jam fulminatâ ab inferiore, etsi cesset ante matrimonii celebrationem

quia, jam sublato impedimento, reviviscere nequit per causæ cessationem : ita valde probabiliter, juxta S. Liguor., contra Sanchez (lib. 6, n° 1132).

1411. Quærit. 3° An, præter causas legitimas, alia sint exprimenda sub pœnâ nullitatis in petitione dispensationum pro matrimonio?

Resp. Affirmativè : sic 1° exprimendæ sunt variæ species etiam infimæ impedimentorum : v. g., affinitas ex copulâ licitâ vel non, honestas ex sponsalibus vel ex matrimonio rato, crimen adulterii vel conjugicidii vel utrumque, filiatio vel compaternitas in cognatione spirituali; 2° numerus impedimentorum : v. g., si præter cognationem adsit etiam affinitas, vel si adsit duplex aut multiplex consanguinitas vel affinitas, vel simul conjugicidium et adulterium cum promissione matrimonii, vel multiplex affinitas spiritualis, v. g. si compatres filios suos invicem è sacro fonte levaverint; 3° gradus consanguinitatis vel affinitatis vel honestatis publicæ, et si oratores sint in lineâ inæquali, exprimi debent gradus propior et sexus si ad Datariam recurratur: hoc tamen non sub pœnâ nullitatis, nisi sint conjuncti in secundo gradu attingente primum (S. Lig., *Homo apost.*, *de Matrim.*, n° 86); sed si recursus fiat ad Pœnitentiariam hæc non sunt exprimenda (*Compend.* Carrière, n° 237); 4° copula incestuosa habita inter oratores, sive ex intentione faciliùs dispensationem obtinendi, sive etiam seclusâ illâ intentione, hodie amplius non est declaranda, ex decreto S. Officii, d. 25 Junii 1885; 5° an matrimonium celebratum cum impedimento, fuerit contractum clandestinè vel cum debitis proclamationibus; cum bonâ vel malâ fide unius vel utriusque contrahentium, an cum spe faciliùs dispensationem obtinendi; an matrimonium fuerit consummatum (P. Gury, tom. 2, n° 660).—Si quis petat secundam dispensationem in materiâ quæ sit nefaria, debet exprimere jam primam fuisse obtentam in eâdem, quia relapsus retrahit Superiorem à dispensando; secus si impedimentum non sit in aliquo crimine, vel sit in crimine diverso (S. Liguor., lib. 6, n° 1136).—Sinè earum expressione subreptitiæ sunt dispensationes et nullæ[1].

[1] Vide supra (59).

1112. Quamvis in supplicatione sit exprimendum an matrimonium fuerit civiliter contractum, attamen S. Pœnitentiaria, 2 oct. 1829, declaravit omissionem hujus circumstantiæ, aut celebrationem matrimonii post missas preces, non inducere nullitatem dispensationis. (*Compendium* Carrière, nº 250, *in fine*.)

1113. Si concurrant plura impedimenta, an sint omnia in eâdem petitione exprimenda, quæstio est controversa : juxta sententiam probabiliorem distinguendum est : vel enim impedimenta disparatè se habent, et unum ex altero non augetur, ut votum et consanguinitas aut consanguinitas et machinatio, et tunc sufficit divisim obtinere dispensationem ; secus si impedimenta simul juncta majorem repugnantiam afferant ad matrimonium contrahendum : ut si quis duceret consanguineam, cujus sororem turpiter cognoverit, si essent simul crimina conjugicidii cum machinatione et adulterii cum promissione matrimonii, tunc si omnia ad Datariam non possint exponi, patefacienda sunt in supplicatione ad Pœnitentiariam directâ. (S. Liguor., lib. 6, nº 1139.)

1114. Ex dictis sequitur invalidam esse dispensationem, si in petitione exprimatur affinitas pro consanguinitate, et vice versâ : Superior enim concedit dispensationem juxta exposita, quæ cùm sint falsa, nullam efficiunt dispensationem, etsi adfuerit bona fides : valida tamen esset dispensatio si error inveniretur in Rescripto Pontificis ex culpâ amanuensis.

1115. Item invalida esset si in supplicatione exprimeretur tertius gradus pro secundo, aut quartus pro tertio : secus si ex errore poneretur gradus tertius pro quarto, quia dispensatio minoris impedimenti includitur in dispensatione pro majore ejusdem speciei, non vice versâ : ita communiter, contra paucos.

1116. Non opus est exprimere in petitione quoties copula fuerit habita cum eâdem consanguineâ sponsæ, sed opus est exprimere varias consanguineas cum quibus copula fuerit habita, si cum multis habita fuerit, quia sic multiplicantur affinitates. S. Liguor., *ibidem*, nº 1138.

Si, petitâ dispensatione super impedimento affinitatis ex copulâ illicitâ cum consanguineâ sponsæ, iterum peccetur cum eâdem, antequam dispensatio executioni mandetur à delegato, certè non est necessaria nova dispensatio, quia dispensatio suum non sortitur effectum à die expeditionis sed potiùs à die executionis, et non requiritur ad validitatem ut exprimatur quoties copula acciderit : ita omnes; — si verò nova copula habeatur postquam dispensatio fuit executioni mandata, major est difficultas : idem tamen communiùs dicitur, quia tunc affinitas est sublata quoad effectum matrimonium contrahendi, ut constat ex ipsâmet declaratione S. Pœnitentiariæ, ap. S. Liguor. (lib. 6, n° 1140); secus Theologia Tolosana, et Carrière (*Compendium*, n° 246); et probabile habet S. Liguor. in opere *Homo apostolicus* (*ib.*, n° 87).

1117. Si verò, obtentâ dispensatione super impedimento consanguinitatis vel affinitatis (imò juxta Carrière, *Compendium* 246, etiam cognationis spiritualis aut honestatis publicæ, ut colligi posse videtur ex praxi Curiæ Romanæ quam testatur Corradus), habeatur copula cum sponsâ : vel habetur antequam dispensatio sit executioni mandata, et tunc necessaria est nova dispensatio seu litteræ *perindè valere*, ut constat ex declaratione S. C. maii 1635; si autem copula habeatur post executionem dispensationis, probabile est quòd non sit necessaria nova dispensatio, quia, ablatâ prohibitione matrimonii, cessavit malitia incestûs. S. Liguor., lib. 6, n° 1141.

1118. Si tandem expressâ jam copulâ in supplicatione, iterum habeatur commercium carnale inter dictos sponsos, ante executionem seu fulminationem dispensationis, non opus est novâ dispensatione, si data fuerit à Pœnitentiariâ, quia ab ipsâ datur hodie delegato facultas « *ab incestûs usque ad præsentem executionem forsitan iterati* reatibus » auctoritate apostolicâ absolvendi. » Si verò dispensatio à Datariâ elargita fuerit, irrita fit per dictam novam copulam[1]; hoc deducitur ex eo quòd S. Pœnitentiaria Episcopis Galliæ det potestatem hujusmodi matrimonia convalidandi : hæc sunt enim ipsius verba : « Dispen-

1. Casu quo contingit intra tempus pro separatione assignatum.

» sandi seu convalidandi litteras dispensationis super » quovis canonico impedimento ab Apostolicâ Sede » expeditas, quæ nullæ factæ fuerint ob incestum reti- » citum in precibus, aut patratum seu iteratum post » missas preces et ante dispensationis executionem. » Vide *Compendium* Carrière, n° 248. Hæc vero ex decreto 25 Junii 1885 hodie non attendenda sunt, et copula incestuosa inter sponsos validitati dispensationis non officit.

1119. *Nota* quòd si uterque sponsus eodem impedimento afficiatur, sufficit pro uno dispensationem impetrare; si autem unus sponsus impedimento teneatur independenter ab impedimento alterius, pro utroque impedimento impetranda est dispensatio. (S. Liguor., lib. 6, 1145.)

1120. *Nota* adhuc quòd error in nomine vel cognomine oratorum, vel diœceseos, aut parochiæ, probabiliùs validitati dispensationis non officit, modò constet de impedimento et causâ.— P. Gury, tom. 2, n° 661.

1121. Quærit. 1° Quomodo petendæ sint dispensationes matrimonii?

Resp. Duo Romæ existere tribunalia ad quæ sit recurrendum pro obtinendis matrimonii dispensationibus, Datariam videlicet et Pœnitentiariam : Dataria aditur pro impedimentis notoriis, aut quæ in notitiam aliorum ventura prævidentur, aut quæ sinè infamiâ, scandalo aliisque incommodis manifestari possunt : ab ipsâ imponi solet taxa secundùm facultates, nisi dispensatio concessa fuerit in *formâ pauperum*. Ad Pœnitentiariam recurritur pro dispensationibus occultis et quæ forum internum tantummodo spectant, ab ipsâque dispensationes *gratis* expediuntur. Vide dicta supra (791-797).

Si exigat Pœnitentiaria quòd impedimentum sit *omninò occultum*, requiritur tunc ut nemini innotescat : ita Bened. XIV ap. *Compendium* Carrière, n° 234, *adv.* 1°.

1122. Si plura sint impedimenta, alia publica et alia secreta, recurrendum est ad Datariam pro prioribus, ad Pœnitentiariam verò pro occultis ; sed, in precibus ad istam directis, mentio fieri debet ad Datariam directam fuisse supplicationem pro impedimento publico, saltem in

casu quo unius impedimenti sinè alterius non potest legitimè haberi dispensatio, ut supra diximus (4413).

4423. Insuper ex speciali R. P. delegatione, concedit S. Pœnitentiaria dispensationes in impedimentis publicis plerisque, « dummodo concurrat vera Oratorum » paupertas per authenticam Ordinariorum attestatio- » nem comprobanda ». Quod si falso allegata esset paupertas, v. infrà (4427).

Supplicationes ad Romam directæ conscribendæ sunt stylo simplici et nitido, absque apparatu : parvi interest quo idiomate conficiantur, quamvis expediat ut latino sermone exarentur. Vide dicta supra (795).

Si ad Datariam recurratur exprimi debent verum nomen et cognomen oratoris vel diœcesis; libellus supplex fit nomine eorum qui dispensatione indigent et inscribitur S. Pontifici, per hæc verba : *Beatissime Pater*. In Pœnitentiarià autem non exprimuntur vera nomina sed ficta, v. g. Titius, Bertha, vel orator, oratrix, et supplicatio dirigitur ad Cardinalem Majorem Pœnitentiarium (795): in utroque casu indicatur in fine ad quem remittendæ sunt litteræ dispensationis.

Pro recursu ad Datariam, libellus supplex mitti debet ad Episcopum, qui sigillo et suo vel Vicarii Generalis testimonio ac chirographo munitum Romam transmittit. Ad Pœnitentiariam verò quilibet confessarius directè scribere potest, priùs solvendo sumptus postales (*en affranchissant la lettre*). Tutius est in utroque casu uti ministerio Cancellarii Episcopalis qui priùs mittit libellum ad mandatarium Romæ degentem.

Variæ formulæ reperiri possunt apud auctores theologos. Vide *Homo apostolicus, de Matrimonio*, n° 88.

4424. Quærit. 5° Quomodo exequendæ sint dispensationes S. Sedis?

Resp. 1° Si agatur de rescripto S. Pœnitentiariæ, ordinariè per confessarium in tribunali Pœnitentiæ dispensatio executioni est demandanda; sedulò ergo clausulæ rescripti sunt ab ipso expendendæ. Si, ut olim moris erat, rescriptum dirigatur *ad theologiæ vel canonum Doctorem*, alius non

poterit exequi; sed hodie pro Galliâ hæc clausula non apponitur: semper autem exigitur ut confessarius *sit ex approbatis* ab Ordinario; additur per *latorem eligendo:* unde orator ad quem maluerit potest recurrere, modò habeat dotes in rescripto expressas; imò semel electum potest etiam mutare. Ita communiter contra paucos vide : *Compendium* Carrière, n° 251.

1125. — 2° Si agatur de rescripto Datariæ, dirigitur ad Officialem qui illud exequitur tanquam Sedis Apostolicæ Commissarius. An etiam Episcopus vel alius Vicarius Generalis possit tunc rescriptum exequi? Controvertitur, ut videre est ap. Carrière, *Compendium*, n° 252. Benè autem faciet Episcopus, qui non haberet Vicarium Generalem seu Officialem, si in libello supplici hanc circumstantiam exponat, ut ipsimet demandetur à Datariâ dispensationis executio : vide dicta supra (308, 1165). — Si verò executio Episcopo committatur, an valeat illam exequi Vicarius Generalis, vide *ib.*, et (1175).—An autem Vicarii Capitulares exequi valeant rescriptum directum ad Episcopum defunctum vel à suâ Sede remotum, vide dicta (495, 496, 1257). An insuper Officialis delegatus possit vices suas alteri committere, vide (308, 1176), ubi diximus id fieri non posse pro toto negotio, sed tantùm quoad informationem et receptionem testium. — An tandem per Officialem intelligi valeat Vicarius Generalis, vide supra (1132-1135) V. App. XV.

Circa gratuitatem dispensationum, vide dicta (1057, 1058, 1106).

1126. Cui demandata est dispensationis executio attentè considerare debet varias rescripti clausulas, ut adamussim impleat.

Hæc autem habent Datariæ rescripta : « Mandamus quatenus... te de præmissis diligenter informes, et si per informationem eamdem preces veritate niti repereris, *super quo conscientiam tuam oneramus*, » etc. Ex his verbis concludit DD. Bouvier Officialem teneri per se vel per alium ad faciendam novam informationem, etiamsi alia à parocho ante missas preces fuerit facta; non tamen, juxta eumdem,

hæc nova informatio requiritur sub pœnâ nullitatis. Vide *Compendium* Carrière, n° 257, qui addit quòd de facto in pluribus diœcesibus nova non fiat informatio : ita etiam P. Gury, tom. 2, p. 670.—Quidquid sit non requiritur ut juridicè fiat illa informatio, ut communiùs sentiunt DD., juxta Lequeux, n° 894.

4427. Hujusmodi autem solent esse clausulæ Rescriptis Pœnitentiariæ insertæ : « I. *Si ita est :* in quo fides habenda » est postulanti, nisi constet de opposito... sed hìc *Advert.;* » 1° Bened. XIV in Bullâ *Apostolica*, sub die 20 mart. 1742, » *declarasse expressionem et verificationem causarum ad* » *dispensationis valorem spectare.* Si autem sponsi falsò ex- » posuissent pauperes esse, et propterea dispensatio con- » cederetur in *formâ pauperum*, dispensatio etiam est valida, » uti declaravit S. C. Conc. 9 sept. 1679. » —Hoc tamen controvertitur, nec admittitur à Card. Gousset, n° 866, nec à D. Carrière, *Compend.*, n° 246, ut probabiliùs solum habetur à P. Gury, n° 668.— Quinam autem censendi sint pauperes? Videtur ex stylo Curiæ quòd tales sint censendi, *miserabiles qui existunt ex labore, et industriâ suâ vivunt :* in praxi tutius est exponere verum statum fortunæ, vel standum est regulis ab Episcopo datis, *ib.*, n° 669. — « *Advertendum* 2° ad dispensationem super voto castitatis » non sufficere simplicem tentationem, sed requiri vehe- » mentem incontinentiæ, etiamsi periculum sit unius lap- » sûs... II. *Auditâ prius sacramentali confessione..:* necesse est » (ergo) ut confessio præcedat, ut dispensationi detur exe- » cutio... III. *Sublatâ occasione peccandi :* intelligitur si » occasio est voluntaria, quia si esset necessaria, sufficit... » ut media eligantur quibus ex proximâ fiat remota. » IV. *Dummodo impedimentum sit occultum :* quando au- » tem impedimentum putandum est esse occultum, jam » dictum est n° 75. » Vide supra (794). « V. *Injunctâ* » *ei gravi pœnitentiâ :* intellige juxta vires pœnitentis, ut » rectè notat Tournely cum... Navarr. qui dicit posse » imponi ut per sex menses semel jejunet, aut ter Rosarium » recitet quâlibet hebdomadâ, aut frequentet confessionem » (quam puto satis esse semel in mense), et hujusmodi.

» Quòd si unquam, addit Tournely, pœnitens jam debi- » tam pro suo peccato pœnitentiam egisset, potest tunc » pœnitentia moderari, modò illa non sit injuncta à Pœni- » tentiariâ tanquam commutatio. VI. *Præsentibus laceratis* » *sub pœnâ excommunicationis latæ sententiæ :* hæ lit- » teræ statim lacerandæ sunt; sed intellige moraliter, » nempe intra tres dies postquam executioni demandatæ » sunt, et intellige si matrimonium jam contractum erat; » secus si adhuc contrahendum est (nisi laceratio etiam » in isto casu præcipiatur) : tunc enim dispensatio occultè » asservanda est à parocho, aut saltem adnotari in aliquo » libro, qui à nemine alio aspici possit, ad hoc, ut, si » opus erit (nempe si fortè impedimentum fieret publicum), » possit de dispensatione impetratâ fidem facere. » Ita *Homo apostolicus*, n° 87. Vide supra (797).

4428. Additur in rescriptis « *Neque eas latori restituas :* » *quòd si restitueris nihil ei præsentes litteræ suffragen-* » *tur* » : quæ non sunt intelligenda in eo sensu quòd dispensatio irrita efficiatur, sed solùm quòd illius nullus futurus sit valor in foro externo. V. *Compend.* Carrière, n° 261.

4429. Adjicit insuper S. Liguor., *ib.*, n° 89 : « Confes- » sarius... in dispensando, absolutione sacramentali im- » pertitâ, hâc formulâ uti poterit : *Et insuper, auctoritate* » *Apostolicâ mihi concessâ, dispenso tecum super impedi-* » *mento primi* (seu *secundi*, seu *primi et secundi*) *gradûs* » *proveniente ex copulâ illicitâ à te habitâ cum sorore mu-* » *lieris cum quâ contraxisti* (aut *contrahere intendis*) *ut* » *matrimonium cum illâ* (*rursus*) *contrahere possis, reno-* » *vato consensu, et prolem si quam suscipies* (vel *suscepisti*) » *legitimam declaro, in nomine Patris, etc.* Sed si dispen- » satio est à voto castitatis, dicet : *Insuper votum castita-* » *tis, quod emisisti, ut valeas matrimomium contrahere et* » *illo uti, in opera quæ tibi præscripsi, dispensando com-* » *muto, in nomine, etc.* Si autem non obstante voto casti- » tatis aliquis jam matrimonium contraxisset, dicet : *Item,* » *non obstante castitatis voto quod emisisti, ut in matri-* » *monio remanere et debitum conjugale exigere possis, auc-* » *toritate Apostolicâ tecum dispenso, in nomine, etc.* »

4430. Quando autem dispensatio conceditur ab Episcopo, vel Episcopus dispensat vi Indulti Apostolici, et tunc clausulæ Indulti sunt observandæ, vel dispensat jure Ordinario aut quasi Ordinario, et tunc sufficit observare quæ requiruntur ex jure communi, æquitate naturali, aut præscriptionibus ipsiusmet Episcopi. Vide *Compendium* D. Carrière, nº 262.

ART. VI.

DE MATRIMONII IRRITI REVALIDATIONE.

4431. Antequam hanc quæstionem expendat, notat S. Liguorius (lib. 6, nº 1109) quòd, quando dubitatur de valore alicujus matrimonii, meritò præsumitur Ecclesia, propter bonum animarum, dispensationem, quæ fortè est necessaria, concedere, si verè probabile sit illud esse validum, modò dubium vertat circa impedimentum ab Ecclesiâ institutum, cùm in impedimentis juris naturalis non possit dispensare.

Matrimonium invalidum esse potest, vel ob defectum consensûs, vel ob defectum formæ præscriptæ, vel tandem ob inhabilitatem partium.

4432.—I. Certum est matrimonium nullum ob solum consensûs defectum, posse revalidari per renovationem consensûs : utriusque autem sponsi consensûs renovatio necessaria est si utriusque defuerit; unius verò tantùm si unicus verum non præstitit consensum : ita communiter, apud S. Liguor. (lib. 6, nº 1144), qui contra plures veriorem ac moraliter certam vocat hanc sententiam, et in probationem affert plura capitula juris canonici, nempe : cap. *Insuper* 4, *Qui matrimon. accus.*; cap. *Proposuit*, *de eo qui duxit;* et cap. *Ad id*, 21 *de Sponsal.;* in praxi tamen utile est quòd utriusque, quoad fieri potest, renovetur consensus. Controvertitur an externè consensus sit renovandus : sed, quidquid sit, minimè est opus ut altera pars præmoneatur; sufficit enim cohabitatio effectu maritali. Nec etiam tunc requiritur ut consensus renovetur coram parocho et testibus si lateat defectus. V. infrà (4445). P. Gury, tom. 2, nº 672.

4433. — II. Quando matrimonium fuit nullum ratione clandestinitatis, certum est, si à S. Sede dispensatio non obtineatur, quòd sit ineundum coram parocho et testibus, nisi recursus ad parochum esset impossibilis, vel nisi sponsi venerint ad locum ubi Concil. Trident. non fuit promulgatum (4369, 4370).

4434. Si ambo conjuges non renuant se sistere coram parocho, coram eo revalidandum erit matrimonium, vel publicè vel occultè, prout nullitas matrimonii publica aut occulta fuerit : illud constat ex *Instructione* Cardin. Caprara, 22 maii 1803, quæ legi potest in Theologiâ Tolosanâ, in quâ dicitur : « ...6° Si nullitas matrimonii occulta » sit, seu communiter ignoretur, matrimonium coram » proprio parocho, adhibitis saltem duobus testibus confi- » dentibus, secretò, ad vitanda scandala, contrahendum » est, adnotatâ deinde particulâ in secretorum matrimo- » niorum libro; 7° si nullitas matrimonii publica sit, ad » scandalum removendum, matrimonium publicè, servatâ » formâ Concilii Trident. celebrandum est. Quòd si Ordi- » narius, ob peculiares circumstantias, judicaverit expe- » dire ut secretò coram proprio parocho et duobus testibus » potiùs celebretur, secretò celebrari poterit, dummodo » tamen publicum scandalum aliâ ratione removeri possit, » et quamprimùm removeatur. »

4435. Si autem una pars vel utraque consentiat quidem renovationi consensûs coram parocho et testibus, sed nolit hoc peragere in ecclesiâ, ipsi concedi potest ut in alio loco contrahatur matrimonium, modò tollatur scandalum, si clandestinitas fuit notoria. (P. Gury, n° 674.)

4436. Si verò unus renuat contrahere coram parocho, tunc, inquit Card. Caprara (*ib.*, ut supra) : « ...10° Si renuentia » oriatur ex ignorantiâ vel aliquo errore, contra leges aut » doctrinam Ecclesiæ circa impedimenta matrimonium » irritantia, renuens debitâ cum prudentiâ et in charitate » instruatur; et quatenus adhuc renuat matrimonium » suum in facie Ecclesiæ convalidare, tunc :

» 11° Satagendum est ut specialem procuratorem con- » stituat, qui ejus nomine matrimonium contrahat de more;

» aut saltem, expresso consensu de præsenti per Epistolam
» directam proprio parocho vel alteri sacerdoti Ordinarii
» aut parochi licentiam habenti, matrimonium reno-
» vetur. »

4437. Si tandem pars indisposita etiam per procuratorem aut per litteras consensum dare renuat : « Dummodo, » pergit Cardin. Caprara (n° 12), de præsenti exhibeat con- » sensum remanendi in matrimonio.., et attentis servatis- » que conditionibus... inferiùs præscriptis (ne obstet pu- » blicitas fornicariæ copulationis et non justi matrimonii), » ad dispensationem in radice matrimonii, seu ad sanatio- » nem in radice devenire posse judicamus, ita ut saltem » innocentis partis animæ saluti, prolis legitimitati et fami- » liarum tranquillitati omnino consultum sit, et quampri- » mùm etiam renuentis animæ saluti provideri possit. »

4438. Nihil autem est hic et nunc faciendum, si neutra pars denuò matrimonium coram parocho et testibus contrahere consentiat, quia necessaria esset ad hoc dispensatio quam tunc Ecclesia non solet concedere; solùm ergo superest ut parochus instanter oret pro conversione parochianorum sic malè conjunctorum. (P. Gury, n° 675.)

4439. — III. Si revalidandum sit matrimonium nullum ob inhabilitatem partium, duplici modo procedi potest, nempe modo ordinario, obtinendo priùs simplicem dispensationem, vel obtinendo dispensationem in *radice*.

In primo casu regulæ sequentes traduntur à P. Gury, n° 676.

« 1ª *Regula* : Si uterque conjux sit conscius impedi- » menti, uterque tenetur consensum renovare, obtentâ » dispensatione ad matrimonium revalidandum. Ratio » est, quia scientia nullitatis matrimonii, stante impedi- » mento dirimente, necessariò verum consensum..... » excludit.

» 2ª *Regula* : Si una pars tantùm impedimentum cogno- » verit, illa certò tenetur consensum renovare, saltem » sola seorsim...

4440. » 3ª *Regula*. Pars ignara impedimenti non de- » beret necessariò renovare consensum ad matrimonii

» validitatem, si impedimentum alteram partem tantùm » respiceret : ratio est quia consensus illius fuit ab initio » validus, et proinde perseverat; ergo sufficeret renovatio » consensûs partis inhabilis » : hanc regulam P. Gury applicat casui quo fidelis duxisset non baptizatam, disparitatis cultûs impedimentum ignorantem.

1111. Sed controversia est de casibus in quibus impedimentum etiam partem respicit quæ illud ignorat, et quæritur utrum illa pars debeat renovare consensum, ut validum efficiatur matrimonium? — Duplex est sententia: *una affirmans*, quæ est communior; probaturque 1° istâ ratione quòd impedimentum tollat à principio efficaciam consensûs, qui proinde remanet inefficax, nisi renovetur, nec efficax reddi potest per simplicem dispensationem, cùm hujusmodi dispensatio non sanat vitium quod præcessit, sed partes solummodo reddit capaces in posterum; 2° quia Rescriptis Pœnitentiariæ inseri solet clausula : *alterâ parte de nullitate prioris matrimonii certioratâ.* Ergo, etc.

Altera negans, hâc ratione nixa quòd « prior consensus, » licet suo effectu caruerit ob impedimentum à jure posi» tivo appositum, tamen de jure naturæ fuit validus, cùm » fuerit præstitus erga personam de jure naturæ habilem » ad contrahendum » ; unde remoto impedimento per dispensationem, perseverante ex unâ parte primo consensu conjugis impedimentum ignorantis; et ex aliâ parte accedente novo consensu interno conjugis illius impedimenti conscii, sufficienter manifestato per cohabitationem maritalem, voluntates utriusque sic moraliter uniuntur et efficiunt matrimonium : ita S. Liguor. (lib. 6, n° 1115); nec obstat clausula S. Pœnitentiariæ, quia non est habenda tanquam conditio, sed ut mera instructio. Hæc secunda sententia *probabilis* vocatur à S. Liguor. (*ib.*, n° 1116).

Attamen juxta eumdem, probabiliùs docet Bened. XIV (*Notific.* 87, n° 68) dictam clausulam esse veram conditionem, eò quòd ablativum absolutum, juxta jurisperitos, veram importet conditionem; unde regulariter, extra casum

urgentis necessitatis, non est discedendum à primâ sententiâ, nisi obtenta fuerit dispensatio *in radice*.

4442. Quomodo autem pars ignara impedimenti debeat certiorari de nullitate prioris matrimonii? Ita quidem certiorari debet, juxta communiorem ac veriorem sententiam, ut novus et independens à priori præbeatur consensus : quia facilè contingere potest ut qui putat prius matrimonium fuisse validum, non verè velit matrimonium contrahere, sed priùs tantùm habere ratum, quod præsertim est præsumendum de eo qui in eâ dispositione esset ut matrimonium dissolveret casu quo de ipsius nullitate edoceretur.

Unde juxta S. Liguor., contra Sanchez et alios, non sufficeret dicere parti impedimenti ignaræ : *dic, quæso, si nullum fuisset nostrum matrimonium, nonne iterùm me accipere intendis?* quia tunc non apponitur consensus independens à primo : cùm, propter ignorantiam, pars inscia impedimenti reputet alteram jam esse suum conjugem, et non debet præsumi velle inire conjugium : excipit tamen S. Liguor. casum quo, ex illâ petitione, sponsus ignorans impedimentum in suspicionem veniret de nullitate matrimonii; nec etiam sufficeret dicere : *si mihi non nupsisses, nonne nuberes nunc?* quia non adest consensus positivus; nec etiam si diceretur : *pro meâ consolatione volo de novo contrahere; eia, contrahamus :* quia nulla tunc ingeritur suspicio de nullitate prioris matrimonii.

4443. Si autem sponsus diceret : *angor scrupulis de nostri matrimonii valore, ideoque renovemus consensum :* pro certo tenet S. Liguor., contra Tournely, tunc posse consensum poni independentem à primo, quamvis sponsus non certioretur de nullitate prioris matrimonii. Si verò diceretur : *quando nupsi, non habui verum consensum; nunc præstare volo, vis et tu præstare?* Communiter dicunt DD. sic posse renovari consensum, et quidem sinè mendacio, cùm consensus nullus non sit verus consensus.

4444. Si tamen his posterioribus modis locus esse nequeat, et immineat periculum gravis damni, si pars inscia admoneretur de nullitate matrimonii, videlicet si mors, vel gravis infamia, aut scandalum ex separatione esset secu-

turum, et non posset vitari redditio debiti conjugalis, tunc stare poterit secundæ sententiæ neganti necessitatem renovationis consensûs ex parte impedimenti insciâ, quia in tantâ necessitate licet uti sententiâ duntaxat probabili, imò et tenuiter probabili : neque obstat clausula certiorationis quæ apponitur à S. Pœnitentiariâ, quia in hoc casu necessitatis, censetur S. Sedes relaxare præfatam conditionem, providendo meliori modo quo potest bono animarum. Ita S. Liguor. ex Bened. XIV (lib. 6, n° 1117).

1145. Quærit. An in dicto casu inhabilitatis partium, consensus sit renovandus in præsentiâ parochi et testium?

Resp. Vel impedimentum est publicum, vel occultum : in primo casu, renovandus est consensus in parochi et testium præsentiâ, quia sic exigunt semper rescripta Datariæ; in secundo casu, in eorumdem præsentiâ consensus non est renovandus : ita communis et probabilior sententia; sicque statuit atque in praxi constanter tenuit S. Pœnitentiaria, ex oraculo S. Pii V. — Reverà Concil. Trident. exigit præsentiam parochi : sed cùm eam exigat tantùm ad probandam externam apparentiam matrimonii, sufficit quòd semel adfuerint parochus et testes, et non constet matrimonium fuisse nulliter contractum, quod contingit quando impedimentum est occultum. — Nec obstat aliud oraculum Clementis VIII, quia licet in hoc oraculo ageretur etiam de impedimento occulto, in eo tamen aderat periculum divulgationis aut deductionis ad forum externum, ut videre est ap. S. Liguor., lib. 6, n° 1110.

1146. Sed quid, si tempore initi matrimonii, parochus et testes erant conscii impedimenti? Nonne ad revalidandum tunc matrimonium requireretur ut adsint denuò parochus et testes?

Resp. Affirmare Sanchezium cum aliis, quia tunc parochus et testes non valoris sed potiùs nullitatis matrimonii testes fuerunt : et hoc, juxta Croix et alios, etiamsi tantùm unus ex ipsis testibus impedimentum noverit; negare tamen Coninck et alios plures, quia assistentia parochi et testium præscripta fuit à Trident. non tam ad testandam validitatem matrimonii, quæ multipliciter eis potest esse

ignota, quàm ad probandam externam matrimonii celebrationem, ut periculo obvietur ne iidem conjuges alias ineant nuptias. Utraque sententia est probabilis, inquit S. Liguor., sed probabilior est secunda (lib. 6, n° 1112), tutior est tamen prima ideoque est sequenda, seclusâ nimiâ difficultate (P. Gury, n° 680).

Deveniendo nunc ad casum quo obtenta fuit dispensatio in radice, dicimus :

4447. — 1° Dispensatio in radice *est abrogatio legis ecclesiasticæ quæ impedimentum induxit, in casu particulari, conjuncta cum irritatione omnium effectuum qui etiam antea ex lege subsecuti sunt*... Hujusmodi dispensatio effectum suum producit tollendo de medio legis effectus qui, ob matrimonii nullitatem, ante obtentam dispensationem ac etiam in ipso contrahendi actu, producti sunt. Ita P. Gury citans Bened. XIV (*Instit.* 87, n° 80; et *De Syn.*, lib. 13, cap. 21, n° VII).

4448. A simplici dispensatione differt dispensatio *in radice,* in eo quòd prior effectum non habet nisi à tempore quo conceditur, unde non potest eximere à consensûs renovatione; posterior autem convalidat matrimonium à tempore ipsius celebrationis, unde dicitur *à radice*, non faciendo quidem ut non fuerit nulliter contractum, sed faciendo ut validum fiat, ac si sublatum fuisset impedimentum à principio : unde prior consensus aptus efficitur ad contractum, nec novus ampliùs requiritur, et filii jam nati ita legitimantur ac si semper legitimi fuissent. Vide P. Gury (*ib.*); Carrière, *Compendium*, n° 282; et Bened. XIV, *De Syn.*, lib. 13, cap. 21, n° VII.—Etiam post mortem conjugum nonnunquam filii sic legitimantur; et sic egit Bonifac. VIII, anno 1301, erga Regem Hispaniæ. Vide Lequeux, n° 905.

4449. — 2° Quòd Ecclesia seu S. Pontifex possit dispensationes *in radice* concedere, non videtur posse in dubium revocari, cùm Ecclesia à pluribus sæculis eas concesserit: sic dispensasse primus legitur Bonifacius VIII, anno 1301, ut modò diximus : recentioribus verò temporibus frequentiùs dispensârunt in radice Pius VI, Pius VII, etc. : in Decreto

27 sept. 1755 Bened. XIV asserit quòd hujusmodi dispensationes soleant concedi à Romanis Pontificibus, et (*quæst.* 527) dicit : « nefas est dubitare de hâc potestate S. Pon-
» tificis. »

1150. Quatuor autem conditiones requiruntur ut licitè matrimonium convalidetur ope dispensationis *in radice* : 1° ut matrimonium non fuerit nullum ex jure naturali aut divino, quippe Ecclesia nequit effectus tollere impedimentorum quæ sunt juris naturalis aut divini; 2° ut conjunctio sponsorum extrinsecam habeat speciem justi matrimonii : nec potest sufficere copula manifestè fornicaria, ut aiunt Bened. XIV loco modò citato, et Cardin. Caprara in Instructione supra memoratâ (1134, etc.); 3° ut consensus utriusque perseveraverit : matrimonium enim consistere nequit, ubi etiam unius è contrahentibus deficit consensus : quamobrem, non raròò Pontifex exigit in rescripto ut constet de permanentiâ consensûs utriusque conjugis; et ob eamdem causam Cardinalis Legatus, concedendo Episcopis Galliæ facultatem dispensandi *in radice*, hanc restrictionem apponebat: «... 13° Postquam tamen per indubias duo-
» rum saltem testium depositiones, aut per renuentis
» (contrahere coram parocho) testimonium in scriptis exa-
» ratum, aut per ejusdem assertionem etiam oretenus fac-
» tam ipsi Ordinario sive alteri Ecclesiæ personæ ab eo
» specialiter deputatæ, et in scriptis statim redigendam,
» constiterit, non solùm renuentem in consensu de præ-
» senti permanere, sed etiam, etc. » ; attamen P. Gury dicit quòd plures non admittant necessitatem perseverantiæ consensûs; 4° ut adsit urgens et gravissima causa: ita Bened. XIV (*De Syn.*, lib. 13, c. 23, n° VII); sufficit tamen quòd impedimentum uni parti notum, alteri sinè gravibus incommodis manifestari nequeat, vel si sit gravis ratio non monendi conjuges de matrimonii nullitate.

1151. Cæterùm dispensatio *in radice* obtineri et applicari potest, utrâque parte ignorante, prout constat ex praxi Ecclesiæ. Vide P. Gury (n° 685).

An verò possit applicari casui quo ambo conjuges nullitatem matrimonii contrahendo cognoverunt, controverti-

tur; ex Instructione tamen Card. Caprara supra citatâ (4434), videtur quòd in quibusdam casibus clandestinitatis possit applicari, modò tunc sponsi verè voluerint matrimonium contrahere. Vide P. Gury (*ibid.*) et Carrière (*Compendium*, n° 284).

4452. Sinè speciali Indulto, Episcopus nequit hujusmodi dispensationes concedere: hoc asseritur à Bened. XIV, Const. *Etsi matrimonialis*: vide P. Gury, n° 686, et Carrière, *Compendium*, n° 283; et casu quo Episcopus tale Indultum possidet, eo validè uti nequit si sponsi adduci possunt ad renovandum consensum. (Carrière, *ibid.*)

4453. Eodem modo dispensationes *in radice* exsequendæ sunt ac simplices, addendo duntaxat verba *in radice*, *sic*: « v. g., *Ego auctoritate Apostolicâ mihi concessâ, matrimo-* » *nium à te contractum cum N... in radice ejus sano et con-* » *valido, prolemque susceptam et suscipiendam legitimam* » *declaro, in nomine Patris* », etc.

Deinde instrumentum est redigendum, in quo referantur quæ peracta sunt in vim delegationis commissæ, et indicentur media adhibita ut constaret de permanentiâ consensûs. Vide Carrière, *Compendium*, n° 283.

SCHOLIUM.

4454. Casu quo matrimonium fuit invalidè contractum, contingere potest ut sponsi noluerint illud revalidare, sed malint illud dissolvi. Quomodo sit tunc procedendum ad obtinendam hujusmodi dissolutionem coram foro ecclesiastico, dicemus in tertio libro (6087, etc.); vide etiam *Analecta* (juillet et août 1858, col. 987).

4455. Quoad verò agendi rationem sponsorum relativè ad debitum conjugale, præsertim in casibus ubi, propter aliquod impedimentum, dubitatur de matrimonii validitate, vide Theologos: sufficiat hìc referre cap. *Inquisitioni*, *de sentent. excomm.*: « Credimus distinguendum utrum alter » conjugum pro certo sciat impedimentum conjugii...., » quamvis illud apud Ecclesiam probare non possit, annon » sciat pro certo, sed credat: in primo casu, debet potiùs » excommunicationis sententiam humiliter sustinere,

» quàm per carnale commercium peccatum operari mor» tale; in secundo, distinguimus utrum habeat conscien» tiam hujusmodi ex credulitate levi et temerariâ, an pro» babili et discretâ : et quidem ad sui pastoris consilium, » conscientiâ levis et temerariæ credulitatis explosâ, licitè » potest, non solùm reddere, sed exigere debitum conju» gale; verùm cùm conscientia pulsat animum ex creduli» tate probabili et discretâ, quamvis non evidenti et ma» nifestâ, debitum quidem reddere potest, sed postulare » non debet, ne in alterutro, vel contra legem conjugii, » vel contra judicium conscientiæ committat offensam. » Vide insuper quæ diximus supra de impedimentis *Ligaminis* et *Impotentiæ*. — De divortio civili, vide App. XVI.

CAPUT IX.

DE SACRAMENTALIBUS ET BENEDICTIONIBUS.

ART. I.

DE SACRAMENTALIBUS.

1156. « Etsi, ut notat V. Pickler in Theologiâ polemicâ, » per *Sacramentalia* intelligi possunt externi illi ritus, qui » in externâ sacramentorum administratione, ex Ecclesiæ » præcepto adhibentur, invaluit tamen usus ut per illud » nomen jam intelligatur aliquid à prædictis ritibus omninò » diversum. » Ita Collet (*de sacrament.*, cap. 7, *initio*).

Ex alterâ parte Ferraris (v° *Peccatum*, n° 53) ait : « Sa» cramentalia... sic appellantur vel ex eo quòd *soleant* » *adhiberi ad sacramenta efficienda vel ministranda*, ut » efformatio crucis, benedictiones, orationes Ecclesiæ; » vel ex eo quòd... imitentur virtutem sacramentorum » ; item S. Congr. Rit., probante Innocent. X, Decretum tulit de ritibus Sinensibus, 12 sept. 1645, in quo hæc leguntur : « Censemus *Sacramentalia* in Baptismo mulierum esse » adhibenda. » Vide *Cursum complet.* D. Migne, tom. 20,

col. 1561, ubi etiam (col. 1563) est legendum Decretum Card. De Tournon.

4457. Non ergò benè concordant auctores in eo quod sit intelligendum per *Sacramentalia* : Collet (*ibid.* art. 2) illa definit, *juxta receptum usum* (ut ait) : « Res (et per res » etiam actus intelligit) ad cultum Dei religioso ritu ordi- » natæ, et ex communi quâdam fidelium persuasione ad » hominum sanctificationem speciali modo inservientes. » Ex quâ definitione, necessaria non videretur institutio Ecclesiæ ad essentiam sacramentalium; « verum, inquit Billuart » (*de Sacram.*, diss. 7, art. 4, tom. 16, p. 341, edit. 1828) » cur largitio eleemosynæ et oratio dominica, nisi fiat » nomine Ecclesiæ, aut in loco consecrato, recenseatur » inter sacramentalia, potiusquam quodvis aliud bonum » opus morale, non video. » Nec revera facile est videre : unde accuratiùs sacramentalia cum Editoribus *Cursûs completi* D. Migne, definiri videntur : « Res quædam aut » actiones ab Ecclesiâ institutæ et consecratæ ad quosdam » effectus spirituales producendos. » (*Ib.*, col. 1550, *nota* 1ª.)

4458. Juxta hanc definitionem, Sacramentalia non sunt imagines aut statuæ non benedictæ, nec reliquiæ, aut similia quæ ex *naturâ suâ*, non ex benedictione Ecclesiæ ad pietatem movent, nec esculenta privatâ tantùm benedictione sanctificata; nec eleemosyna, tunsio pectoris, oratio dominica, quæ, non Ecclesiæ, sed privatâ tantùm auctoritate peraguntur.

4459. Sex autem Sacramentalia communiter enumerantur à recentioribus, inquit Billuart (*ibid.*), videlicet :

« Orans, tinctus, edens, confessus, dans, benedicens.

» *Orans* significat Orationem Dominicam, aut alias » preces ab Ecclesiâ præscriptas, seu in ecclesiâ solem- » niter recitatas. — *Tinctus* significat assumptionem seu » aspersionem aquæ benedictæ » : huc, inquit Ferraris, *ibid.*, nº 56, reducitur unctio regum et similia, etiam impositio cinerum.

4460. A primordiis Ecclesiæ aqua benedicta fuit in usu, juxta Baronium : vide *Cours de droit canon* d'André,

v° *Eau bénite :* et *Ordonn. de Valence*, p. 85. Ipsius effectus describuntur in canone *Aquam, de consecr.*, dist. 3.

1461. « *Edens* significat panem benedictum, qui solebat » dari catechumenis loco Eucharistiæ, aut etiam baptizatis » in die Paschatis », et qui nunc, in quibusdam Ecclesiis diebus Dominicis inter missarum solemnia dari solet. A prioribus item sæculis panis benedictus seu Eulogia originem ducit, nempe ab *Agapis;* de eo sic loquitur S. Augustinus in *Epist. ad S. Paulinum Nolanum :* « Quamvis non » sit corpus Christi, sanctum est tamen, et sanctius quam » cibi quibus alimur, quoniam Sacramentum est » : id est, inquit Collet « aliquid pio ritu consecratum et ordinatum » ad fovendam inter diversa Christi membra charitatem. » (*Ibidem*, n° 46.)

« *Confessus*, pergit Billuart (*ib.*), significat Confessionem » generalem quæ præmittitur Missæ, aut fit in Primâ et » Completorio.

» *Dans* significat eleemosynam (ab Ecclesiâ specialiter » præscriptam).

» *Benedicens*, benedictionem Episcoporum et Abbatum » designat; imò sacerdotum in fine Missæ, vel communionis, vel aliarum functionum ecclesiasticarum. — *Dictionn. des Décrets*, D. Boissonnet, v° *Sacramentaux ;* — *Ordonn. de Valence* et *de Belley.*

1162. Quærit. 1° Quinam sint effectus sacramentalium ?

Resp. Quatuor præcipuos esse eorum effectus : 1° Causare remissionem peccatorum venialium, ut S. Thom. docet (3 pars, q. 37, art. 3); 2° per ipsa gratiæ prævenientes et pii motus conferuntur : apud S. Liguor., lib. 6, n° 93; 3° operantur beneficia corporalia, v. g. sanitatem (*ibid.*) ; 4° quædam eorum vim habent fugandi dæmones, ut exorcismi. (*Ibid.*)

1163. Quærit. 2° An hujusmodi effectus producantur ex opere operato, an duntaxat ex opere operantis ?

Resp. 1° Dici posse quædam sacramentalia vim quamdam habere ex opere operato fugandi dæmones : Ecclesia enim propter acceptam à Christo supra immundos spiritus potestatem, hanc vim dæmones fugandi certis precibus a·

cæremoniis alligare potest (S. Liguor., *ibid.*); non tamen omnino infallibilis esse videtur hujusmodi effectus, aut semper completus : vide *Curs. complet.* (t. 20, col. 1552).

Resp. 2° Quod alios effectus, tanquam certum videtur pariter posse affirmari quamdam virtutem sacramentalibus annecti, independenter à dispositionibus utentis vel ministri, ex precibus scilicet Ecclesiæ quæ ea instituit, vel benedixit et sacravit, ita ut non idem sit, v. g. *uti aquâ, quæ ex falsâ persuasione crederetur benedicta*, *ac si esset realiter benedicta* : quia in isto casu Ecclesiæ intercessio deficit. Vide Billuart (*De Pœnit.*, diss. 3, art. 2, § 3); Collet (*ibid*, n° 53) post Sylvium.

4464. Sed disputatur utrum ex institutione Ecclesiæ, illi effectus producantur propriè ex opere operato, seu infallibiliter?— Quæstio instituitur præsertim quod remissionem venialium.

Duæ sunt sententiæ : *Prima* cum Soto, Val., Ledes., etc., apud Croix (lib. 6, p. 1, n° 221), dicit sacramentalia ex institutione Ecclesiæ vim habere venialia remittendi. — *Secunda*, quæ communior et verior dicitur à S. Lig. (lib. 6, n° 92) tenet, cum Collet, Wigandt, S. Thomâ, Lugo, per sacramentalia non remitti venialia ex opere operato; sed tantùm per ea pios motus doloris aut charitatis in nobis excitari quibus venialia remittuntur; porrò illi motus producuntur per modum impetrationis, quæ non omninò infallibilitatem habet : sic etiam sentit Billuart, qui addit (*de sacram.*, diss. 7, art. 4) : « Quamvis Ecclesiæ tribuatur potestas relaxandi pœnas temporales peccatorum per indulgentias, eò quòd ista relaxatio consistat in solâ condonatione extrinsecâ, attamen peccatum veniale remitti non potest quin tollatur ejus macula in animâ, in quâ Ecclesia nullam habet potestatem. »

Præterea, benè quidem per traditionem discimus Ecclesiam posse ex juxtis causis haurire è thesauro satisfactionum Christi et Sanctorum ut easdem, per indulgentiarum largitionem, Deo offerat in compensationem injuriarum ipsi per peccata illatarum, sed nullibi legimus posse Ecclesiam similiter disponere de meritis et gratiis ejusdem

Salvatoris ut valeat illas gratias annectere certis precibus aut actibus, quominùs per hujusmodi preces aut actus, animæ nostræ infallibiliter et ex opere operato interiùs mundentur et sanctificentur : ergo Sacramentalia, non ex opere operato remittunt venialia sed tantùm ex opere operantis. Vide Collet (*ibid.*, n[is] 50-53). Idem dic de excitatione piorum motuum et productione beneficiorum corporalium.

4465. Inter sacramentalia enumerantur *Agnus Dei* ex cerâ à Papâ benedicti : quidam dicunt veniale esse eos a laicis tangi absque aliquâ necessitate (Lequeux, n° 960, III); sed, inquit S. Liguor. cum pluribus (lib. 6, n° 94), probabile est in hoc nullum esse peccatum juxta usum hodiernum.

Cùm ex dictis Sacramentalia per benedictionem efficiantur, plura hic sunt de benedictionibus adjicienda : itaque :

ART. II.

DE BENEDICTIONIBUS.

4466. — 1° Benedictiones de quibus hic agitur sunt eæ quæ nomine et auctoritate Ecclesiæ à ministris sacris fiunt ad applicanda merita Christi et Ecclesiæ preces.

4467. — 2° Pro benedictionibus impendendis « illi soli » libri adhibendi (sunt) et in illis tantùm Benedictionibus » quæ *Rituali Romano* sunt conformes » : ita S. C. Rit., 7 apr. 1832 (Gardell., n° 4532), vide De Herdt (pars 5, n° 37, IV). Nec licet uti Breviariis, Missalibus aliisque hujus generis sacris libris qui non præ se ferunt requisitas à Pontificiis Constitutionibus Ordinariorum attestationes. Ita decretum 18 febr. 1843. Vide *Dictionn. des Décrets* D. Boissonnet, v° *Bénédiction, développements.*

4468.—3° Inter benedictiones, aliæ à meris sacerdotibus sinè delegatione conferri valent; aliæ ab ipsis præstari nequeunt nisi quatenus ab Episcopis delegati fuerint; aliæ tandem Episcopis sunt reservatæ : unde in *Rituali* dicitur : « Noverit sacerdos quarum rerum benedictiones ad ipsum, » et quæ ad Episcopum suo jure pertineant, ne majoris

» Dignitatis munera temerè aut imperitè unquam usurpet
» propriâ auctoritate. »

An incurratur irregularitas si benedictio Episcopis reservata à simplici sacerdote impendatur, vide dicta supra (1802).

Non potest autem validè aut licitè fieri benedictio nisi ab eo qui ad tale munus designatur. Vide De Herdt, pars 5, n° 37, I; Lequeux, n° 954.

4469. Benedictiones Episcopis propriæ sunt illæ in quibus intervenit sacra unctio, sicut etiam benedictiones sacerdotalium indumentorum, mapparum, corporalium, tabernaculi, ciborii, novæ crucis, imaginum, primarii lapidis, ecclesiæ, cœmeterii. — Observa tamen solam benedictionem solemnem crucis et imaginum esse Episcopis reservatam, non autem privatam quæ fit cum unico ministro privatim, absque concursu et cantu. S. R. C. 12 julii 1704, n° 3548; De Herdt, pars 5, n° 37, II; et *Diction. des décrets* D. Boissonnet (v° *Bénédiction*, n° 4).

Inter has benedictiones quædam Episcopis sunt ita propriæ ut ab ipsis nequeant sacerdotibus committi; aliæ verò à meris presbyteris ab Ordinario delegatis impendi possunt.

4470. *Prioris generis* sunt omnes benedictiones episcopales in quibus adhibenda est unctio, ut consecratio ecclesiarum, altarium, calicum, patenarum, campanarum, benedictio Regis et Reginæ, Abbatis et Abbatissæ et verisimiliter consecratio virginum et benedictio novi militis, etsi in eis unctio non adhibeatur : vide supra (3002) et Ferraris (v° *Abbas*, n° 12); idem sat communiter dicitur de benedictione sacerdotalium indumentorum, corporalium, mapparum sive linteaminum altaris : attamen S. Pontifex Pius IX mihi asseruit se dedisse omnibus Episcopis facultatem delegandi meros sacerdotes pro benedicendis sacris paramentis et linteaminibus altaris. De necessitate illa benedicendi, vide dicta supra (3617, 3650); idem de benedictione tabernaculi seu vasculi pro Sacrosanctâ Eucharistiâ conservandâ, novæ crucis, imaginum, capsarum pro reliquiis, armorum, ensis, vexilli bellici; idem de benedictione et impositione Crucis proficiscentibus in subsi-

dium fidei christianæ : notandum quòd si crux habeat effigiem crucifixi, adhibenda est benedictio pro imaginibus; ita Baruff. et Cavalieri, apud De Herdt, pars 5, n° 37, VI, 5°.—Cruces, etiam altarium et processionum non sunt benedicendæ de præcepto: S. R. C., 12 julii 1704, n° 3548; idem dicendum videtur de imaginibus, etsi secus sentiant Baruff. et Catalanus, apud De Herdt, *ib.*, 5.

1171. « Licet quidam auctores, ut Puget; Gaume,
» *Catéchisme de persévérance*, t. 7, lect. 5; Romsée...
» allegent, sed sinè ullà ferè ratione, Episcopum delegare
» posse sacerdotem ad benedictionem campanæ, Sacra
» tamen Rit. Congreg. declaravit, 16 maii 1744 n° 4010,
» 5 et 6, Episcopum, utendo ordinarià facultate, aliis non
» posse delegare potestatem benedicendi campanas sinè
» Indulto Apostolico. Ita Catal...; Bened. XIV, *Instit.* 47,
» § 4, qui... scribit : *Ad nos unicè spectat campanis bene-*
» *dicere*, *neque alium* loco nostro *subrogare* possumus
» (erat tunc Archiepiscopus Bononiensis), cùm sancto
» chrismate inungi debeant.» Ita De Herdt (p. 6, n° 44, I).
De his omnibus, vide dicta supra (1170, etc.).

1172. *Secundi generis* sunt benedictiones primarii lapidis ecclesiæ ædificandæ, novæ ecclesiæ seu Oratorii publici, novi cœmeterii, reconciliatio ecclesiæ nondum consecratæ, vel cœmeterii violati : certum est enim Episcopum, et idem dicendum esse videtur de Vicario Capitulari, Sede vacante, posse suo jure delegare sacerdotem ad has benedictiones vel reconciliationes faciendas, cùm hujusmodi facultas in Rituali exprimatur. Vide De Herdt (pars 5, n° 37, II); imò, juxta Ferraris (v° *Ecclesia*, art. 4, n° 72), minimè requireretur licentia pro reconciliatione ecclesiæ vel cœmeterii benedictorum: sed hoc negatur à Maroviglio, et *Rituale* exigit delegationem Episcopi. Vide etiam Soglia, *Inst. jur. priv.*, § 125.

1173. *Rituale Romanum*, exequiarum ordinem exponendo, supponit quòd aliquando sepulchrum non sit benedictum, et formulam refert pro illius benedictione : porrò ad hanc benedictionem nulla requiritur delegatio, fierique potest ab omni sacerdote officium sepulturæ peragente :

licet enim prohibitum sit extra ecclesiam aut cœmeterium sepelire, contingere tamen potest quòd sit necessarium dictâ formulâ uti, videlicet : 1° si in cœmeterio novum sepulchrum construatur ex lapidibus, et à cœmeterio videatur distinctum; 2° si sepeliatur in ecclesiæ sepulchro nondum benedicto, quippe ecclesia in sepulchrorum usum non est benedicta; 3° si urgente necessitate, tempore pestis aut epidemiæ, corpora extra cœmeterium sepeliantur, etc.: vide De Herdt (pars 6, n° 33, III); 4° si cœmeterium, prout Parisiis accidit, sit omninò sæculare, nec proinde fuerit benedictum, eo quod omnes promiscuè sepeliuntur.

4474. Aliæ benedictiones quæ in *Missali* et *Rituali* habentur, à benedictione aquæ usque ad benedictiones ab Episcopis aut aliis facultatem habentibus faciendas, à simplici sacerdote fieri possunt absque delegatione Episcopi; attamen in duas adhuc species dividuntur : aliæ quæ sunt de jure parochi, et ab aliis sacerdotibus nequeunt impendi, nisi ex licentiâ aut consensu parochi: tales sunt : benedictio domorum in Sabbato Sancto (quæ fiunt extra hoc tempus, non benè constat esse de jure parochi); benedictio communis super fruges et alia agrorum, saltem si solemniter fiat. S. R. C., 5 oct. 1686, n° 2975, et 9 maii 1705, n° 3573. — Aliæ verò quæ non sunt de juribus merè parochialibus, prout aquæ, agni, ovorum, panis, novorum fructuum ac cujuscumque comestibilis, candelarum, loci, domûs novæ, thalami, novæ navis, peregrinorum, et aliæ simplices, quæ fieri possunt à quolibet sacerdote et quocumque tempore. S. R. C. 12 jan. 1704 (n° 3521, 5 et 6). Non tamen fieri debent in alterius ecclesiâ, aut publicè et solemniter in locis alterius jurisdictionis, pastore seu rectore contradicente. Item sunt servandæ conventiones, Synodales Constitutiones, et immemorabiles consuetudines contrariæ. Vide De Herdt, pars 5, n° 37, III; et dicta supra (618, 5°, 6°, etc.).

4475. Ad faciendas benedictiones utendum est, prout supra diximus (4467), formulis in *Rituali* aut *Missali* contentis [1]; sub pœnâ nullitatis adhiberi prohibentur formulæ

1. Sacerdos delegatus ad benedicenda sacerdotalia indumenta

ab Ecclesiâ Romanâ non approbatæ. Si autem in *Rituali* non inveniretur formula congrua pro certis objectis benedicendis, juxta *Analecta* posset adhiberi communis sequens pro diœcesi Petrocorensi approbata, 20 sept. 1847, apud Gardellini, n° 5119 (quæ nunc pro omnibus à S. R. C. approbatur).

4476. « ℣. Adjutorium.

« ℣. Dominus vobiscum , etc.

OREMUS.

» Deus cujus verbo sanctificantur omnia, bene†dictio-
» nem tuam effunde super creaturam istam (*vel* creaturas
» istas), et præsta ut quisquis eâ (*vel* eis) secundum legem
» et voluntatem tuam, cum gratiarum actione, usus fuerit,
» per invocationem Sanctissimi Nominis tui , corporis
» sanitatem et animæ tutelam , te auctore, percipiat. Per
» Christum Dominum Nostrum. ℟. Amen. »

In *Analectis* (20e liv.., mai 1857, col. 2942) legi etiam potest formula Romæ approbata pro benedictione viæ ferreæ et curruum. Vide insuper infra (4612.)

4477. Juxta *Rituale Romanum*, omnis benedictio fieri debet stando et aperto capite, manibus junctis, eas non disjungendo etiam cùm dicitur : *Dominus vobiscum*, *Oremus*. In principio verò cujusque benedictionis dicendum est : *Adjutorium*, etc., se signando. Si benedictio fiat ad altare, omnia recitantur in cornu Epistolæ; res benedicendæ aspergi debent aquâ benedictâ, quamvis non sit necessarium ut physicè aquâ tangantur ; aspersio et incensatio (quando præscribitur) ter fieri debent : 1° in medio rei benedicendæ , 2° à dextris, et 3° à sinistris. De Herdt, pars 5 , n° 37 , VII.

4478. Decet saltem, etsi non necessarium, benedictiones in ecclesiâ fieri : ex rationabili tamen causâ paramenta sacerdotalia et res similes benedici possunt in loco profano, modò honesto.

4479. Si benedictiones in altari fiant, sacerdos utitur

uti debet formulis *Missalis* aut *Ritualis Romani*, non verò formulâ *Pontificalis*. S. R. C. 7 sept. 1850, n° 11.—Vide *Dictionn. des décrets*, Boissonnet, n° 50.

pluviali, aut si pluviale desit, stat sinè planetâ et manipulo cum albâ et stolâ: « in omni autem benedictione, » extra missam, sacerdos saltem superpelliceo et stolâ pro » ratione temporis utatur, nisi aliter in *Missali* notetur. » Ita *Rituale*.

4480. In benedictione aquæ quæ fit Dominicâ ante missam solemnem à celebraturo, adhibetur color missæ conveniens : si autem fiat ab alio aut alio tempore, color violaceus est adhibendus : in benedictione autem mulieris post partum, domorum in Sabbato Sancto, primarii lapidis pro ecclesiâ ædificandâ, novæ ecclesiæ, vel cœmeterii, adhibetur color albus, ex *Rituali Romano*. Vide De Herdt, p. 1, n° 49, VI.

4481. Nullibi fit mentio cereorum in hujusmodi benedictionibus, qui proinde non sunt accendendi, nisi in benedictionibus cinerum, palmarum, et candelarum in die Purificationis.

4482. Res benedicendæ, si sint paramenta sacerdotalia, poni possunt super altare; secus est dicendum, juxta *Rituale Romanum*, si sint esculenta, vestes monialium, enses, vexilla, candelæ et alia hujusmodi, quæ collocanda sunt super mensam ante altare, vel in cornu Epistolæ. (De Herdt, *ib.*)

4483. « Cùm sacerdos aliquid benedicturus est, habeat » ministrum cum vase aquæ benedictæ et aspergillo, et » cum hoc Rituali libro seu Missali. » *Rit. Roman.*

4484. Quærit. 1° Quænam sint notanda circa benedictionem et aspersionem aquæ?

Resp. 1° Aquæ benedictio fieri debet singulis Dominicis et quoties opus fuerit : excipiuntur in *Missali* Dominicæ Paschatis et Pentecostes in ecclesiis ubi est fons baptismalis, eò quòd in iis fiat aspersio cum aquâ pridie benedictâ in fonte baptismali, ante infusionem olei et chrismatis acceptâ. (De Herdt, pars 3, n° 38, I.)

Hæc benedictio, inquit De Herdt (*ibid.*), juxta *Missale*, fit in sacristiâ, et juxta *Rituale Roman.*, in ecclesiâ ad altare in cornu Epistolæ, vel in sacristiâ : quæ diversæ dispositiones conciliari possunt, dicendo *Missale* respicere solam benedictionem aquæ in diebus Dominicis ante missam so-

lemnem, quæ fieri tantùm debet in sacristiâ; dum *Rituale* loquitur de quâcumque aquæ benedictione quæ fieret vel in Dominicis vel aliis diebus, quæque fieri potest ex *Rituali* in ecclesiâ vel in sacristiâ : imò ex rationabili causâ etiam extra ecclesiam.

4485. — 2° In benedictione aquæ adhiberi potest sal exorcizatum pro benedictione anteriori, et in hunc usum servatum. S. Rit. Congr., 8 apr. 1718, n° 3704, apud De Herdt (*ibid.*).

4486. — 3° Aspersio fieri debet omnibus Dominicis ante missam principalem, sive hæc missa solemniter cantetur sive non, etiamsi expositum esset SS. Sacramentum, nisi tamen ipse Episcopus celebret, quia tunc aspersio est omittenda, juxta *Cæremoniale Episcop.* Vide De Herdt (*ib.*, IV).

Aspersio fieri debet per celebrantem, non per alium, et multò minus per diaconum, non obstante consuetudine contrariâ, quæ potiùs corruptela est dicenda, cùm sit contra rubricas *Missalis* et *Cæremon.* Ita S. R. Congr., 5 jul. 1631, n° 776 1; 27 nov. 1632, n° 821; 12 nov. 1831, n° 4523 14. Dicitur quidem in *Missali* quòd alius possit benedicere aquam, non quòd alius possit aspergere, at *quòd sacerdos celebraturus accedat ad altare* ad aspersionem faciendam. Vide De Herdt.

4487. Sacerdos faciens aspersionem, indutus esse debet amictu, albâ, cingulo, stolâ aptatâ ante pectus in modum crucis, et pluviali coloris missæ, si habeatur; et si non habeatur, cum cæteris jam dictis sinè manipulo et casulâ. (De Herdt, *ibid.*)

In minoribus ecclesiis ubi missa non solet cantari, fieri nihilominus debet aspersio aquæ, legendo saltem ea quæ in aliis ecclesiis cantantur. (De Herdt, *ibid.*)

Danda est aqua benedicta per aspersionem, non verò per contactum aspersorii, nisi agatur de Episcopo. S. R. C., 2 aug. 1698, et pluries postea. Vide apud De Herdt (*ibidem*, V).

4488. Juxta Merati, Princeps Supremus et Principissa, in loco suæ jurisdictionis, ante omnes alios sunt aspergendi; magnus verò Princeps aspergendus est post ministros

sacros, ante chorum : juxta eumdem, Magistratus et Minores Domini asperguntur post chorum ante populum cum debitâ inclinatione. Optimum est in hujusmodi rebus non recedere à servatâ consuetudine, ne aliquibus pariatur offensio ; sed non decet nec semper licet addere prærogativas honoris præter aut contra rubricas. Vide de Herdt (pars 5, n° 38, VI, 6°).

4489. Quærit. 2° Quid sint observanda quoad benedictionem campanarum ?

Resp. 1° Jam diximus eas à solis Episcopis esse benedicendas, nec ab aliis sacerdotibus, etiam Abbatibus, nisi Indultum Apostolicum habeant. Ita pluries decisum à S. R. Congreg. Vide De Herdt (pars 6, n° 44, I).

2° Campanæ quæ profanis usibus tantùm inserviunt, ut sunt etiam quæ pulsantur duntaxat ad indicandas horas, benedici nequeunt, ex S. R. C. 16 jul. 1594 (n° 83, *in suppl.* 1 et 2) et 17 sept. 1822, n° 4440 2. Illæ verò quæ ad usus sacros destinantur *benedici debent antequam ponantur in campanili*, et ita vult *Pontificale.*

4490. — 3° Campanæ nomen imponitur ut distinguatur à non benedictis, tutelæ Sancti commendetur et populus quasi voce alicujus Sancti ad ecclesiam vocari videatur : ita Bened. XIV (*Inst.* 47, § 4); etsi non ex præcepto, solent in ipsius benedictione assistere vir et femina sub patrini et matrinæ denominatione; et hanc ob causam, et quia etiam aqua adhibetur in hujusmodi benedictione, vulgò ipsa *Baptismus* denominatur. Vide De Herdt, pars 6, n° 44, III.

4491. — 4° Virtutes et effectus campanarum benedictarum his versibus exprimuntur :

> Laudo Deum verum, plebem voco, congrego clerum
> Defunctos ploro, pestem fugo, festa decoro.

Vide explicationem (ap. De Herdt, *ibid.*, IV).

4492. — 5° Campanæ, juxta *Rituale*, pulsandæ sunt ad repellendas tempestates : ad hunc enim finem, etiam benedicuntur, ut patet ex *Pontificali* « ... Cùm melodia illius » auribus insonuerit populorum.... procul pellantur.... » fragor grandinum, procella turbinum, impetus tempes-

» tatum : temperentur infesta tonitrua, ventorum flabra » fiant salubriter ac moderatè suspensa, etc... Ante soni» tum ejus longiùs effugentur ignita jacula inimici, per» cussio fulminum, impetus lapidum, læsio tempesta» tum, etc. » In desuetudinem tamen abiit quòd in hujusmodi circumstantiâ agitentur, et hoc etiam in certis locis à Magistratu civili prohibetur, sed Statutis diœcesanis in hoc standum est.

4493. Ad finem profanum per se pulsari nequeunt campanæ benedictæ (S. C. Episc. et Reg. 31 jan. et 18 mart. 1581, 29 jan. 1616) : unde pulsari nequeunt in Adventu Domini loci, vel Baronum aut Principis, sed id est intelligendum, secluso consensu Episcopi (S. R. Congreg. 10 jul. 1638); nam juxta Declarat. Congreg. Episc. et Regul. 31 jan. 1589 : « de consensu Episcopi campanæ benedictæ » pulsari possunt ad usus profanos, ad quos non sequuntur » causæ sanguinis, et præsertim si communitatis expensis » constructæ fuerint, quantumvis tale jus non sibi reser» vasset. » Unde pulsari nequeunt, etiam de consensu Episcopi, ad dandum signum decollandi aliquem, convocandi ad arma et pugnam, etc., nisi pulsentur ad monendum populum ut orent pro rei animâ, vel nisi sit pugnandum contra Ecclesiæ hostes Excipi etiam debent casus summæ necessitatis cui cunctæ parent leges : v. g. incendii, inundationis et similium : de consensu autem Episcopi pulsari possunt campanæ ad congregandam communitatem ad consilium, ad indicandam horam discessûs vespertini, (*retraite*), etc.; si tamen habeantur campanæ non benedictæ, potiùs istæ in talibus casibus sunt adhibendæ. Non autem opus est ad præfatos usus ut ab Ordinario singulis vicibus petatur licentia, sed concedi potest pro semper; et colligi potest illam fuisse concessam ex locorum consuetudine, prout contingit fieri in festo Regis et Principum regalium et in eorum transitu.

4494. Cavendum sanè est ne usus campanas benedictas pulsandi ad profana introducatur, sed etiam cavendum ne imprudenter abrogetur, et per inopportunas denegationes, difficultates cum magistratu civili excitentur.

Sic autem habetur in *Lege organicâ* : « Art. 48. L'Evêque » se concertera avec le Préfet pour règler la manière » d'appeler les fidèles au service divin par le son des » cloches; on ne pourra les sonner sans la permission de » la police locale. »

Huic articulo sat consonus videtur art. 1 Concordati 1801 ubi dicitur : « Religio Catholica... liberè in Galliâ exercebitur : cultus publicus erit, *habitâ tamen ratione ordinationum, quoad politiam, quas Gubernium pro publicâ tranquillitate necessarias existimabit.* » Non tamen inde concludendum sufficere licentiam à Magistratu civili concessam ad legitimandum usum campanarum in profanis, sed ad hoc requiritur etiam permissio Superioris ecclesiastici. Circa modum pulsandi campanas, vide decisionem Consilii Statûs in opere cui titulus : *Le Droit ecclésiast. français*, par M. de Champeaux, tom. 1, 20 févr. 1840; vide etiam *Prælect. S. Sulpit.*, n° 526 *in notâ*. — In plerisque Galliæ diœcesibus conventiones existunt Episcopos inter et Præfectos quoad usum campanarum : his conventionibus parochi stare debent; sed insuper prudentia exigit non tantùm ut hujusmodi conventiones aut consuetudines receptæ observentur, sed etiam ut usus campanarum in casu extraordinario non omnino prohibeatur : eò magis, inquit De Herdt, quòd juxta Quarti, abusus campanarum, secluso scandalo aut contemptu, videtur esse tantùm venialis (*Sacr. Liturg*, pars 6, n° 44, *in fine*).

De benedictione ecclesiarum dicemus infra, disserendo de locis sacris.

De benedictione verò cum Sanctissimo Sacramento, diximus supra (3766-3769).

De benedictione autem sponsorum, supra (4165-4170).

4195. *Nota* 1° Quòd benedicente Episcopo omnes genuflectere debent, Dignitatibus et Canonicis Cathedralis exceptis, qui tamen se inclinare debent (apud Gardell., n° 740, ad 2, n° 3402, ad 7-9). Triplex signum crucis ab Episcopis producitur, quod fieri nequit etiam ab Abbatibus nisi pontificaliter celebrent.—Gardell., n° 3164; *Dictionn. des décrets* D. Boissonnet (v° *Bénédiction*, n^is 13, 22).

4496. Episcopus, populum benedicens cùm reliquiâ S. Crucis, mitram et pileolum deponit; mitram tantùm deponit si cum alio aliquo benedicat. (Gardell., n° 4665, ad 7.)

4497. 2° Benedictio mensæ pertinet ad sacerdotem, et, eo præsente, non potest eam dare diaconus, nisi sit Cardinalis : colligitur ex cap. *Legimus* 24, dist. 93. Juxta probabiliorem sententiam, hujusmodi benedictio est tantùm consilii, non obstante cap. *Non liceat* 12, dist. 44, quod non est præceptivum sed directivum duntaxat. Vide Ferraris (v° *Benedictiones*, n^is^ 26-30).

CAPUT X.

DE SUFFRAGIIS.

4498. Vox *suffragium* accipi potest pro voto quod in electionibus dari solet, et de suffragio sic accepto, sat diximus in Libro primo ubi de Electione; accipitur etiam pro auxilio spirituali, quo unus fidelis alterum adjuvat ad obtinendum à Deo remissionem pœnæ temporalis, vel aliud simile : de suffragio sic sumpto est nunc loquendum.

4499. Triplici autem modo suffragiis fideles se adjuvare possunt : 1° ex opere operato per missæ sacrificium ; 2° ex opere operantis, per proprias operationes bonas ac satisfactorias vel impetratorias : ut orationes, jejunia, eleemosynas, etc.; 3° per indulgentias. De primo modo diximus supra (3474-3476, 3526, etc.); superest ergo ut de aliis duobus modis sermonem faciamus : in præsenti capite dicemus de suffragiis quatenus distinguuntur à missæ Sacrificio et ab Indulgentiis. De Indulgentiis verò sermonem faciemus in Capite sequenti.

4500. Duobus modis proximo nostris possumus opitulari suffragiis : 1° per modum *satisfactionis*, si nempe valor satisfactorius, qui omnibus nostris operibus ex gratiâ et in gratiâ factis est inhærens, offeratur pro satisfactione quam

proximus Deo debet propter sua delicta; 2° per modum impetrationis, aut meriti de congruo, prout si quis postulet à Deo ut alteri concedat varias gratias, v. g. conversionem, vel remissionem pœnæ temporalis, etc. Ita communiter post S. Thomam, ap. Ferraris (v° *Suffragia*, n° 5).

Constat hoc duplici modo posse fideles se invicem adjuvare:

4501. Et 1° quidem per modum satisfactionis; dicitur enim in psalmo 118, v. 63: « Particeps ego sum omnium » timentium te et custodientium mandata tua. » In Epistolâ autem ad Galatas (c. 6, v. 2): « alter alterius onera por» tate »; sic verò habet Catechismus Romanus (2ª pars, *de* » *Pœnitentiâ*, n° CIX): « In eo verò summa Dei bonitas et » clementia maximis laudibus et gratiarum actionibus præ» dicanda est, qui humanæ imbecillitati condonavit, ut » *unus possit pro alio satisfacere.* » Nititur insuper hæc veritas articulo Symboli de *communione Sanctorum*, et Apostolorum doctrinâ, juxta quam unum corpus fideles efficiuntur in Christo (Ephes. 4, v. 12; 1 Cor., c. 12, v. 13): sicut enim unum membrum auxilium alteri præbet, ita justus potest alteri ferre opem, per suffragia et opera satisfactoria: item, in uno corpore bona unius membri sunt etiam bona alterius, prout dicit S. Thomas (*Opusc.* 7); vide *Chrétien éclairé*, etc., P. Maurel (p. 18, 4° édit.); ideoque Apostolus (1 Cor., c. 12, v. 21) ait: « non potest » autem oculus dicere manui: Operâ tuâ non indigeo; aut » iterum caput pedibus: Non estis mihi necessarii. »

4502. — 2° Possunt se invicem adjuvare per modum impetrationis: sic enim habet Apostolus ad Romanos (c. 15, v. 30): « Obsecro vos fratres, per D. N. J. C. et charitatem » Spiritûs S., ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me » ad Deum »; item S. Jacobus (c. 5, v. 16): « orate pro » invicem ut salvemini: multùm enim valet oratio justi » assidua. »

Hæc communiter ut certa habentur contra hæreticos; imò dicuntur esse de fide à Ferrario (v° *Suffragia*, n° 7).

4503. Non solùm vivos nostris suffragiis, sed etiam defunctos in Purgatorio existentes adjuvare possumus; et

hoc est certè de fide : legitur enim in 2 Macch., c. 12, v. 46: « Sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, » ut à peccatis solvantur. » Et in Concil. Trid. (sess. 25, *Decret. de Purgator.*) dicitur : « Cùm Ecclesia Catholica.. ex » Sacris Litteris et antiquâ Patrum traditione docuerit Pur- » gatorium esse, animasque ibi detentas, fidelium suffra- » giis, potissimùm verò acceptabili altaris sacrificio juvari. »

In canone *Animæ* 22, c. XIII, 2, dicitur : « Animæ defunc- » torum quatuor modis solvuntur : aut oblationibus sacer- » dotum, aut precibus Sanctorum, aut charorum eleemo- » synis, aut jejunio cognatorum. »

1504. Quærit. 1° An, quando opera satisfactoria alteri applicantur, etiam prosint ei à quibus offeruntur?

Resp. Opera satisfactoria sub duplici respectu considerari posse, videlicet : quatenus satisfactoria et quatenus vitæ æternæ meritoria ; utrumque enim simul esse possunt opera, et satisfactoria et vitæ æternæ meritoria, saltem si agatur de suffragiis quæ nomine Ecclesiæ non fiunt : sunt enim meritoria seu digna gloriâ cœlesti, quia sunt facta in statu gratiæ, ut modò dicturi sumus (1510); sunt autem satisfactoria, quia omnia opera supernaturaliter facta sunt pœnalia, vitia refrenant et naturam crucifigunt, uno verbo veterem hominem mortificant et destruunt. (Vide S. Liguor. lib. 6, n° 514.)

1505. His ergo explicatis, respondetur ad quæstionem propositam, opera satisfactoria alteri applicata non posse quatenus *satisfactoria*, ampliùs prodesse applicanti : nam opus bonum non habet valorem satisfactorium nisi finitum : si ergo secundùm suum valorem alteri applicetur, nihil applicanti superesse potest; quatenus verò meritoria, prodesse applicanti, et eò magis meritoria fiunt quo in eis major sit charitas : sub hoc enim respectu alteri non sunt applicabilia, saltem quatenus de condigno vitam æternam merentur, quia vita æterna datur unicuique juxta sua merita, secundùm verba Apostoli (*ad Romanos*, c. 2, v. 6) : « reddet unicuique *secundùm opera ejus* » ; et in Epist. I ad Cor. (c. 3, v. 6) : « unusquisque *propriam* mercedem » accipiet » : solus Salvator Christus utpote infinitè me-

rens, potuit beatitudinem tam sibi quàm omnibus electis condignè mereri; potest tamen de congruo unus alteri gloriam mereri, in quantum justus potest de congruo mereri alteri gratiam, quâ mediante, iste alter meretur gloriam. Vide Billuart, *diss.* 9, art. 5, *dices* 2°.

4506. Patet ex dictis quòd opus pluribus applicatum, quatenus est satisfactorium, minus singulis prosit quàm si uni tantùm applicaretur, eò quòd valorem duntàxat finitum habeat; quidam tamen negant, apud Lequeux (n° 966), et in eorum gratiam allegatur can. *Non mediocriter* 24, *de consecr.* dist. 5, ubi dicitur : « Dum pro cunctis animabus, » psalmus vel missa dicitur, nihil minus quàm si pro uno » quolibet ipsorum diceretur, accipitur »; sed non videtur quòd in hoc canone agatur de applicatione operum quatenus sunt satisfactoria : secus enim esset dicendum si ageretur de applicatione operis quatenus est meritorium de congruo, tam omnibus tunc prodesse potest quàm si uni tantùm applicaretur. V. Bonac., *de indulgent.* (q. 2, *punct.* 1, n° 2°).

4507. Controvertitur ap. Ferraris (v° *Suffragia*, n° 11, etc.), an laudabilius sit omnes secuturæ vitæ satisfactiones transferre in animas Purgatorii, quàm sibi retinere : quidam illud minus laudabile esse asserunt, ut Raynaudus, Arriaga, etc., quia, inquiunt, id esset velle Deum priùs laudari ab alio quàm à seipso; sed plures alii affirmant et quidem meritò, quia per illum charitatis actum, plus meretur gratiæ et consequenter gloriæ sibi et Deo per totam æternitatem; unde à pluribus SS. Pontificibus et præsertim à Pio IX, 30 sept. 1852, variis indulgentiis donatus fuit hujusmodi actus heroicus, ut videre est in opere : *Le Chrétien éclairé*, etc. (n° 73, p. 233, 4° édit.).

4508. Dicit autem Ferraris probabiliùs invalidum esse actum illius qui vivens applicat animabus Purgatorii omnes missas, preces et satisfactiones pro se defuncto offerendas; sed similem actum approbat S. Pontifex, variis indulgentiis cumulando modò dictum charitatis actum, in quo talis non tantùm offert et in manus Mariæ deponit, ab ipsâ pro arbitrio animabus Purgatorii distribuendas, omnes suæ vitæ secuturæ satisfactiones personales, sed

etiam omnia suffragia quæ sibi post mortem erunt applicanda : vide opus modò citatum; unde admittenda non videtur dicta sententia Ferraris.

4509. Quær. 2° An suffragia habeant effectum infallibilem?

Resp. Affirmare Suarezium juxta Bonacin. (*De Indulgent.*, q. 2, punct. 1, n° 3), et hoc probabilius vocat Lequeux (n° 964); sed idem Bonacina, cum pluribus aliis, probabiliorem habet sententiam quæ negat, quia non constat Deum infallibiliter acceptare satisfactiones pro aliis oblatas : quod videtur conforme decisioni S. Congr. Indulgent. relatæ in opere : *Le Chrétien éclairé*, etc., p. 355 : « 1° Episcopus S. Flori in Galliâ exposcit : utrum per in» dulgentiam altari privilegiato annexam, intelligenda sit » indulgentia plenaria animam statim liberans ab omnibus » Purgatorii pœnis : an verò tantùm indulgentia quædam, » secundùm divinæ misericordiæ beneplacitum applicanda?

» S. Congr., votis Consultorum auditis, respondit : per » indulgentiam Altari privilegiato annexam, si spectetur » mens concedentis et usus clavium potestatis, intelligen» dam esse indulgentiam plenariam quæ animam statim » liberat ab omnibus Purgatorii pœnis ; si verò spectetur » applicationis effectus, intelligendam esse indulgentiam, » cujus mensura divinæ misericordiæ beneplacito et ac» ceptationi respondet. » S. Congr. 28 julii 1840. Vide S. Liguor., lib. 6, n° 534, 10° ; et infra dicenda (4530).

4510. Quærit. 3° Quænam conditiones requirantur ut opus possit in suffragium applicari?

Resp. Requiri : 1° ut opus fiat ab homine viatore, quia post hanc vitam adest nox in *quâ nemo potest operari* (S. Joan., c. 9, v. 4) ; 2° ut opus sit bonum, saltem ex intentione : alioquin Deo non placeret, nec haberet vim aliquid ab illo obtinendi sive agenti sive proximo; 3° ut agens habeat intentionem offerendi pro eo cui est applicandum : alioquin ipse retinet sibi suffragium, cùm sit ipsius opus et sibi censeatur voluisse consulere si in alterius gratiam se agere non proposuerit : unde illa intentio debet opus præcedere, nec sufficit quòd subsequatur (Ferraris, v° *Suffragia*, n° 26); 4° si agatur de suffragio per modum sa-

tisfactionis, oportet ut opus sit voluntarium, alioquin non est satisfactio sed solùm satispassio; porrò qui patienter non sustinet infortunia aut ad Deum non refert, non condignè satisfacit, juxta omnes; 5° opus satisfactorium fieri debet in gratiâ, quia existens in mortali indignus est remissione tam culpæ quàm pœnæ: « Si tradidero corpus meum » ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi » prodest », inquit Apost. (1 Cor. c. 13, v. 3): vide Trid. (sess. 14, c. 8); opus tamen factum in statu peccati mortalis posset adhiberi in suffragium per modum impetrationis, sed de congruo tantùm: v. Bonacina (*De Indulg.* q. 2, punct. 2); et hoc est applicandum præsertim casui quo suffragia fiunt nomine Ecclesiæ, v. g., per sacramentalia, per preces publicas; tunc valida esse possunt etiamsi offerantur ab improbo ministro in peccato mortali existente, quia malitia ministri non nocet operi boni auctoris, quemadmodum enim si rex peteret aliquid per nuntium, dignitas petitionis mensuranda non esset ex dignitate nuntii, sed ex dignitate Principis, ita quando minister Ecclesiæ orat, dignitas Ecclesiæ attendenda est, non verò improbitas ipsius ministri. (Bonacina, *ibid.*)

4511. Preces autem censentur fieri nomine Ecclesiæ quando sunt ab ipsâ institutæ et fiunt à ministro ad id deputato; si verò minister eas non recitet ut minister ad id deputatus, non dicitur orare nomine Ecclesiæ (Bonac., *ib.*, n° 7; Ferraris, v° *Oratio*, n° 6); quidam tamen, inter quos Navarrus, dicunt sufficere quòd preces sint ab Ecclesiâ institutæ; si autem minister eas preces recitet ut minister ad id deputatus, non solùm ipse orat nomine Ecclesiæ, sed etiam omnes qui simul cum eo orant. Vide Lequeux cum pluribus aliis, n° 968.

4512. Contingere etiam potest quòd opus privatum sit satisfactorium et possit in suffragium applicari, etiamsi præstitum fuerit ab eo qui erat in statu peccati mortalis, modò ab eo præstitum fuerit, non ut causa principalis, sed tantùm ut instrumentalis, v. g., si quis in statu gratiæ existens præciperet, per famulum aut amicum in statu peccati mortalis existentem, fieri eleemosynam suo nomine,

hujusmodi eleemosyna esset verè satisfactoria, quia esset opus non famuli aut amici, sed illam imperantis; secus si famulo vel amico mandaret ut suo nomine jejunaret vel oraret, quia talia opera sunt personalia, et illorum causa propria et proxima est necessariò jejunans aut orans, qui, cùm ex hypothesi sit in statu peccati mortalis, opus verè satisfactorium peragere non valet. (Bonacina, *ib.*, n° 9.)

4513. Quærit. 4° An opera merè externa quæ de mandato defuncti post ipsius mortem sunt adimplenda, puta eleemosynæ, restitutiones, independenter ab executorum dispositionibus sint satisfactoria?

Resp. Plures affirmare, ex canone *Qui oblationes* 10, causâ XIII, q. 2, ubi dicitur : « Qui oblationes defuncto» rum retinent... sunt ab Ecclesiâ rejiciendi, quia et fideles » de corpore recedentes votorum suorum plenitudine, et » pauperes consolatu alimoniæ fraudantur. Hi tales quasi » egentium necatores habendi sunt... » Negant alii, quia opera, independenter à piâ intentione exsequentium, non aliam habent efficaciam quàm eam quæ à defuncti voluntate hauserant : ita Suarez, apud Lequeux, n° 967; et Ferraris (v° *Suffragia*, n'° 17, 18).

4514. Quærit. 5° An ille qui, ex injunctâ sibi pœnitentiâ aut aliâ de causâ, tenetur defuncto suffragium præstare, sit obligandus ad opus iterandum, casu quo illud præstitit in statu peccati mortalis?

Resp. Jam nos dixisse supra (3843) sententiam communem esse, juxta S. Liguor. (lib. 6, n° 522), quòd valida sit impletio sacramentalis pœnitentiæ in statu peccati mortalis ; si autem obligatio suffragium præstandi defuncti ex aliâ causâ proveniat, v. g. ex voto, eadem solutio videtur esse danda; contrarium tamen tenet Bonacina (*ibid.*, n° 11).

4515. Quærit. 6° Quænam requirantur ex parte ejus cui suffragia offeruntur?

Resp. Tres saltem conditiones requiri in eo pro quo suffragia offeruntur : 1° ut indigeat suffragio (unde Beatis in cœlo suffragia applicari nequeunt); et idem est dicendum, etiamsi postea indigeret, quia non constat suffragia à Deo

acceptari pro futuro; imò videtur quòd satisfactio à Deo non acceptetur pro futuro, etiam in gratiam ipsiusmet satisfacientis : quomodo enim quis posset solvere debitum nondum contractum?— 2° ut sit in gratiâ : existens enim in mortali indignus est quòd ei remittatur pœna ipsius, etiam peccatis remissis debita;— 3° ut peccata, etiam venialia, pro quibus offertur suffragium satisfactorium, sint jam deleta quoad culpam, nec sufficit quòd postea delenda sint, quia non constat Deum pro futuro tempore suffragium acceptare. Ita ferè communiter, inquit Bonacina (*ib.*, punct. 3, n° 10). — Controvertitur autem an omnes culpæ veniales in ipso instanti mortis deleantur : vide Collet (*De Purgatorio*, cap. 5, n° 53); affirmant Suarez, apud Lequeux (n° 965), et Billuart (*De Pœnitentiâ*, dissert. 3, art. 2, *dices* 2°).

4516. Non requiritur autem ut ille pro quo satisfactio exhibetur, ipsam acceptet : usu enim Ecclesiæ receptum est ut non solùm offerantur suffragia pro defunctis, sed etiam pro amicis absentibus et ignorantibus : ita Suarez et alii contra nonnullos, apud Bonacina (*ib.*, n° 11); Ferraris (v° *Suffragia*, n° 25).

4517. Dubitatur an pro catechumenis offerri possint suffragia et missa celebrari : negat Suarez, etsi fateatur privata suffragia posse iis applicari; alii affirmant, et in probationem afferunt S. Ambrosium qui sacrificium obtulit pro Valentiniano Catechumeno. Vide Lequeux, n° 965.

4518. Ex dictis collige quòd, quando suffragia fiunt in gratiam ejus qui iis actu non indiget, vel qui est in statu peccati mortalis, illa tunc vel convertuntur in utilitatem offerentis si iis indigeat, vel reponuntur in thesauro Ecclesiæ, de quo infra dicturi sumus : Bonacina (*ib.*, n° 6). — Vide dicta supra de applicatione fructûs missæ (3527, 3528).

4519. *Nota* quòd ex speciali privilegio ab Urbano V Ordini Minorum concesso, et aliis Ordinibus communicabili : « Generales et Provinciales totius Ordinis Minorum » possint communicare suffragia, Indulgentias, Orationes » et bona spiritualia benefactoribus Ordinis. » Et id com-

muniter fieri solet per concessionem litterarum quas vocant *Filiantias*, seu litteras *filiationis*, vel *fraternitatis* aut *suffragia Ordinis*. Hujusmodi litteras obtinentes, tam per modum impetrationis quàm satisfactionis adjuvantur; si enim salvatæ fuissent urbes Pentapolæ, casu quo decem justi in ipsis fuissent inventi, cur precibus et satisfactionibus sanctorum religiosorum, remissionem pœnæ temporalis et gratias salutis non obtineremus?

1520. Insuper concessione Clementis VIII factâ Minimis, et aliis Ordinibus pariter communicabili, regulares possunt per unicam missam à pœnis Purgatorii liberare eos qui dictas litteras *affiliationis* obtinuerunt. Vide Ferraris, v° *Suffragia*, n^is 27-31.

CAPUT XI.

DE INDULGENTIIS.

1521. Dicendum 1° de naturâ, existentiâ et divisione Indulgentiarum; 2° de iis à quibus sunt dispensandæ; 3° quis eas possit percipere; 4° de earum duratione, cessatione, suspensione aut translatione; 5° de præcipuis indulgentiis; 6° de Confraternitatibus.

ART. I.

DE NATURA, EXISTENTIA ET DIVISIONE INDULGENTIARUM.

1522. Vox *Indulgentia* à verbo *indulgere* derivatur, quia per illarum concessionem indulgetur remissio pœnæ temporalis.

Ut doctrina Ecclesiæ circa naturam et effectus Indulgentiarum plenè innotescat, quædam principia dogmatica sunt in memoriam revocanda:

1° Non solùm peccatum maculat animam sed etiam pœnam meretur: æternam quidem si peccatum sit mortale, temporalem verò si tantùm sit veniale. Insuper si peccatum sit mortale, ita animam maculat ut illam gratiâ sanctifi-

cante et Dei amicitiâ spoliet, quod non contingit quando peccatum est veniale. (Trid., sess. 24, c. 5.)

4523. — 2° In justificatione peccatoris deletur sanè peccatum quoad maculam seu culpam, remittitur insimul pœna æterna peccato mortali debita, sed non semper, saltem extra Baptismi receptionem, condonatur omnis omnino pœna, sed pœna æterna commutatur in pœnam temporalem, vel in hâc vitâ vel in alterâ subeundam: « Impunita (enim) peccata, ait S. August. (*enarr. in Psalmum* 50, n° 11), etiam eorum quibus ignoscis non reliquisti. » Vide etiam Trident. (sess. 6, can. 30; et sess. 14, cap. 8).

4524. — 3° Hujus autem pœnæ temporalis remissio, deleto peccato, obtinetur in hâc vitâ, variis modis: 1° medio pœnitentiarum quas unusquisque sponte sibi imponit, vel quæ ipsi à confessario in sacro tribunali imponuntur; 2° tolerantiâ infirmitatum, miseriarum ac calamitatum vitæ præsentis, patienter et cum humili resignatione sustentarum; 3° bonis operibus in statu gratiæ peractis: omnia enim opera pia, in statu gratiæ facta, non solùm sunt meritoria vitæ æternæ, sed insuper, ut supra diximus (4504), sunt satisfactoria, quatenus nempe sunt pœnalia; 4° quia sæpe diversa illa media non sufficiunt ad omnimodam deletionem pœnæ temporalis peccatis debitæ, propter illorum peccatorum multitudinem aut enormitatem, superest ut adhibeatur quartus modus dictam pœnam delendi, nempe usus Indulgentiarum.

4525. Nomine igitur *Indulgentiarum* intelligitur: *Remissio pœnæ temporalis, quæ post culpam et pœnam æternam condonatam luenda superest, à legitimo Superiore, extra sacramentum concessa, per applicationem satisfactionum Christi et Sanctorum:* ita communiter, saltem quoad rem.

Dicit. 1° *Remissio pœnæ temporalis:* nam Indulgentia, nec peccatum nec pœnam æternam remittit, nec etiam gratiam infundit: unde multum differt à sacramentis.

4526. Dicitur 2° *Quæ luenda superest:* propriè enim indulgentia remittit pœnam quæ, peccato remisso, luenda coram Deo superest, nec tantùm pœnam ab Ecclesiâ impositam,

vel quæ ab eâ imponi posset : unde quorumdam neotericorum opinio excluditur, dicentium cum Synodo Pistoriensi, *indulgentiam secundùm suam præcisam notionem non esse aliud quàm remissionem partis pœnitentiæ quæ per canones statuta erat peccanti :* « Quæ propositio sic intel- » lecta quasi indulgentia, *præter nudam remissionem pœnæ* » *canonicæ,* non etiam valeat ad remissionem pœnæ tem- » poralis debitæ apud *divinam justitiam,* declaratur *falsa,* » *temeraria, Christi meritis injuriosa, ac dudum in arti-* » *culo 19 Lutheri damnata.* » Ita Bulla *Auctorem fidei*, n° 40.

4527. Dicitur 3° *Post culpam et pœnam æternam condonatam :* quamdiu enim peccatum remanet, remitti nequit pœna etiam temporalis ipsi debita ; unde Benedictus XIV (*De Syn.*, lib. 13, cap. 18, n° VII) ut apocryphas tradit indulgentias quibus absolutio *à pœnâ et culpâ* concedi dicitur, quia Sedes Apostolica, ut ait Card. Cusanus, Germaniæ Legatus, nunquam verbis *à pœnâ et culpâ* indulgentias dare consuevit : si tamen, inquit Pontifex, monumentum tale authenticum repertum fuerit, congruâ explicatione est exponendum, v. g., quòd per culpæ remissionem intelligatur facultas concessa absolvendi à reservatis, aut eligendi confessarium, aut quòd per remissionem pœnæ efficaciùs culpa remittatur. Vide *Chrétien éclairé* (p. 12, *in notâ, 4ª edit.*).

4528. Dicitur 4° *à Legitimo Superiore*, ut distinguatur ab applicatione suffragiorum per privatos factâ, de quâ in præcedenti Capite (4498, etc.), aut etiam factâ à Prælatis religiosis per *Litteras affiliationis,* de quibus *ibidem* (4519): quia tales Prælati non sunt Superiores eorum quibus concessæ fuêre hujusmodi *affiliationis Litteræ.*

Dicitur 5° *Extra sacramentum :* ut indulgentia distinguatur à remissione pœnæ temporalis quæ fit in sacramento Pœnitentiæ, aut per missæ Sacrificium.

4529. Dicitur 6° *Per applicationem satisfactionum Christi et Sanctorum*, quibus constat id quod à theologis vocatur *Thesaurus Ecclesiæ.*

Hæc applicatio fit vel per *modum absolutionis*, erga *sub-*

ditos Ecclesiæ, quo sensu intelligi debet cap. *Quod autem* 4, *de pœnit. et remiss.*, vel *nudæ solutionis* erga non subditos, ut defunctos et catechumenos, quibus proinde indulgentiæ dantur tantùm per modum suffragii, prout fit pariter quando Papa aut Episcopus participat indulgentiæ à seipso datæ. Ita Busembaum, apud S. Liguor., lib. 6, n° 531; Lequeux, n° 928; Billuart, *ib.*, art. 3, *petes* 2°; Theologia Tolosana, art. 4.

4530. « Hic autem notandum..., inquit S. Liguorius » (lib. 6, n° 531, 10°), quòd licet effectus indulgentiarum » pro vivis sit infallibilis, non est tamen infallibilis pro » defunctis, cùm nulla adsit promissio : unde Deus acceptat » tantùm ad suum beneplacitum. » Vide supra (n° 4509).

4531. Exstare certò in Ecclesiâ dictum *thesaurum*, multis argumentis, contra Valdenses, Wicletistas et Protestantes, potest demonstrari; sufficiat referre : 1° verba Clementis VI (Extrav. comm. *Unigenitus* 2, lib. 5, *de pœnit. et remiss.*): « Unigenitus Dei Filius... ut haberet unde... pro (homine) » satisfaceret Deo... non guttam sanguinis modicam quæ... » pro redemptione totius generis humani suffecisset, sed » copiosè velut quoddam profluvium noscitur effudisse..; » Quantum ergò exinde ut nec supervacua... tantæ effu- » sionis miseratio redderetur, thesaurum militanti Ecclesiæ » acquisivit, volens suis thesaurizare filiis pius pater... » Quem quidem thesaurum, non in sudario repositum, » non in agro absconditum, sed per B. Petrum, Cœli cla- » vigerum, ejusque Successores suos in terris Vicarios » commisit fidelibus salubriter dispensandum, et propriis » et rationabilibus causis, nunc pro totali nunc pro partiali » remissione pœnæ temporalis pro peccatis debitæ tam gene- » raliter quàm specialiter... verè pœnitentibus et confessis » misericorditer applicandum ; ad cujus quidem thesauri » cumulum, Beatæ Dei Genitricis, omnium electorum (satis- » factiones)... adminiculum præstare noscuntur : de cujus » consumptione seu minutione non est aliquatenus formi- » dandum, tùm propter infinita Christi... merita, quàm » pro eo quòd quantò plures ex ejus applicatione trahun- » tur ad justitiam, tantò magis accrescit ipsorum tumulus

» meritorum... » Per merita hîc intelligenda sunt opera satisfactoria quæ simul sunt meritoria; ut supra diximus(4504).

2° Damnationem proposit. 41 Synodi Pistoriensis in quâ asserebatur : « *Scholasticos suis subtilitatibus inflatos invexisse thesaurum malè intellectum meritorum Christi et Sanctorum, et claræ notioni absolutionis à pœnâ canonicâ substituisse confusam et falsam applicationis meritorum :* » quasi thesaurus Ecclesiæ unde Papa dat indulgentias, non » sint merita Christi et Sanctorum : *Hæc falsa, temeraria, Christi et Sanctorum meritis injuriosa, dudum in art.* 17 » *Lutheri damnata.* »

4532. Quod thesaurus ille possit constare ex satisfactionibus Christi, facilè concipi potest, cùm sint superabundantes et sufficientes ad expiationem peccatorum, non solùm hujus mundi, sed etiam mundorum infinitorum si existerent. Nec dicas malitiam peccati esse infinitam : nam etsi infinita sit relativè ad majestatem divinam quam offendit, est tamen finita quoad eum à quo committitur : dumècontra satisfactiones Christi sunt infinitæ quatenus ab ipso peraguntur, et sic earum valor est inexhaustus ac indeficiens; alioquin quomodo pro pluribus peccatis sufficerent?

4533. Nec etiam est difficile intelligere quomodo dictus thesaurus conflетur etiam ex satisfactionibus Sanctorum : ad hoc enim sufficit quòd etiam in Sanctis possint aliquandò inveniri satisfactiones superabundantes : atqui illud certò contingere potest : sic B. Virgo multos peregit actus satisfactorios quibus tamen nullo modo indiguit, cùm nec minimum peccatum unquam commisit; sic plures Sancti multa perpessi sunt, et ferè nulla peccata, ne quidem levissima commiserunt, quales S. Joannes Baptista, S. Stanislaus, S. Ludovicus Gonzaga, etc. Circa quod notandum est damnatam fuisse à S. Pio V propositionem sequentem : « Solius Christi satisfactionibus remitti pœnam temporalem : Sanctorum autem passiones offerri Deo, ut Deus, » illorum intuitu, applicet nobis merita Christi » (*Chrétien éclairé*, etc., p. 26, 4ᵉ édit.).— Insuper, ut diximus supra (4518), in dictum thesaurum reponuntur etiam satis-

factiones eorum qui actu iis non indigent, item si illi quibus applicantur opus iis non habeant, aut si earum non sint capaces; rationi enim parum congruere videretur quòd hujusmodi satisfactiones remanerent inutiles.

Nec objicias inutilem esse illam commixtionem nostrarum satisfactionum cum Christi satisfactionibus, cùm istæ sint superabundantes; imò Christi meritis esse injuriosam, cùm sic videantur insufficientia nostræ redemptioni. —Nam etsi Christi satisfactiones sint pretii infiniti, Christus tamen voluit illas esse unicuique applicandas modo tantùm finito; proinde ipsis adjungi possunt, si ita Deo placeat, satisfactiones justorum; et in hoc nulla fit Christo injuria: imò hoc ipsi est honorificum, cùm opera Sanctorum hanc efficaciam hauriant ex Christi meritis; et sic istorum virtutem et excellentiam commendant.

4534. Ubinam autem existat ille thesaurus? — Non potest existere in loco determinato, cùm res sit spiritualis, sed communiter auctores docent illum esse in mente Dei qui recordatur satisfactionum Christi et Sanctorum, et efficaciter movetur ad misericordiam præstandam iis quibus applicantur ab Ecclesiâ. (Theol. Tolos.)

4535. Quærit. 1° An Christus verè Ecclesiæ dederit potestatem indulgentias concedendi?

Resp. Affirmativè, et propositio est de fide, ut patet ex Concil. Trident. (sess. 25, in *Decreto de Indulgentiis*), ubi dicitur : « Sacrosancta Synodus... eos... anathemate damnat qui (indulgentias) aut inutiles esse asserunt, vel eas concedendi in Ecclesiâ potestatem esse negant. » Hæc veritas fundatur verbis Christi : « Tibi dabo claves », etc. (S. Matth., c. 16, v. 19); et S. Joan. c. 21, v. 17. Vide etiam 2 Cor., c. 2, v. 7 et 8.

4536. Hanc potestatem Ecclesia exercuit etiam in suis primordiis, cùm pœnitentes ab ipsâ obtinebant relaxationem pœnæ ipsis impositæ, virtute litterarum commendatitiarum quas obtinebant à Martyribus in carcere detentis, et quibus ipsi martyres suas petebant applicari satisfactiones ad dictæ pœnæ relaxationem, prout colligitur ex

Tertulliano et S. Cypriano.— Vide Theol. Tolos. et alios theologos.

Unde patet quàm immeritò Protestans Kemnitius primum usum concessionis indulgentiarum in Ecclesiâ, anno 1200, ascripserit : minus tamen frequens fuit in primis sæculis dispensatio Indulgentiarum, quia in hâc ferventissimâ ætate, utilius erat Ecclesiæ quòd fideles sinerentur perlustrare varios pœnitentiæ canonicæ gradus. In his autem tepiditatis temporibus, utilius est ècontra ut ad pœnitentiam misericorditer adducantur peccatores, ne difficultate salutem operandi irretiti, habenas omnibus vitiis magis laxent et in abyssum se conjiciant. (*Chrétien éclairé*, p. 32.)

1537. Quærit. 2° Qualiter dividantur Indulgentiæ?

Resp. 1° Dividi in *plenarias et partiales. Plenariæ*, iis qui sufficientes habent dispositiones, totam pœnam temporalem pro peccatis commissis debitam remittunt; aliquando in Bullis plenaria indulgentia dicitur *plenior vel plenissima* : non quia majorem partem pœnæ temporalis tunc remittit, sed quia aliquando majora privilegia ei annexa sunt, v. g., potestas absolvendi à reservatis, etc. Vide Theol. Tolos. — Præcipua indulgentia hujusmodi est Jubilæum, de quo infra.

1538. *Partiales* verò partem duntaxat pœnæ tomporalis condonant. Quænam autem sit illa pars? — Hoc non est determinandum ex verbis quibus utitur Ecclesia in concessione hujusmodi Indulgentiarum; solent enim concedi partiales indulgentiæ per determinationem certorum dierum, annorum, etc. : v. g. 40, 100 dierum, viginti, quinquaginta annorum, septem aut decem quadragenarum, etc. : porrò ex similibus verbis non est concludendum quòd tot dies, aut anni, aut quadragenæ pœnæ purgatorii remittantur ei qui tales indulgentias lucratur, sed solummodo per dicta verba intelligi debet quòd ei condonetur ea pœnæ purgatorii pars, quæ correspondet adimpletioni pœnarum canonicarum quas Ecclesia olim imponebat, per 40 aut 100 dies, per 20 aut 50 annos, per 7 aut 10 *quadra-*

genas, *aut carenas* [1]. — Quænam verò sit pars pœnæ Purgatorii quæ talibus pœnitentiis respondet, penitus ignoratur, et est Dei secretum : major est certè vel minor, prout adimpletio earum pœnitentiarum peracta fuit cum majore vel minori fervore. Vide Theologos.

1539. Ut falsas aut saltem valde suspectas, probatissimi auctores cum Bened. XIV (*De Syn.*, lib. 13, cap. 18, n° VIII) tenent indulgentias numeri annorum excessivi : v. g., mille, decem millia annorum, etc. : nunquam enim Ecclesia solita est tales indulgentias concedere; unde meritò habenda sunt ut commenta quæstorum, qui ante Concil. Tridentin. eleemosynas colligebant. S. Pius V, anno 1567, omnes indulgentias à quæstoribus religiosis evulgatas revocavit; Concil. Trid. (sess. 21, cap. 9 *de ref.*) jam antea statuerat omnes indulgentias esse *gratis* concedendas; Decreto verò 18 sep. 1669 indulgentiæ mille annorum ut apocryphæ declaratæ fuêre. (*Chrétien éclairé*, p. 73, 4ª edit.)

1540. — 2° In indulgentias *locales, reales et personales*: *locales* dicuntur quæ affixæ sunt loco determinato, v. g. ecclesiæ, altari, calvario, imagini vel statuæ loco permanenter adhærenti; — *reales* quæ rebus piis mobilibus alligantur, crucifixis videlicet, numismatibus, coronis, rosariis, etc.; hujusmodi indulgentiæ sunt etiam, saltem ordinariè, quasi omninò personales, cùm ferè semper soli earum rerum domini indulgentias ipsis alligatas lucrari valeant : unde quando quis commodat aut donat alteri coronam, non ideo transfert indulgentiam ipsi inhærentem : ita expressè Innocent. XIII, anno 1721, ap. Lequeux (n° 931); — *personales* tandem vocantur quæ uni vel pluribus conceduntur : personæ autem quibus indulgentiæ hujusmodi sunt concessæ, ipsas lucrari possunt ubique, adimplendo conditiones pro ipsis impositas.

1541. — 3° In *perpetuas et temporarias* : perpetuæ sunt quæ pro semper usque ad revocationem conceduntur : tales etiam sunt habendæ quæ ad *beneplacitum Romani*

[1] Per *Quadragenam* intelligi debet jejunium Quadragesimæ; *Carena* dicebatur si jejunium fuisset ferè semper cum solo pane et aquâ.

Pontificis aut Sanctæ Sedis fuerunt elargitæ; *temporariæ* autem dicuntur quæ pro tempore determinato, v. g., pro triennio, quinquennio, etc., datæ sunt : elapso autem tempore determinato, cessant et tempus computari debet à die datæ Rescripti, non verò à die ipsius evulgationis aut receptionis (S. Congr. Indulg. anno 1711, à Clem. XI approb.); attamen si esset quæstio de Rescripto altare privilegiatum temporaliter indulgente pro *regionibus longinquis*, « tempus non à die datæ, sed à die præsentationis » esset computandum in regionibus remotis tantùm. » Decret. 4 febr. 1736.—V. *Chrétien éclairé*, p. 83, 4ᵉ edit.; et Theolog. Tolos.

1542.—4° Denique inter indulgentias, aliæ solis viventibus conceduntur, aliæ solis defunctis, aliæ simul viventibus et defunctis.

ART. II.

QUIS IN ECCLESIA POSSIT INDULGENTIAS CONCEDERE.

1543. Cùm Indulgentiarum concessio sit thesauri Ecclesiæ dispensatio, et simul, saltem erga viventes, actus sit absolutionis quo solvitur, vel in parte vel in toto, temporalis pœna quæ, remisso peccato, superest luenda, requiritur in eo, qui indulgentias concedit, auctoritas sufficiens in dictum thesaurum, et jurisdictio in eos qui hâc pœnâ temporali absolvuntur; porrò talem auctoritatem et jurisdictionem in Ecclesiâ habent :

1544. — 1° S. Pontifex pro toto mundo : « Totus iste » thesaurus meritorum Christi et Sanctorum, inquit » S. Thomas (*Quodl.* 2, q. 8, art. 16), est in dispensatione » ejus qui præest generali Ecclesiæ : unde Petro Dominus » claves regni cœlorum commisit (Matth., 16). Quando » ergo utilitas vel necessitas ipsius Ecclesiæ exposcit, » potest ille qui præest Ecclesiæ de istâ infinitate thesauri » communicare alicui, qui per charitatem fit membrum » Ecclesiæ..., in quantum sibi visum fuerit opportunum, » vel usque ad totalem remissionem pœnarum, vel usque ad aliquam certam quantitatem. » — « Solus Papa,

» inquit Ferraris, habet claves thesauri Ecclesiæ: com-
» munis. » (V° *Indulgentia*, art. 2, n° 31.)

4545. — 2° Concilium œcumenicum, etiam pro universo mundo.

4546. — 3° Omnes etiam quibus S. Pontifex aut Concilium œcumenicum hanc communicant potestatem: cùm enim actus concedendi indulgentias non sit ordinis, sed jurisdictionis, siquidem per eum non infunditur gratia prout fit in sacramentis, sed solùm dissolvitur vinculum pœnæ temporalis, per dispensationem thesauri satisfactionum Christi et Sanctorum, oblatarum Deo in compensationem injuriæ ipsi per peccatum illatæ, illum actum exercere possunt non solùm qui ad ordines hierarchicos promoti sunt, sed et omnes qui ad hunc exercendum à legitimo Superiore deputantur, juxta quantitatem tamen et limites ab ipso determinatos, unde:

4547. — 4° Episcopi, licet nondum consecrati, modò sint canonicè instituti et possessionem suæ diœcesis assumpserint, possunt indulgentias concedere per se aut delegatos, ex jure ecclesiastico et non divino, ut ait Ferraris (*ib.*, art. 2, n° 5), et Billuart (art. 3); plures tamen contradicunt: vide Collet, cap. 3, n° 69. Sed juxta disciplinam hodiernam, ab œcumenico Concil. Lateran. IV statutam, anno 1215, unum tantùm annum, die Dedicationis aut Consecrationis ecclesiæ, et cæteris temporibus quadraginta duntaxat dies indulgentiarum concedere valent Episcopi (cap. *Cùm ex eo* 14, *de pœnit. et remiss.*)[1]: et hoc quidem solummodo erga subditos, uti est videre cap. 4 *Quod autem*, ejusdem tituli. Unde has indulgentias concedere nequeunt Episcopi *in partibus infidelium*, aut solummodo titulares aut demissionarii, eò quòd nullos habent subditos proprios (Vide *Chrétien éclairé*, p. 38, 4ª édit.). — Si tamen Episcopus proprios habens subditos, indulgentiam concedat alicui loco, altari, etc., hujusmodi indulgentia acquiri potest etiam ab alienigenis locum, altare, etc., visitantibus. — Clemens au-

[1] Quidam apud Collet, cap. 3, n° 82, volunt ampliores indulgentias posse concedi ab Episcopis in foro Pœnitentiæ, sed hoc non videtur benè probari.

tem IX, Decreto 20 nov. 1668, prohibuit ne locus (vel res pia) jam aliquâ indulgentiâ ab Episcopo donatus, rursus, eâ indulgentiâ perseverante, aliâ eâdem indulgentiâ etiam à Successoribus dicti Episcopi locupletaretur (*Chrétien éclairé*, p. 39, 4e édit. Vide insuper dicta supra 1020-1022 et infra, App. XVII).

1548. Item DD. communiter docent Episcopos ac Prælatos inferiores non posse defunctis indulgentias applicare (*Chrétien éclairé*, *ib.*, p. 63).

1549. — 5° Ultra indulgentias quas concedere possunt in suis respectivè diœcesibus, si sint Episcopi aut Metropolitani, Cardinales valent, etiam per delegatos, concedere indulgentiam 100 dierum in ecclesiâ sui tituli, quamvis non sint Episcopi nec sacerdotes.

1550. — 6° Item ex concessione Innocent. XI in Const. *Romanus Pontifex*, et Bened. XIV in Constit. *Pastor bonus*, potest Magnus Pœnitentiarius, etiam per delegatos, concedere 100 dies indulgentiarum iis qui se pœnitentiali virgâ tangendos piè reverenterque in tribus Urbis Basilicis submiserint. Vide Ferraris, v° *Indulgentia*, n's 23, 24.

1551. — 7° Diximus supra (834) Archiepiscopum posse in totâ Provinciâ suâ, etiam extra casum visitationis, indulgentias concedere. (Ex cap. *Nostro*, *de pœnit. et remiss.*)

1552. — 8° Quoad Vicarios Generales aut Capitulares, Sede vacante, Prælatos inferiores, Generales Ordinum, Provinciales, Abbates, etc., nullam habent, ex jure communi, potestatem indulgentias concedendi (Cap. *Accedentibus* 12, *de excess. Prælat.*). Vide dicta supra (1259).

1553. Habent quidem Generales Ordinum et Provinciales facultatem communicandi suffragia Ordinis sui, etiam satisfactoria per litteras *Filiationis*, ut supra (1519); sed hæc communicatio, quamvis magnam habeat affinitatem cum indulgentiis, non est tamen propriè indulgentia, cùm in hoc casu, satisfactiones communicatæ, è thesauro Ecclesiæ non hauriantur, sed proveniant ex concessione religiosorum qui distributionem suarum singuli satisfactionum Superioribus suis commiserunt: « dicendum, inquit Suarez » (*disp.* 55, sect. 5, n° 2), quidquid in hoc genere Prælati

» religiosorum aut possint aut faciant, solùm esse suf-
» fragiorum oblationes, seu donationes, non verò indul-
» gentiarum concessiones. » Adde quòd, per hujusmodi communicationem, non applicentur satisfactiones præteritæ quæ in thesauro Ecclesiæ jam repositæ sunt, sed opera tantùm futura, et quidem non per modum jurisdictionis et absolutionis, ut fit per indulgentias, cùm talem non habeant jurisdictionem in exteros Prælati religiosi, sed per modum solutionis duntaxat. Vide Billuart, *de Indulg.* (art 3, *Dices*, etc.).

4554. Quærit. 1° An Superiores ecclesiastici possint, sinè justâ causâ, licitè aut saltem validè indulgentias concedere?

Resp. Negativè : et constat ex Extravag. *Unigenitus*, suprà relatâ (4531), ubi Clemens VI declarat à Christo commissam fuisse Petro ejusque Successoribus, Vicariis suis, *salubrem dispensationem* thesauri Ecclesiæ nempe *ex propriis et rationabilibus causis.* — Præterea S. Pontifex non est dominus sed tantùm dispensator thesauri Ecclesiæ; at dispensator non potest licitè largiri bona sibi commissa absque causâ rationabili, alioquin potiùs erit dissipator quàm dispensator; ergo, etc. — Quòd autem nec etiam validè possit dispensare, probatur ex eo quòd Papa nequeat validè dispensare à jure divino sinè sufficienti causâ, ut patet de voto et juramento : porrò jure divino tenetur peccator Deo persolvere pœnam temporalem quæ superest luenda post peccatum dimissum; ergo ut super hâc obligatione dispenset S. Pontifex, prout facit indulgentias elargiendo, opus est causâ sufficienti. (Theol. Tolosan.)

4555. Asserit tamen Billuart indulgentiam, sinè causâ sufficienti concessam, esse validam, saltem quantùm ad privilegia ei annexa quæ sunt juris ecclesiastici, ut est facultas absolvendi à reservatis : quia Papa potest semper validè, quamvis illicitè, dispensare in iis quæ sunt juris ecclesiastici tantùm (*de Indulg.*, art. 4).

4556. « Communis est sententia, inquit S. Liguor. (lib. 6,
» n° 532), concessionem indulgentiarum sinè causâ esse
» illicitam et invalidam...; an verò causa debeat esse pro-

» portionata? Negant aliqui apud Suarez...., sed veriùs » affirmant Suarez, etc....: nec obstat D. Thomas, in 4°, » 28, q. 1, art. 3...; nam ibi S. Doctor negat requiri æqua- » litatem operum cum pœnâ debitâ culpis, non autem » proportionem cum culpâ. Idem sentit Bellarminus...; » sed benè advertit non esse subditorum judicare utrum » causa justa sit vel non; debent enim simpliciter exis- » timare justam esse. »

1557. « Ad hanc autem proportionem duo præsertim » requiruntur, inquit Theologia Tolosana (*de Indulg.*, » cap. 1, art. 3, prop. 2, *quæres*): 1° ut concedatur in- » dulgentia ob pium aliquem finem, cujus assecutio sit » magis Deo honorifica et Ecclesiæ utilis quàm Pœniten- » tialis satisfactio quæ per indulgentiam relaxatur; 2° ut » ad indulgentiam illam percipiendam opus aliquod præs- » cribatur, quod aptum sit et utile ad finem illum asse- » quendum: v. g., quando S. Pontifex aliquas preces et » alia pietatis opera pro hæreseon extirpatione et chris- » tianorum Principum pace præcipit, finis quem sibi pro- » ponit S. Pontifex... est procul dubio maximè Deo hono- » rificus et Ecclesiæ utilis; item opera ad finem illum » obtinendum injuncta ad id aptissima sunt, ut per se » patet: et sic servatur proportio. »

1558. Aliquando tamen concessæ fuêre aut etiam conceduntur adhuc indulgentiæ absque injunctione operis, quando nempe assecutio finis indulgentiæ non pendet ab opere: sic olim, absque injunctione operis, concedebantur indulgentiæ ad preces martyrum in carceribus detentorum ut fideles cernentes tanti fieri illorum preces accenderentur ad illos imitandum: sic pariter quandoque absque injunctione operis conceditur indulgentia, in articulo mortis, hominibus de Ecclesiâ benè meritis, quia merita præcedentia, juncta cum extremâ necessitate, causa videntur sufficiens; maximè cum exindè fideles excitentur ut similiter benè mereantur de Ecclesiâ. Vide Billuart (*de Indulg.*, art. 4, *dico* 1°, v° *Dixi*, etc.).

1559. In his casibus, ut patet, adest semper legitima causa, quæ reverà semper adesse debet: alioquin nulla

esset ratio cur Ecclesia non statim omnem pœnam temporalem remitteret omnibus verè pœnitentibus, et cur etiam non statim totum Purgatorium evacuaret : porrò, inquit Ferraris cum aliis multis (vº *Indulgentia*, nº 30), « non » potest Papa tot et tantas concedere indulgentias defunc» tis applicandas, ut totum Purgatorium evacuet, quia non » potest esse rationabilis causa tantæ concessionis.... »; asserere enim quòd hoc possit Papa, pergit auctor, « est alie» nissimum ab opinione et persuasione fidelium, nomina» tim S. Thomæ, in 5, dist. 45, q. 2, art. 2 » Et meritò quidem, quia si tam facilè à Purgatorio animæ fidelium eripi valerent, non multùm formidaretur hic expiationis locus ; proinde non multa cura adhiberetur ut vitarentur peccata, nec variis modis, in hâc vitâ, pro illis commissis satisfieret justitiæ divinæ.

4560. Quærit. 2º Quænam statuta fuerint ab Ecclesiâ ut constaret de authenticitate indulgentiarum?

Resp. Multâ sollicitudine invigilasse Ecclesiam ut nonnisi authenticæ indulgentiæ promulgarentur.

Sic 1º Trident. Synodus (sess. 21, *de reformat.*, c. 9) sancivit ne indulgentiæ per alios indicerentur quàm per Episcopos seu Ordinarios locorum : « Indulgentias verò » aut alias spirituales gratias, quibus non ideò Christi » fideles decet privari, deinceps per Ordinarios locorum, » adhibitis duobus de Capitulo, debitis temporibus populo » publicandas esse decernit. » Deinde eadem S. Synodus (sess. 25, *Decret. de Indulg.*) « mandat omnibus Episco» pis, ut diligenter quisque hujusmodi abusus Ecclesiæ » suæ (*circa indulgentias*) colligat, eosque in primâ Synodo » Provinciali referat, ut aliorum quoque Episcoporum » sententiâ cogniti, statim ad summum Romanum Ponti» ficem deferantur » : quod in relatione statûs suarum Ecclesiarum omittere non debent, si Synodus Provincialis non adunetur. Vide *De Syn.*, lib. 13, cap. 18, I, *in fine*.

4561. Sic 2º Clemens IX, Constit. *In ipsis Pontificatûs*, § 2, anno 1669, Congregationem Indulgentiarum instituit, cui auctoritatem tribuit « falsas, apocryphas, indiscre» tasque indulgentias typis imprimi vetandi, impressas

» recognoscendi et examinandi, ac ubi, Nobis seu Ro-
» mano Pontifici pro tempore existenti, retulerit, Nostrâ
» seu illius auctoritate rejiciendi. »

His consonant quæ sancitæ fuêre in regulis Indicis, § 3, nº 12, ubi dicitur : « Indulgentiarum libri omnes, diaria, » summaria, libelli, folia, etc., in quibus earum conces- » siones continentur, non edantur absque licentiâ S. Con- » gregationis Indulgent. » Requiritur insuper licentia Ordinarii, ut diximus supra (1022).

1562. Ab Episcopo Petrocorensi consulta circa sensum præfatæ regulæ Indicis, S. Congreg. Indulgentiarum sic respondit (14 decemb. 1837)[1] : « 1º S'il est question d'une » indulgence accordée par un Bref ou par un Rescrit Apos- » tolique, ou d'un recueil d'indulgences tirées d'un autre » recueil déjà publié avec l'approbation de la Sacrée Con- » grégation, l'Evêque peut autoriser l'impression et la » publication de cette indulgence ou de ce sommaire d'in- » dulgences, pourvu qu'il n'existe pas de défense spéciale » et formelle concernant certains catalogues d'indulgences.

» 2º Econtra verò si sermo sit de summario, vel anteà » collecto sed nunquam approbato, vel nunc primùm ex » diversis concessionibus colligendo, requiritur expressa » S. Congregationis Indulgentiarum licentia. »

1563.—3º In Decreto 14 aprilis 1856, Pius IX mandavit ut omnes per orbem Ordinarii « satagant ut Decreta à » S. Congregatione salubriter edita, ac præsertim super » earumdem Indulgentiarum publicatione et impressione » observentur, imprimis verò Decretum sub die 19 januar. » 1756 latum, et à S. M. Bened. PP. XIV die 28 ejusdem » mensis approbatum, quod ita se habet : *Cùm experientiâ* » *quotidie comperiatur complures Indulgentiarum conces-* » *siones generales expediri, insciâ ipsâ sacrâ Congregatione,* » *ex quo multi promanant abusus, ac confusiones*, re ma- » turè perpensâ, præsenti Decreto declaravit impetrantes » posthæc hujusmodi generales concessiones, teneri sub

[1] Gallico idiomate hanc Responsionem saltem ex parte tradimus prout eam legimus in opere cui titulus : *Le Chrétien éclairé*, etc. (p. 118, 4ª edit.)

» nullitatis pœnâ, gratiæ obtentæ exemplar earumdem
» concessionum ad Secretarium ejusdem S. Congrega-
» tionis deferre. »

4564. Cùm in hoc Decreto sermo sit duntaxat de *concessionibus generalibus*, non est obligatio deferendi Secretario Sacræ Congregationis Indulgentiarum exemplar Rescriptorum in quibus continentur solummodo concessiones particulares.

Nihilominus etiam ista posteriora Rescripta, si per ea alicui parochiæ, collegio, confraternitati, etc., indulgentiæ conferantur, non sunt fidelibus notificanda, nisi postquam constiterit de illorum authenticitate per Episcopum aut ipsius Vicarium Generalem, prout supra diximus (4560), juxta præscriptionem Concil. Trident. (sess. 21, c. 9, *de ref.*). Vide etiam supra (70).

4565. Hæc autem formalitas non est de necessitate, sed de decentiâ tantùm, quando agitur de concessionibus personalibus, prout sunt indulgentiæ pro articulo mortis, altaris privilegati, facultas coronas deprecatorias, numismata, etc., benedicendi, nisi tamen aliter statuat rescriptum[1].

S. C. Indulg. ab Archiepiscopo Rothomagensi consulta:
« Utrum indulgentiæ, privilegia et facultates personales, id
» est quæ alicui personæ privatæ conceduntur, v. g. Indul-
» gentia pro articulo mortis, Indultum personale altaris
» privilegiati, facultas benedicendi coronas B. M. Virginis
» cum applicatione Indulgentiarum, sint pariter nulla et
» nullius valoris quamdiu Episcopus loci illa non reco-
» gnovit et executioni mandari permisit? — S. Congreg.
» respondit: *Negativè* » (die 31 aug. 1844).

A quodam verò sacerdote diœcesis Valentin. consulta:
« Utrum qui obtinet diversas facultates ab Apostolicâ Sede,
» scilicet altaris privilegiati personalis, erigendi stationes Viæ
» Crucis, benedicendi cruces, numismata, debeat exhibere
» Ordinario, etiamsi nulla mentio facta sit in concessionum
» rescriptis? — S. Congr. respondit: *Affimativè quoad Viæ*

[1] Solent hodie hujusmodi Rescripta sequentem continere clausulam:
« *Ac de tui Ordinarii consensu quem nisi obtinueris has litteras nullas*
» *volumus.* »

» *Crucis erectionem, negativè relatè ad alias facultates*, nisi
» aliter dispositum sit in obtentis concessionibus » (die 5 febr. 1846). Vide *Chrétien éclairé*, etc. (p. 114, 115, 4ᵉ édit.), et dicta supra (754, 779).

1566. Juxta tamen responsionem S. Congr. Indulg., sub die 31 aug. 1844, ad eumdem Archiepiscopum Rothomagensem directam, recognitio authenticitatis ex parte Ordinarii non est necessaria sub pœnâ nullitatis, etiam in casu Indulgentiæ localis; sic se habet ista responsio apud auctorem libri pluries citati : *Le Chrétien éclairé*, etc. (p. 114, 4ᵉ edit.) : « S. Congreg., auditis Consultorum votis, respon-
» dit *negativè* quoad nullitatem indulgentiarum; expectanda
» tamen erit publicatio Ordinarii, postquam illas recogno-
» verit, ut sciant fideles an sint indulgentiæ plenariæ vel
» partiales, et quæ sint conditiones assignatæ ad illas exe-
» quendas : et hic est sensus responsionis datæ sub die
» 28 januar. 1842, in unâ pariter Rothomagensi pro in-
» dulgentiis localibus, minimè verò generalibus seu per-
» sonalibus, ut infra dicetur. » (Die 31 aug. 1844.)

1567. Eidem Archiepiscopo jam fuerat responsum quòd valerent et à fidelibus acquiri possent, quin antea ab Ordinariis locorum fuerint promulgatæ, indulgentiæ quas S. Pontifices omnibus totius orbis fidelibus concessêre in Bullis seu Rescriptis jam publicatis et ab auctoribus probatissimis citatis. Vide apud *Chrétien éclairé* (*ibid.*).

1568. *Nota* quòd si in rescriptis pro facultate benedicendi numismata, coronas deprecatorias, etc., exprimatur clausula *privatim*, benedictio hujusmodi rerum, *ex altari* aut *è suggestu* publicè fidelibus eos manu portantibus, fieri non liceat. Decret. 7 janv. 1843 (*Chrétien éclairé*, p. 116, 4ᵉ édit.).

1569. Quærit. 3° Quænam sint indulgentiæ falsæ aut apocryphæ ?

Resp. Longum esset illas omnes enumerare : sufficiat hic annotare : Quòd « indulgentiæ omnes concessæ qui-
» buscumque regularium Ordinibus, confraternitatibus
» sæcularibus, Capitulis, collegiis aut eorum Superioribus
» ante Constitutionem... Clementis VIII *Quicumque*, 7 de-

» cembr. 1604, et Pauli V *Romanus Pontifex*, 13 maii 1606,
» *Quæ salubriter* 25 nov. 1610, revocatæ sunt atque apo-
» cryphæ habendæ, nisi ab iisdem SS. Pontificibus aut
» eorum Successoribus renovatæ ac confirmatæ fuerint.

» 10. Indulgentiæ concessæ coronis S. Birgittæ ab
» Alex. VI declarantur apocryphæ, et nullius roboris ac
» momenti, sinè præjudicio tamen indulgentiarum à
» Leone X dictis coronis concessarum, 6 Id. jul. 1515.

» 11. Indulgentiæ concessæ crucibus S. Turibii ab Ur-
» bano VIII, tanquam falsæ habendæ sunt. » Ita Decret. Indicis (§ 3, art. 9-11). Vide *Analecta*, 15ᵉ livr., 2283.

4570.—2° Quoties allegatur indulgentia de quâ nulla fit mentio in opere *De Indulgentiis*, à P. Theodoro à S. Spiritu exarato, illa, inquit Bened. XIV (*De Syn.*, lib. 13, cap. 18, III), ut apocrypha potest haberi, nisi proferatur concessionis monumentum, vel saltem indicetur locus ubi illud asservatur; — sed observa quòd à tempore quo divulgatum fuit opus præfatum, multæ prodière novæ indulgentiæ quæ sunt authenticæ.

4571. Multæ falsæ indulgentiæ enumerantur apud varios auctores : vide apud *Analecta*, 15ᵉ livr., col. 2287, etc., ap. *Chrétien éclairé*, etc., p. 74.—Ex iis sufficiat indicare eas quibus duæ, tres, quinque, etc., animæ è purgatorio, singulis diebus aut hebdomadibus aut annis liberantur : item indulgentias quæ à fulgure præservant; item indulgentiam concessam orationi inventæ in Sepulchro Domini, juxta revelationem factam S. Birgittæ, S. Mecthildi et S. Elizabeth; aut eas concessas iis qui secum deferunt libellum S. Sudarii; item indulgentias mille annorum aut ultra; indulgentias concessas iis qui certam pecuniæ summam solvunt, etc.

Dicitur autem in opere *Le Chrétien éclairé* (p. 79) quòd S. Congregatio sibi proponat publicum facere catalogum falsarum indulgentiarum magis vulgatarum; exoptandum maximè est ut hoc promptè fiat : addit hîc auctor præfati operis non esse semper fidendum assertionibus Lucii Ferraris, v° *Indulgentia*, et hoc variis argumentis demonstrat (Vide p. 125, *in notâ*). Legi potest etiam ap. *Analecta*

(*loco citato*) enumeratio plurium summariorum indulgentiarum à S. Congr. damnatarum.

ART. III.

QUINAM POSSINT INDULGENTIAS PERCIPERE.

4572.—1° Indulgentiæ per modum suffragii applicari possunt defunctis in Purgatorio detentis, prout supra diximus (4503): unde à Pio VI, per Bullam *Auctorem fidei*, hæc Synodi Pistor. prop. (n° 42): « *Luctosiùs adhuc esse quòd chimærica*
» *isthæc applicatio* meritorum Christi et Sanctorum *trans-*
» *ferri volita sit in defunctos* », proscripta est tanquam
« *falsa*, *temeraria*, *piarum aurium offensiva*, *in Romanos*
» *Pontifices et in praxim et sensum universalis Ecclesiæ*
» *injuriosa*, *inducens in errorem hæreticali notâ in Petro de*
» *Osma confixum*, *iterum damnatum in art.* 22 *Lutheri.* »

4573. — 2° Quoad vivos, vel agitur de applicatione per modum suffragii, vel per absolutionem : primo modo applicari possunt indulgentiæ etiam nondum baptizatis, si in statu gratiæ existant, modò id ab Ecclesiâ fuerit concessum : vide supra (4529); secundo modo, omnes et soli baptizati non excommunicati, et in statu gratiæ existentes, possunt indulgentias lucrari, implendo conditiones ab ecclesiâ impositas : quia illi soli sunt Ecclesiæ subjecti, proinde soli possunt absolvi vinculo pœnæ temporalis, modò jam à peccato sint mundati et non sint exclusi à participatione bonorum Ecclesiæ communium, prout excluduntur excommunicati, hæretici et apostatæ.

4574. Quærit. 1° Quænam conditiones requirantur ut quis possit indulgentias lucrari ?

Resp. Requiri 1° Statum gratiæ, ut modò diximus : ratio est quia pœna temporalis non inimicis Dei et iis qui adhuc sunt debitores pœnæ æternæ remittitur, sed ipsius amicis ; in istorum tantùm gratiam Ecclesia intendit haurire in thesauro Christi et Sanctorum : ita communiter.

4575. Non tamen ordinariè requiritur ut omnia opera ab Ecclesiâ injuncta in statu gratiæ impleantur : sufficit enim, nisi contrarium in Bullis exprimatur, quòd opus

ultimò impletum, in statu gratiæ sit peractum. Ita communiùs et probabiliùs, ap. S. Liguor. (lib. 6, n° 534); imò Bened. XIV, in suâ Constit. *Inter præteritos* dicit: « A fructu » indulgentiæ minimè excludendos illos existimavimus » qui, non præmissâ confessione, visitationem incipiunt, » dummodo, quando opus ultimum perficiunt, in statu » gratiæ sint »; sed omnia opera in statu gratiæ essent facienda si, v. g., diceretur in litteris concessionis quòd illa à *verè pœnitentibus et confessis* essent peragenda. Vide *Chrétien éclairé*, etc. (p. 88, 4ª édit.).

4576. Controvertitur autem an is qui manet in peccato mortali possit indulgentias lucrari pro defunctis : plures graves auctores affirmant ; sed plures ècontra negant, quorum opinio verior videtur S. Liguorio : « quia, inquit, » nemo potest alteri applicare indulgentiam, nisi priùs » eam fecerit suam » (Lib. 6. n° 534 1°). Certò autem requiritur status gratiæ quando ad lucrandam indulgentiam confessio et communio præscribuntur, ut fieri solet quando agitur de indulgentiis plenariis. (Vide *Chrétien éclairé*, p. 89, 4ª edit.)

4577. Non solùm status gratiæ requiritur in eo qui vult lucrari totam indulgentiam plenariam, sed insuper requiritur ut sit immunis ab omni peccato etiam veniali : nam, ut supra diximus (4527), quamdiù remanet peccatum (etiam veniale), dimitti non potest pœna etiam temporalis ipsi debita : unde, in casu supposito, benè quidem potest acquiri indulgentia quoad peccata dimissa, non verò quoad non dimissa ; proinde indulgentia, etsi plenaria, de facto plenariè non lucrifit, et efficitur partialis. Vide Billuart (*De Indulg.*, art 5, *pet.* 1°).

4578. — 2° Juxta Auctorem libri pluries jam citati *Le Chrétien éclairé* (p. 84), ad lucrandas indulgentias requiritur intentio eas lucrandi : hoc tantùm ut probabile habet Billuart (*ib.*, *pet.* 8°); juxta autem S. Liguor. (lib. 6, n° 354, 13°, V), intentio interpretativa *certò* sufficit : sed quia sententia affirmans est tutior, hæc pro praxi consulitur : at juxta omnes sufficit intentio virtualis, nec requiritur quòd in specie cognoscantur indulgentiæ lucrandæ, modò ha-

beatur voluntas eas lucrandi quæ verè concessæ fuerunt, quæcumque illæ sint; maximè autem commendatur utilis praxis renovandi quotidiè intentionem lucrandi omnes indulgentias variis exercitiis pietatis et bonis operibus peragendis fortè annexas.

1579. — 3° Requiritur adimpletio operum à Bullis vel Rescriptis præscriptorum: iis enim non adimpletis, etsi id contingeret ex ignorantiâ aut impotentiâ, non lucrifierent indulgentiæ, quia eæ non conceduntur nisi sub conditione dictæ adimpletionis; si tamen ex opere requisito modicum quid omitteretur, v. g. cæremonia in sacro, vel si parùm comederetur in jejunio, vel unum aut duo *Ave* negligerentur in recitatione coronarum deprecatoriarum, non ideò amitterentur indulgentiæ, quia adhuc poneretur opus moraliter integrum, juxta principium juris : *parùm pro nihilo reputatur.*

1580. Regulariter indulgentia acquiri nequit per opus aliàs debitum; sic decisum 29 maii 1841 : « per preces obli- » gatorias, v. g. horas canonicas, non potest satisfieri preci- » bus à S. Pontifice præscriptis ad lucrandam indulgen- » tiam plenariam » : vide *Chrétien éclairé* (p. 91). Si ergo præscribatur jejunium ad consequendam indulgentiam, ad hunc finem inservire nequit jejunium quadragesimale, vel Quatuor Temporum, etc.; preces tamen aut alia pia exercitia in Congregationibus religiosis usitata, etsi à regulâ præcipiantur, possunt inservire, quia regula non solet sub peccato obligare; imò praxis communis Romæ et alibi est ut Confessarii imponant suis pœnitentibus preces aut alia opera quibus annexæ sunt indulgentiæ, ut sic faciliùs pro suis delictis satisfaciant. Vide *Chrétien éclairé* (p. 92. etc.)

1581. In concessione indulgentiarum plenariarum solent præscribi confessio et communio : attamen ex Decis. Cong. Indulg. 19 martii 1841, per communionem paschalem lucrifieri potest indulgentia Benedictionis Papalis, si in festo Paschatis impendatur; et ex aliâ Decisione 10 maii 1844, per eamdem communionem paschalem acquiri potest alia quæcumque indulgentia plenaria, modò *non fuerit elargita in formâ Jubilæi :* imò pluries concessit S. Sedes ut per

communionem paschalem etiam Jubilæum lucrifieret. Id enim fuit permissum 25 jan. 1842 Episcopo Aniciensi, occasione Jubilæi huic Ecclesiæ concessi; imò ex decr. 15 decembr. 1841, lucrifit per comm. pasch., nisi secùs constet ex Bullâ : unde S. Pœnitentiaria sic pronuntiavit pro Jubileo 1865. Attamen, anno 1869, eadem declaravit ad lucrandum Jubil. requiri confessionem et communionem a confessione annuali et communione paschali distinctam.

4582. Decreto 6 oct. 1870, communio præscripta fieri potest in ipsâ Vigiliâ diei quo indulgentia est lucranda etiamsi hæc indulgentia acquiri nequeat à primis vesperis illius diei. (*Univers*, 28 mars 1871.)

Ordinariè non requiritur ut communio fiat in ecclesiâ in quâ indulgentia est lucranda : sufficit quòd hæc ecclesia visitetur, et in eâ oretur juxta mentem S. Pontificis : vide *Chrétien*, etc., p. 98. — Una communio sufficere potest ad plures indulgentias plenarias eodem die lucrandas (Decret. 30 aug. 1847, *ibid.*, p. 97). — Circa hoc notandum est Decretum *Urbis et Orbis* 18 sept. 1862 : « Ex audientiâ Sanc-
» tissimi.., Sanctitas Sua... clementer indulsit, ut... Christi
» fideles (ita infirmi habitualiter ut è domo egredi ne-
» queant), exceptis tamen illis qui in communitate moran-
» tur, acquirere possent omnes et singulas indulgentias
» plenarias jam concessas vel in posterum concedendas,
» quasque aliàs acquirere possent in locis in quibus vi-
» vunt, si in eo physico statu non essent, pro quarum ac-
» quisitione præscripta sit sacra communio et visitatio ali-
» cujus ecclesiæ vel publici oratorii in locis iisdem,
» dummodo verè pœnitentes, confessi, ac cæteris omnibus
» absolutis conditionibus, si quæ injunctæ fuerint, loco
» sacræ communionis et visitationis, alia pia opera à res-
» pectivo confessario injungenda, fideliter adimpleant.
» Præsenti in perpetuum valituro, etc. » Vide *Revue des sciences ecclés.*, t. VII, p. 78.

4583. Quoad autem *confessionem præscriptam*, olim die ipso quo indulgentia erat lucranda, aut ad summum ipsius vigiliâ, erat ipsa peragenda; sed ex Decreto Clementis XIII, 9 decemb. 1763, concessum fuit ut qui solent *singulis hebdomadibus* confiteri, possint lucrari omnes indulgentias

plenarias, exceptâ Jubilæi, aut quæ conceditur in formâ Jubilæi. — Dicitur *singulis hebdomadibus*, non verò singulis *octiduis :* unde omnes indulgentiæ acquiri possunt ab eo qui, v. g., confiteretur die lunæ unius hebdomadis, et deinde tantùm die sabbati hebdomadæ subsequentis : vide *Chrétien éclairé*, etc. (p. 94). — Imò sæpe Indulta conferuntur quibus eadem facultas extenditur ad eos qui solummodo bis in mense ad sacrum tribunal accedunt.

1584. Decreto 12 junii 1822, Pius VII indulsit ut confessio sufficeret ad lucrandam indulgentiam etiam post octo dies; imò, alio Decreto 15 decembr. 1841, concessum fuit iis qui ob raritatem confessariorum, frequenter nequeunt exomologesim facere ut per unam confessionem valeant consequi omnes indulgentias quæ in octiduo sequenti acquiri possunt.

Etsi habens sola peccata venialia debeat etiam tunc confiteri, non tamen necessariò est absolvendus, ut capax fiat indulgentiarum lucrandarum. (Eodem Decreto.)

1585. Quando preces juxta mentem S. Pontificis præscribuntur, quæ magis placent pro arbitrio sunt recitandæ. Illæ preces sunt pluries recitandæ ab iis qui plures indulgentias plenarias eodem die lucrari intendunt. Communiter auctores dicunt sufficere quinquies recitare *Pater* et *Ave ;* imò Suarez, Theodorus à S. Spiritu et plures alii dicunt sufficere *orationem quantumvis modicam ;* idem Theodorus à S. Spiritu, cum quibusdam aliis, dicit sufficere orationem mentalem, sed hoc ab aliis negatur et eorum sententiæ utpote tutiori in praxi est inhærendum. Vide *Chrétien éclairé* (p. 99, 4ᵉ edit.).

1586. Etsi in recitatione hujusmodi precum minimè sit necessarium distinctam memoriam habere omnium et singulorum finium quos S. Pontifex sibi proposuit illas imponendo, attamen utile est istos cognoscere : solent ergo SS. Pontifices intendere exaltationem S. Matris Ecclesiæ Catholicæ, propagationem fidei, hæresium et schismatum extirpationem, pacem et concordiam inter principes christianos, etc. — Preces alternatim cum aliis recitari possunt. (Decret. S. C. Indulg., 29 febr. 1820.)

4587. Ex Decreto 16 febr. 1852, à Pio IX 15 martii sequentis confirmato, surdis et mutis sufficit mentem et cor elevare ad Deum in ecclesiâ, quando oratio in eâ præscribitur, aut orare corde et mente cum aliis si preces publicæ indicentur ; preces verò privatæ in alia pietatis opera sensibilia à confessario commutari possunt. Vide *Chrétien éclairé*, etc. (p. 101, 4ª edit.).

4588. Si visitatio ecclesiæ aut oratorii publici fuerit præscripta, non sufficit visitare oratoria monasteriorum, seminariorum, etc., ad quæ plebs christiana non solet publicè accedere (Decret. 22 aug. 1842, apud *Chrétien éclairé*. p. 101) : hoc intelligendum de fidelibus ; nam secus est dicendum de iis qui commorantur in hujusmodi monasteriis aut aliis domibus è quibus egredi nequeunt pro arbitrio : isti enim possunt lucrari indulgentias proprium oratorium visitando. (*Chrétien éclairé*, etc., p. 102.)

4589. Una verò non sufficit pro pluribus indulgentiis eodem die lucrandis, sed toties iterandæ sunt visitationes quot sunt lucrandæ indulgentiæ (S. Indul. C., 29 Febr. 1864) ; et pariter applicanda videtur hæc decisio indulgentiæ *Portiunculæ* pro quâ pluries lucrandâ plures visitationes distinctæ necessariæ apparent. Vide insuper Decretum supra relatum (4582).

4590. Plures ergo indulgentiæ etiam plenariæ eodem die acquiri possunt ; sed si una integrè lucrifacta fuerit, aliæ, sibi saltem, lucrifieri nequeunt, sed applicari possunt animabus in purgatorio detentis si hoc à concedente fuerit permissum. Decrevit quidem S. C. Ind., cum approbatione Innocent. XI, 7 mart. anni 1678, posse « semel duntaxat » in die plenariam indulgentiam, in certos dies ecclesiam » visitantibus concessam, vel aliud pium opus facientibus, » lucrifieri » ; sed hoc significat tantùm quòd indulgentia visitationi ecclesiæ aut pro alio opere concessa, sit pro unâ vice in die, saltem quando contrarium non exprimitur : vide Ferraris, vº *Indulgentia*, art. 3, nº 27. Unde errat Lequeux, nº 939, ubi secus asserere videtur. Vide Decis. 30 aug. 1847 supra relatam (4582).

4591. Quando indulgentia visitationi ecclesiæ annectitur

die festivo alicujus Sancti aut alicujus Mysterii, dicta visitatio fieri potest à primis Vesperis in vigiliâ hujus Festi; id est, ab eâ horâ quâ Vesperæ possunt à sacerdotibus etiam privatim recitari : videlicet, extra Quadragesimam, ab horâ meridianâ usque ad occasum solis diei Festi, seu diei seq. V. Ferraris, v° *Indulgentia*, art. 3, n° 37; *Chrét. écl.*, p. 97.

4592. Si verò indulgentia affigatur diei, qui non sit festum sancti aut Mysterii in cujus gratiam indulgentia conceditur, qualis, v. g., quæ alligatur sex Dominicis S. Ludovici Gonzagæ, vel septem Dominicis S. Josephi, visitatio, nisi aliter in diplomatibus statuatur, fieri nequit nisi die determinato, à mediâ nocte ad mediam noctem sequentem (*Chrétien éclairé*, p. 97, 4ᵉ edit.). — Idem est dicendum de diebus festis per annum in quibus conceditur indulgentia iis qui membra sunt certarum confraternitatum, vel qui certa pietatis exercitia adimplent *toto mense* vel *toto anno.*

4593. Sedulò semper sunt examinanda diplomata indulgentias impertientia, ut accuratè serventur omnes conditiones præscriptæ, cùm ordinariè, iis non adimpletis, non lucrifiant hujusmodi gratiæ : sic, v. g., si indulgentia plenaria concessa fuerit ei qui quotidiè per mensem vel annum recitaverit certas preces aut alia pietatis opera fecerit, verè quotidie per mensem aut annum illæ preces aut pietatis opera fieri debent, ut dicta indulgentia acquiri valeat. Proinde in casu communio fieri non debet nisi post mensem vel annum, die pro arbitrio eligendâ; secus tamen aliquando disponitur in Diplomatibus Pontificiis: si dicatur, v. g., quòd *communio infra mensem* fieri debeat, vel in unâ die determinati mensis, nihilominus tunc indulgentia plenaria non acquiritur die communionis, sed ultimâ die mensis aut anni, modò oratio aut opus injunctum quotidie fuerit adimpletum saltem moraliter; excipitur autem indulgentia Mensis Mariæ. Vide *Chrétien éclairé*, etc., p. 123, *in notâ.*

4594. Sic pariter casu quo indulgentia precibus fuerit annexa, ipsæ sunt recitandæ in idiomate adhibito in diplomate concessionis, nisi fuerit addita clausula quòd in *quocumque idiomate recitari* poterunt: quo casu, si versio fuerit fidelis, approbari poterit ab Ordinario eodem modo

ac textus primigenus. —Vide *Chrétien éclairé*, p. 119.

4595. Quærit. 2° Quale debeat esse opus cujus gratiâ conceditur indulgentia?

Resp. Certè requiri quòd sit honestum saltem ex objecto et aptum ad finem à S. Pontifice propositum : an verò tale esse queat si vitiatum sit fine inhonesto saltem veniali, controvertitur : vide ap. S. Liguor. (lib. 6, n° 533) qui addit : « Si culpa venialis afficit substantiam, puta, si quis oret » vel det eleemosynam ob vanam gloriam, tunc non lu» cratur indulgentiam...; secus si non est circa substantiam, » ut si quis oret distractè. Ita... communiter. » Vide etiam Theol. Tolos., art. 4. — Dicit tamen Billuart (*De Indulg.*, art. 5, *pet.* 3°) quòd opus factum ex vanâ gloriâ possit aliquando conducere ad finem à Pontifice intentum, v. g., si concederetur indulgentia iis qui nummum darent pro expeditione bellicâ contra infideles, aut constructione ecclesiæ, sufficeret dare nummum etsi ex vanâ gloriâ; nec videtur hoc improbabile, cùm S. Pontifex possit aliquando etiam sinè opere concedere indulgentias.

ART. IV.

DE DURATIONE, CESSATIONE, SUSPENSIONE AUT TRANSLATIONE INDULGENTIARUM.

4596. — I. Si ad tempus, v. g., ad decennium concessæ fuêre indulgentiæ, elapso tempore cessant (4541). — Quoad indulgentias indefinitè concessas, regula 57 Cancellariæ ab Innocentio VII statuta, ad 20 annos restrinxerat eas quæ pro *solemnioribus generatim festivitatibus anni conferuntur;* sed hanc regulam abrogavit Clemens VIII : unde nunquam cessant si non revocentur. Ferraris, v° *Indulgentia*, art. 3, n° 49, etc.; Theolog. Tolosana.

4597. — II. Certum est omnes indulgentias cessare per expressam Concedentis aut ipsius Successoris revocationem sufficienter notificatam; non cessant verò per ipsius mortem. Cessant per destructionem loci vel rerum quibus annexæ erant : « Si ecclesia totaliter destruatur ut ibi» dem in meliorem formam reædificetur, seu ut auctoritate

» Superioris in alium meliorem situm transferatur sub » eodem titulo et patrono, retinet eamdem indulgentiam..: » ratio est quia... censetur adhuc eadem moraliter eccle- » sia. » Ferraris (art. 1, n° 19, v° *Indulgentia*); vide supra (3536). — Si frangatur funiculus coronæ non perit indulgentia ipsi annexa, quia solis granis adhæret; si frangatur dimidia pars coronæ, indulgentia non remanet in parte relictâ, quia sola dimidia pars non constituit coronam. Ferraris, *ib.*, n° 20; *Chrétien éclairé*, p. 87, 8°.

4598. — III. Pleræque indulgentiæ suspenduntur anno quo Jubilæum ordinarium Romæ lucrifit : « Ne scilicet » propter illas, inquit Sixtus IV, populorum forsan con- » cursus ad Basilicas Romanas retardari, aut ipsius anni » Jubilæi celebritas minui vel intermitti posset cum ani- » marum non modico detrimento. » Non autem suspenduntur tempore Jubilæi extraordinarii, nec per annum quo ordinarium extenditur ad alias ecclesias extra Romam. Vide Theol. Tolos., art. 8, ex Brevi Bened. XIV, 24 maii 1749.

4599. Diximus *pleræque indulgentiæ* : quia Bened. XIV, in dicto Brevi et Bullâ indictionis Jubilæi 1750, quasdam à suspensione excepit : nempe 1° indulgentias à Bened. XIII concessas iis qui, mane aut meridie aut vesperè, Salutationem Angelicam ad pulsum campanæ recitant [1]; 2° omnes indulgentias pro articulo mortis; 3° indulgentiam orationi *Sacrosanctæ*, etc., concessam; 4° indulgentias fidelibus SS. Sacramentum, cùm ad infirmos defertur, devotè comitantibus; 5° indulgentias altaris privilegiati aliasque defunctis applicandas; imò Papa concessit ut quælibet aliæ indulgentiæ suspensæ possent defunctis, anno Jubilæi, applicari; 6° indulgentias à Legatis, Nuntiis apostolicis aut Episcopis elargitas. Theol. Tolosana (*ibid.*). Vide alia ap. Ferraris (v° *Jubilæum*, art. 1, n° 9, etc.); et *Chrétien éclairé* (p. 353, 4ª edit.), qui addit quòd anno Jubilæi,

[1] *Nota* quòd « sit contra praxim Ecclesiæ præfinire horam octavam » pomeridianam pro Salutatione Angelicâ. » Ita Congr. Episc. et Reg., apud *Analecta* 50ᵉ livr., col. 1555, n° 18.

non suspendatur facultas communicandi indulgentias rebus piis.

4600. — IV. Decreto 9 aug. 1852, Pius IX statuit quòd indulgentiæ determinatis festis annexæ, aut certis ecclesiis vel oratoriis publicis, occasione hujusmodi festorum, aut etiam addictæ processionibus, novendiis, triduis quæ ipsorum causâ fiunt ante vel post festa, statuit, inquimus, quòd tales indulgentiæ transferrentur, casu quo hujusmodi festa forent translata quoad *solemnitatem et externam celebrationem*, et tunc ipso die festi acquiri nequeunt : quod sanè est applicandum in Galliâ festis Epiphaniæ, Corporis Domini, SS. Petri et Pauli, et Patroni principalis parochiæ ; sed hæc decisio est pro fidelibus in genere : in dicto enim casu, non transferuntur indulgentiæ specialiter domibus religiosis concessæ.

4601. Cum vero *accidentaliter* transfertur tantum officium cum missa, non autem solemnitas et exterior celebratio festi, non fit indulgentiarum translatio; secus si translatio fiat modo permanenti. (S. I. C., 12 jan. 1878.) Jam 16 septembris 1741 S. Congr. Indulg. decreverat quòd, translato festo unicè quoad officium, non transferretur indulgentia tali festo concessa : nescio autem quo fundamento Theologia Tolosana (art. 8. 5°) asserat cessare tunc indulgentiam : citat quidem Declarat. 3 sept. 1679 S. Congr. Rit., quæ dicto die non reperitur in collectione Gardellianâ, sed tantùm 30 sept. 1679 : porrò sic se habet hæc decisio : Sacra Congreg. consulta : — «...6°
» An, translato Festo in cujus die conceditur indulgen-
» tia, transferatur etiam indulgentia : respondet... ad
» 6^{m} : *Negativè* » ; et nihil aliud in eâ reperitur ex quo deduci possit *cessare* tunc *indulgentiam*.

ART. V.

DE PRÆCIPUIS INDULGENTIIS.

4602. Cùm limites intra quos præsens *Manuale* est necessariò coarctandum, non patiantur omnes indulgentias hic recensere, quasdam tantùm sed præcipuas exponemus.

Jam diximus de indulgentiis pro articulo mortis (3955-3964); altaris privilegiati (3532-3540). Sufficit hîc quædam addere de quibusdam aliis et præsertim de Jubilæo.

I. Indulgentia *Viæ Crucis*. — *Via crucis*, de quâ hîc agitur, est repræsentatio itineris Christi, è loco Prætorii ubi cruce fuit oneratus, usque ad Calvariæ locum ubi pro salute nostrâ vitam profudit; quatuordecim crucibus et totidem ordinariè effigiebus componitur, quæ piâ meditatione Passionis Domini à fidelibus peragrantur.

Jam à multis sæculis innumeræ indulgentiæ, sive partiales sive etiam plenariæ, concessæ fuêre iis qui sacra loca, olim præsentiâ et doloribus Hominis Dei sanctificata, visitabant : sed quoniam paucis licet hanc sanctissimam peregrinationem aggredi, benigna Mater Ecclesia, sedulò providens saluti omnium fidelium, has omnes gratias extendit ad omnes qui supra dictam repræsentationem itineris Christi cruce onerati, percurrunt : unde ex variis Constitut. SS. Pontificum Innocent. XI, Innoc. XIII, Benedicti XIII, Clementis XII, Bened. XIV, etc.: *Universi qui cum debitis dispositionibus 14 Stationes Viæ Crucis percurrunt, omnes indulgentias visitantibus sacra loca Jerusalem concessas lucrantur easque defunctis possunt applicare :* sigillatim eas indulgentias recensere prohibitum fuit à S. Congr. Indulg., cum approbatione Clementis XII, 3 apr. 1731 et Bened. XIV, 10 maii 1742. Vide *Chrétien éclairé* (§ 50, p. 180, 4ᵉ edit.) et *Analecta* (12ᵉ livr., col. 1946).

4603. Ad lucrandas hujusmodi indulgentias duo requiruntur et sufficiunt ex parte fidelium : videlicet, 1° ut reipsa percurrant 14 Stationes, eundo de unâ ad aliam usque ad ultimam absque ullâ omissione aut interruptione[1]; quando tamen quis ob multitudinem fidelium et angustiam loci, vel ob infirmitatem, sic locum mutare non potest,

[1] « An fideles lucrentur indulgentias Viæ Crucis, dummodo 14 Stationes visitent in unâ eâdemque die, etiam non uno tractu, sed interposito majori minorive inter stationes intervallo ?
» EE. PP. responderunt :
» *Negativè*, in Congregatione diei 14 decembr. 1857 : quam respon-

sufficit ut *aliquo corporis motu* se convertat ad stationem (Decret. 30 sept. 1837, 26 febr. 1841); minimè verò necesse est ut fideles sistant propè Stationes, licet essent soli, modò versùs stationes se convertant et è loco se moveant si possunt (*Chrétien éclairé, ibid.*, p. 181).

4604. Secunda conditio est ut meditetur Passio Domini, dum præfatæ stationes percurruntur : sufficit tamen ut Passio meditetur in genere, et quidem juxta uniuscujusque facultatem ; nec requiritur ut seorsim meditentur singularum stationum mysteria. Consulitur autem ut semel recitentur *Pater* et *Ave* coram unaquâque cruce (*Ibidem*, p. 182). — Confessio verò et communio non requiruntur. Interrogata num pluries in die, repetito exercitio, lucrifieri possint indulgentiæ Viæ Crucis, respondit S. C. die 10 Sept. 1883 : « Ex documentis non constare ».

4605. Stationes Viæ Crucis erigi possunt, non solùm in ecclesiis et oratoriis publicis, sed extra etiam oratoria privata in cameris, cœmeteriis, collibus, etc..; multiplicari etiam possunt in eâdem domo, sed speciale Indultum S. Sedis requiritur pro variis hujusmodi erectionibus. (*Chrétien éclairé*, etc., p. 185, edit. 4.)

4606. Cruces sunt necessariò benedicendæ, non verò imagines (quæ aliunde non sunt indispensabiles) : Decreto 13 martii 1837, 22 aug. 1842. — Cruces debent omnino èsse ligneæ sinè crucifixo (Decret. 2 junii 1838, et 14 jun. 1845). Cruces muro depictæ non sufficerent. Imagines non exprimentes solitas circumstantias Passionis Christi rejiciendæ sunt (Decret. 16 febr. 1839).

4607. Quando Via Crucis nulliter fuit erecta : « Dum» modo nullitas non cadat super cruces antea benedictas, » minimè necessarium est alias, nullitate sanatâ, iterum » cruces benedicere. » Decis. S. Congreg. Indulg. 27 jan. 1838.

» sionem SS. D. N. Pius Papa IX, in audientiâ diei 22 jan. 1858, » confirmavit. » (*Chrétien éclairé*, p. 184.)

In eâdem Congreg. 22 jan. 1858, decisum fuit non posse notabiliter interrumpi recitationem tertiæ partis Rosarii, ut acquirantur indulgentiæ hujusmodi recitationi concessæ. *Chrétien éclairé*, p. 287.

4608. Quando, ad sarta tecta facienda, cruces è loco suo moventur et postea in eâdem ecclesiâ, licet in locis non iisdem, reponuntur, non ideò amittuntur indulgentiæ. — Decisio 21 martii 1836, 3 augusti 1842, 22 augusti 1842, 20 augusti 1844.

4609. Ad validitatem indulgentiarum non requiritur ut cruces ab ipsomet sacerdote erectore in suis locis affigantur, sed ab alio affigi possunt, etiam privatim extra cæremoniam (Decret. 22 augusti 1842, 20 martii 1846) : et sic fieri debet quando Via Crucis intra clausuram monialium est erigenda. — Vide *Chrétien éclairé*, etc.

4610. Ad erigendas Stationes Viæ Crucis non solùm requiritur Indultum mediatè vel immediatè obtentum à S. Sede, sed præterea obtinendus est consensus scripto consignatus tùm Ordinarii diœcesis cùm Parochi vel Superioris loci in quo illæ sunt erigendæ; et insuper confici debet illius erectionis instrumentum scriptum : sic enim habet Decretum 25 sept. 1841 : « Omnia et singula quæ » talem erectionem respiciunt, scripto fiant, tam nempe » postulatio quàm erectionis ejusdem concessio, quàm » instrumentum », etc. Non tamen omnia hæc sub pœnâ nullitatis requiruntur, ut constat ex Decis. S. Cong. Indulgent. Vicario Generali Molinensi datâ, 27 jan. 1838 : consulta enim an petitiones et licentiæ supra memoratæ in scriptis sub pœnâ nullitatis consignari deberent; sic respondit, « 2°... Quamquam in scriptis, ac de consensu Ordi- » narii et loci Patroni optanda sit petitio, tamen si ore- » tenus, sub pœnâ nullitatis : — *Negativè*. »

« 4°... Estne tempus determinatum et quale pro confec- » tione documenti secutæ erectionis stationum Viæ Crucis, » vigore Apostolici Indulti? S. Congr. respondit : *Negativè,* » *sed expedit ut quamprimùm conficiatur documentum juxta* » *Apostolicam concessionem,* ne dubia in posterum oriantur. » Vide *Chrétien éclairé,* etc. (p. 188, etc., 4ᵉ edit.).

4611. In eorum gratiam qui *legitimè impediuntur* publicas Viæ Crucis stationes visitare, v. g., propter infirmitatem, itinerationem, nimiam distantiam, multiplicitatem et gravitatem negotiorum, etc., concessum fuit à

Clemente XIV, 26 jan. 1773, ut illi qui habebunt præ manibus crucifixum ad hoc ex speciali Indulto benedictum, possint omnes indulgentias *Viæ Crucis* lucrari, recitando, sinè notabili interruptione, quatuordecim *Pater* et *Ave*, addendo in fine quinque *Pater, Ave* et *Gloria*, et denique unum *Pater, Ave* et *Gloria* pro S. Pontifice.

Requirebatur olim crucifixus ex aurichalco, sed ex recentioribus decisionibus sufficiunt crucifixi eburnei, lignei, ossei, præsertim argentei, aut aurei, etsi parvæ dimensionis, quamvis parùm deceat illos esse nimiùm exiguos. Non solum qui possidet crucifixos sic benedictos lucrari potest indulgentias supra recensitas, sed etiam ipsius socii impediti. (19 jan. 1884). V. *Chretien éclairé* (p. 192, etc.), ubi fit mentio aliarum concessionum singularium hujusmodi crucifixis præstitarum, sed de quibus specialibus Indultis constare debet.

4612. — II. *Indulgentiæ rebus piis, crucibus nempe, coronis deprecatoriis, numismatibus, etc., affixæ.* Quænam indulgentiæ his piis rebus affigi valeant, longum esset enumerare : de iis consulendæ sunt collectiones hujusmodi materias specialiùs spectantes : sufficiat hìc annotare :

1° Quamvis decentius sit ut piæ res quibus annectuntur indulgentiæ, benedicantur cum cæremoniis et precibus assignatis, sufficit tamen adhibere signum crucis manu efformatum sinè aliâ cæremoniâ (Decret. 11 apr. 1840); imò ex Decis. S. C. Rit., 12 aug. 1854, signum crucis manu efformatum cum aspersione aquæ benedictæ et pronuntiatione verborum *In nomine Patris*, etc., sufficit ad benedictionem cujuscumque rei, si in Rituali Romano formula propria non reperiatur (*Chrétien éclairé*, p. 316).

4613. — 2° Imagines chartis vel telis depictæ, cruces, numismata, parvæ statuæ confectæ ex stanno, plumbo aut aliâ materiâ fragili vel quæ facilè potest deteriorari, ut vitrum cavum, gypsum, etc., benedici quidem valent, sed iis indulgentiæ validè applicari nequeunt; secus tamen de coronis deprecatoriis, quæ etsi stanneæ, plumbeæ, ferreæ, indulgentiis ditari possunt; idem est dicendum de crucifixis, numismatibus, parvis statuis ex chalybæo (*acier*)

(Decret. 14 maii 1853); idem de crucifixis et coronis eburneis, ligneis, aut confectis ex corallo, conchis margaritiferis (*nacre*), encausto (*émail*), alabastro, marmore, cristallo, dummodo globuli sint ex vitro solido atque compacto. (Decret. 20 febr. 1820.)

4614. — 3° Sanctorum duntaxat canonizatorum, aut saltem *Martyrologio* insertorum, numismata aut parvæ statuæ benedici possunt cum indulgentiarum applicatione. (*Chrétien éclairé*, p. 317, 4ª edit.).

4615. — 4° Res indulgentiis ditatæ iis spoliantur, si ab eo qui suas fecit vendantur aut donentur aut solummodo commodentur ut ab aliis indulgentiæ lucrifiant; secus est dicendum, si quis suas non fecisset et has gratis distribueret (Decret. Alexandri VII, 16 febr. 1657; et Congr. Indulg. 31 jan. 1837, et 2 octob. 1840). Vide *Chrétien éclairé*, etc (p. 318, etc.), ubi additur quòd utentes rebus benedictis cum indulgentiarum applicatione, ipsas non lucrentur casu quo res inventæ sunt, aut per successionem fuerunt acceptæ.

4616. — 5° Plures indulgentiæ possunt simultaneè affigi iisdem rebus. Vide *Chrétien éclairé* (p. 319), ubi multa alia inveniuntur.

4617. — III. *Indulgentia Portiunculæ*. Hæc indulgentia ab ipsomet J. C. concessa ad petitionem S. Francisci, anno 1221, et postea, anno 1223, recognita et approbata à S. Pontifice Honorio III, consistebat olim in eo quòd omnes fideles qui *contriti et confessi* visitarent capellam S. Mariæ Angelorum in Umbriâ sitam propè Assisium et *Portiunculæ* nuncupatam, à 2dis Vesperis festi S. Petri *ad vincula* usque ad occasum solis sequentis Festi, remissionem totius pœnæ temporalis ipsorum peccatis debitæ, obtinere possent.

4618. A pluribus deinde SS. Pontificibus extensa fuit hæc indulgentia, omnibus ecclesiis publicis (non autem oratoriis internis, juxta Decret. 16 junii 1819) trium Ordinum S. Francisci; id factum est præsertim à Gregor. XV (Bullâ *Splendor paternæ gloriæ*, 4 jul. 1622), qui indulgentiam defunctis applicabilem fecit, et conditionibus jam

præscriptis adjecit communionem, quæ tamen fieri potest in quibuslibet ecclesiis, ex Decreto Pii IX, 12 julii 1847.

Ex concessione Innocentii XII, 18 aug. 1695, singulis diebus lucrifieri potest indulgentia etiam absque communione, in ecclesiâ S. Mariæ Angelorum, non item in aliis ecclesiis ubi lucrifieri potest solâ die supra enuntiatâ, et nonnisi cum observatis supradictis conditionibus.

4619. Hâc verò singulari prærogativâ donata est indulgentia *Portiunculæ* ut possit acquiri *toties quoties* ecclesiæ, quibus annectitur, visitantur intra temporis spatium ad id determinatum, modò ibidem oretur juxta S. Pontificis mentem, et cum aliis jam enumeratis conditionibus. (S. C. Concil., 17 julii 1700, 4 nov. 1723; et S. Cong. Indulg. 22 febr. 1847 confirmata à Pio IX, 12 jul. 1847.)

4620. Ex Decreto 10 feb. 1819, ecclesiæ quæ olim ad religiosos S. Francisci pertinuerant, sed sunt nunc ab aliis occupatæ, non ampliùs gaudent privilegio *Portiunculæ:* excipiuntur tamen veteres Franciscanorum ecclesiæ in Galliâ, ut constat Brevi *Exponi nobis* Pii VII, 20 junii 1817; sed alio Brevi 4 maii 1817, *Aliàs à Nobis*, idem Pontifex, casu quo Festum S. Petri *ad vincula* die Dominicâ non accidit, transtulit hanc indulgentiam ad Dominicam sequentem. Non ideo tamen derogatum fuit juribus ecclesiarum quæ hodie in Galliâ à Franciscanis possidentur: in ipsis enim indulgentia lucranda est 2 augusti, prout in cæteris regionibus.—Vide *Chrétien éclairé*, etc. (p. 351 4e edit.).

4621. — IV. *Indulgentia Jubilæi :* Est celebrior inter ipsas plenarias; juxta multos nomen deprompsit à voce hebrææ *Jobel*, jubilationem significante, et sic vocata est propter analogiam cum Jubilæo legali de quo habetur cap. 25 Levitici : hoc enim anno, servi peccati redeunt in libertatem filiorum Dei; debitæ pœnæ temporales relaxantur ; merita bonis operibus comparata ac per subsequens peccatum mortificata, reviviscunt, et ita peccatores ad pristinam possessionem revertuntur, vacant quoque christiani à servilibus peccati operibus. Meritò igitur annus ille *Sanctus* nuncupatur. Ita Theologia Tolosana quæ addit:

« Jubilæum, centesimo quocumque anno recurrente,
» celebrandum decrevisse primus legitur Bonifacius VIII,
» anno 1300; Clemens VI, anno 1350, Const. *Unigenitus*,
» annum sacrum ad normam Jubilæi Mosaici reduxit...;
» Urbanus VI, in memoriam 33 annorum quos Christus
» egisse vulgò creditur, statuit, anno 1390, ut deinceps
» annus Jubilæus recurreret, quovis anno 33. Tandem
» Paulus II, anno 1470, Jubilæum reduxit ad annum 25:
» quam dispositionem confirmavit Sixtus IV, anno 1473,
» eamque nunc observat Ecclesia.

4622. » Incipit verò sacer ille annus à primis Vesperis
» Nativitatis Domini, quæ præcedunt annum 25, 50, 75,
» 100 cujusque sæculi, ac terminatur ad primas ejusdem
» Festi Vesperas anni proximè sequentis...

» Verùm quia plerique fidelium Romanam peregrina-
» tionem ad effectum Jubilæi hujus suscipere non pos-
» sunt, solent SS. Pontifices, elapso anno sacro, Jubilæi
» gratiam ad omnes per orbem fideles... extendere....

4623. » Præter hunc Jubilæum ordinarium, alia datur
» indulgentia ad instar Jubilæi, post coronationem S. Pon-
» tificis, atque etiam interdum in aliis circumstantiis. »

4624. Jubilæum ergò est *Indulgentia plenaria solemniter concessa ob graves causas, certa quædam habens adjuncta privilegia*; à cæteris indulgentiis plenariis non differt Jubilæum nisi per solemnitatem et privilegia ei annexa.

Dicendum nobis est I. de privilegiis Jubilæo annexis; II. de operibus præscriptis ad illud consequendum.

4625.—I. Quamvis ad benè discernenda varia Jubilæorum privilegia, attentè imprimis perlegenda sint verba Bullarum quibus conceduntur, siquidem variari possunt, attamen solent elargiri sequentia : 1° licentia quemlibet ex approbatis ab Ordinario eligendi confessarium; 2° facultas confessariis data absolvendi pro foro conscientiæ ab omnibus censuris à jure vel ab homine; 3° potestas iisdem data commutandi plura vota; aut etiam, 4° dispensandi super quibusdam irregularitatibus.

4626. Circa 1^{m} *privilegium*, observandum est « quòd
» in Constit. *Celebrationem*.... editâ die 1 jan. 1751...

» Bened. XIV declaravit facultatem datam monialibus et
» earum novitiis (23 decembris 1750), eligendi.... sibi, tem-
» pore Jubilæi, quemcumque confessarium, intelligendam
» esse de quolibet confessario approbato ab Ordinario loci
» pro quocumque monasterio loci illius... Notandum (etiam)
» quòd tempore Jubilæi regulares possunt confessionem
» explere apud quemcumque sacerdotem approbatum ab
» Ordinario, etiam sæcularem, ut declaravit Gregorius XIII
» et Alexander VII in Constit. *Unigenitus...*, possuntque
» absolvi ab illo à casibus in eorum Ordine reservatis. »
Ita S. Liguor. (lib. 6, 536, *in fine*).

4627. Circa 2m *privilegium*, notandum quòd pœnitens ex vi Jubilæi possit validè absolvi ab omnibus peccatis et censuris reservatis, etiam Ordinario; imò et ab iis in quæ liberiùs ob spem futuri Jubilæi incidisset, modò confiteatur cum animo et voluntate Jubilæum consequendi, atque ideo omnia opera injuncta præstandi; qui tamen jam absolutus ea opera deinceps non impleret, verè absolutus remaneret etiam ab oblitis reservatis: ita saltem probabiliùs S. Liguor. (lib. 6, n° 537, *quær.* 5, 8°); nec in censuras à quibus fuit absolutus, reincideret (*ib.*, n° 656, XXVII, ex Bened. XIV). — Etsi olim in facultate absolvendi à censuris Bullæ Cœnæ non includebatur facultas absolvendi ab hæresi externâ, hodie includi videtur in potestate absol. ab exc. Papæ speciali modo reserv. (C. *Apost. Sed.*)

4628. « Omnes autem conveniunt quòd si quis cœpit
» confessionem intra Jubilæum (cum intentione illam
» complendi et lucrandi hanc indulgentiam), possit deinde
» absolvi in omnibus reservatis... Et hoc probabiliter exten-
» dunt Sanchez... Viva, cum communi, etiam ad illa reser-
» vata, quæ pœnitens committit transacto tempore Jubi-
» læi, quia pro eo perseverat adhuc idem favor faculta-
» tum. » (S. Liguor., lib. 6, 537, q. 4.)

4629. « Confessarii tantùm in foro sacramentali et eccle-
» siis designatis possunt absolvere et vota commutare » : ex
Bullâ *Inter præteritos*, Bened. XIV, § 63, ap. S. Liguor.
l. 6, n° 536, XIV.

4630. Vi Jubilæi nequit absolvi hæresis externa: ita Bened. XIV (*ibid.*, § 38 et 85); « absolvi tamen possunt

» proferentes blasphemiam hæreticalem, fautores aut re-
» ceptatores hæreticorum; necnon legentes, retinentes,
» vel imprimentes libros hæreticos, quia hujusmodi cri-
» mina non sunt propriè hæresis formalis. » S. Liguor.
(*ib.* n° 537, q. 8, et n° 536, VII, XXV).

4631. « Juxta præsentem Bullarum dispositionem, vi
» Jubilæi confessarii nequeunt validè absolvere eos qui à
» Romano Pontifice, vel quovis alio Prælato, seu Judice
» ecclesiastico, excommunicati, suspensi, interdicti, seu
» alias in sententias et censuras incidisse declarati vel pu-
» blicè denuntiati sunt, nisi intra tempus Jubilæo conse-
» quendo præfixum satisfecerint, aut cum partibus con-
» cordaverint » : verba sunt Bened. XIV in Bullis ann. 1740 et 1751; putant tamen DD. absolvi posse, nondum exhibitâ satisfactione: 1° eos qui ad satisfaciendum sunt verè impotentes; 2° qui mox faciendæ satisfactionis sufficientem præbent cautionem. — Vide Theol. Tolos.; S. Liguor., lib. 6, n° 537, q. 7. — Cautio aut pignoratio exiguntur duntaxat pro foro externo. (S. Liguor., *ibid.*)

Insuper in Constit. *Convocatis* Bened. XIV, dicitur :
« Ab occultis censuris ob partem læsam incursis (confessarii)
» non priùs absolvant quàm parti læsæ pœnitens satisfece-
» rit; vel si priùs pœnitens satisfacere nequeat, non eum
» absolvant nisi juret se satisfacturum cùm primùm po-
» terit. » Rectè dicunt Tambur., etc... non esse opus tali juramento si pœnitens esset perpetuò impotens ad satisfaciendum.

Antequam autem satisfiat fisco vel judici, benè potest impertiri absolutio: ita ex Bened. XIV, S. Liguor., lib. 6, n° 536, XVI.

4632. Juxta Constit. *Inter Præteritos*, § 62, omnes facultates concessæ pro Jubilæo directè conferuntur ad illius consecutionem, et sunt veluti ipsius præparatio; proindè illarum usui locus esse nequit nisi cum eo qui ad consequendum Jubilæum est præparatus et certum habet propositum adimplendi opera injuncta, unde sequitur non tolli reservationem peccatorum per confessionem scienter factam nulliter, quia taliter confessus. seriò habere non

potuit intentionem Jubilæum lucrandi : controvertitur autem an tollatur reservatio per confessionem nullam bonâ fide factam : negans sententia probabilior videtur S. Liguorio (lib. 6, n° 537, q. 2).

4633. Quoad complices sic habet Bulla extensionis Jubilæi anni 1750 : « Non intendimus... ulli confessario » facultatem tribuere absolvendi in quolibet inhonesto » contra sextum præceptum peccato complicem » : hæc juris dispositio servata est in cæteris Jubilæis. In Bullâ autem *Inter præteritos* jam citatâ, dicitur (§ 59 et 60) quòd præter excommunicationem majorem Pontifici reservatam, in Constit. *Apostolici muneris* impositam sacerdoti complici in peccato turpi, qui, extra mortis articulum, confessionem excipit pœnitentis eumque absolvit, vel qui in articulo mortis absolvit cùm alius sacerdos non desit, sive cùm alius sit sacerdos, sibi fingit quòd si pœnitens illi confiteatur, infamia aut scandalum inde oriturum sit, et ideo confessionem ejus excipit aut absolvit, imponitur huic inhabilitas in quocumque Jubilæo absolvendi complicem pœnitentem. (S. Liguor., *ib.*, n° 536, XII.)

4634. Circa *tertium privilegium*. notandum quòd, ante annum 1759, non concedebatur in Jubilæis ordinariis facultas vota commutandi. Sed in suâ Bullâ extensionis Jubilæi, VIII Kalendas januarii anni 1751, Bened. XIV indulsit confessariis omnibus approbatis « Ut vota quæ- » cumque etiam jurata ac Sedi Apostolicæ reservata (cas- » titatis, Religionis [1] et obligatoriis quæ à tertio acceptata » fuerint, seu in quibus agatur de præjudicio tertii, sem- » per exceptis, necnon pœnalibus, quæ præservativa à » peccato nuncupantur, nisi commutatio futura judicetur » ejusmodi ut non minus à peccato committendo refrenet, » quàm prior voti materia) in alia pia et salutaria opera » commutare. »

4635. In foro sacramentali commutanda sunt vota, juxta Constit. *Inter præteritos* (§ 63). Vide S. Liguor. (lib. 6, 536, XIV). — Juxta eamdem Constit. (§ 47) facultas dis-

[1] Nisi agatur de casibus in quibus super hujusmodi votis Episcopi possunt dispensare. (Theol. Tolos.)

pensandi non includitur in facultate commutandi. — S. Liguor. (*ib.*, IX).

4536. An autem qui confessus fuerit tempore Jubilæi possit deinceps à quocumque confessario obtinere commutationem votorum, etsi tempore Jubilæi eam non postulaverit, negant Layman, Suarez, etc., quia absolutio non potuit attingere vota quorum commutatio non fuerat petita: sed communiùs affirmant Lessius, Viva, etc., quia Pœnitens, vi Jubilæi lucrifacti, jus adeptus est ad talem commutationem. Utraque sententia est probabilis, inquit S. Lig. (*ib.*, q. 4), qui addit: « Rectè advertunt Suarez, Holzmann.., » cum communi, quòd pro commutatione præfatâ votorum » non requiritur specialis causa, sed sufficit causa illa » communis, ob quam Pontifex motus est ad Jubilæum in- » dicendum. »

4637. In concessione facultatis *vota jurata* commutandi, includi putant DD. etiam facultatem juramenta commutandi. (Vide Theologiam Tolosanam.)

4638. Circa *quartum privilegium*, notandum quòd solus, ante annum 1750, Alexand. VI, anno Jubilæi 1500..., confessariis facultatem fecit dispensandi, durante hoc Jubilæo, super aliquibus irregularitatibus. Bullâ autem suâ, VIII kalendas jan. 1751, Bened. XIV confessariis ab Ordinario approbatis concessit « ut cum pœnitentibus in sacris ordi- » nibus constitutis, etiam regularibus, super occultâ » irregularitate ad exercitium eorumdem ordinum et ad » superiorum assecutionem ob censurarum violatíonem » duntaxat contractâ, dispensare possint et valeant » ; — hâc facultate uti non possunt confessarii nisi Bullis fuerit inserta clausula eam exprimens; quidam tamen DD. censent irregularitates ex delicto comprehendi nomine censurarum, sed communiùs cæteri negant. (S. Liguor., lib. 6, n° 537, q. 7, *dub.* 2 et 536, X.)

4639.—II. Quoad autem opera ad lucrandum Jubilæum præscripta, ipsa adimpleri debent integrè saltem moraliter: conceditur tamen in Indultis Pontificiis ut aliquando possint per confessarios in alia opera commutari, casu nempe quo vel facultati et viribus pœnitentis non sunt proportio

nata, aut pœnitens est legitimè impeditus illa exsequendi. Facultas autem data commutandi hæc opera non intelligitur data circa confessionem et communionem (nisi agatur de pueris), aut orationem necessariam in visitatione ecclesiarum, nec commutatio fieri potest ad opera aliunde debita, sed fieri debet in opera ejusdem naturæ. Ita Bened. XIV, Const. *Inter præteritos*, § 53, 55; S. Liguor., lib. 6 n° 536, XI.

4640. Quamvis lucrifieri nequeat Jubilæum per opera aliunde debita, v. g., per jejunium aut eleemosynam ex præcepto vel voto debitam, sic tamen acquiri posset, concedente S. Pontifice, si nempe diceret tria jejunia quatuor temporum mensis septembris valere ad lucrandum Jubilæum extraordinarium, aut si in aliquo loco publicatum fuisset tempore Quadragesimæ, aut etiam in hebdomadâ Quatuor temporum. Vide Theol. Tolos. (art. 7, § 1, *quær.* 2°); S. Liguor. (lib. 6, 536, XI) et Bullam *Inter præteritos*, § 52.

4641. Potest quis iterum lucrari Jubilæum si reiteret opera injuncta; verùm primâ vice tantùm potest facultatibus gaudere: Bened. XIV (*ib.*, § 84), apud S. Liguor. (*ib.*, XXV).—Hoc tamen non intelligendum pro lucrandâ indulgentiâ concessâ iis qui præscriptis diebus ecclesiam visitaverint, tunc unica tantùm indulgentia acquiri potest.

4642. Injuncta opera impleri debent tempore à Bullis determinato: in Jubilæis extraordinariis duæ hebdomades solent assignari pro singulis parochiis; controvertitur autem an omnia opera in unâ ex his debeant perfici; et S. Liguor. (lib. 6, n° 37, q. 1) adhæret sententiæ quæ tenet omnia esse perficienda in alterutrâ ex duabus hebdomadibus concessis; probabilissimum tamen habet communionem posse accipi Dominicâ immediatè sequenti: sedulò sunt ponderanda verba quibus usus fuit Pontifex. Ex ordinatione autem confessarii remitti potest communio ad secundam hebdomadam et etiam ultra, si utile judicaverit.

4643. Si finis temporis Jubilæi immineat, nec ampliùs possint exsequi omnia opera injuncta, etsi voluntariè à pœnitente fuerint neglecta, potest confessarius, juxta pro-

babiliorem sententiam, vel prorogare tempus Jubilæi vel in alia opera commutare : ita Viva et Theod. à S. Spiritu, apud Theol. Tolos. (art. 7, § 1, q. 4°).

4644. Itinerantibus prorogantur opera injuncta usque ad reditum, et non tenetur quis suum iter differre (si commodè nequeat) ; imò Croix, n° 1434, rectè id extendit etiam ad illum qui primâ hebdomadâ Jubilæum non est lucratus quamvis potuisset : dicit etiam Lugo quòd si quis in itinere perveniat ad locum ubi Jubilæum promulgatur, poterit illic incipere opera et prosequi in itinere. (S. Liguor., lib. 6, 538, q. IX.)

4645. Opera quæ solent præscribi pro lucrandis Jubilæis sunt visitatio ecclesiarum, oratio, eleemosyna, jejunium, confessio et communio. Quædam circa hæc omnia sunt observanda :

4646. Circa *visitationem* ecclesiarum, notandum est quòd si præ multitudine quis nequeat ipsas *ingredi*, satis est si prope ipsas vel ante fores oret; si verò præscribatur altarium visitatio, sufficiet, orando in ecclesiâ, versùs illa se convertere (Theol. Tolos.). Imò quidam, apud S. Liguor. (lib. 6, n° 538, q. X *in fine*), dicunt sufficere si oretur ante ostium, quando illud est clausum. Non requiritur Romæ, ingredi aut egredi per *portas sanctas*. Ita Bened. XIV, Bulla *Inter præteritos*, § 79, apud S. Liguor., lib. 6, n° 536, XXII.

Omnes visitationes ecclesiarum perfici debent unâ die, à mediâ nocte ad mediam noctem sequentem, vel à vesperâ ad vesperam, juxta dispositionem Bullarum. — Bened. XIV, § 13, apud S. Liguor., lib. 6, n° 236, Li.

4647. Sacra Congregatio Indulgentiarum, cum approbatione S. Pontificis Pii IX, Decretum edidit, 15 martii 1852, quo generalis facultas tributa fuit Ordinariis locorum in quibus unica adest ecclesia, *toties* visitandi *unicam* ecclesiam quot sunt ecclesiæ visitandæ pro Jubilæi acquisitione. — *Analecta*, 6° livr., col. 1206.

4648. Circa *orationem*, nota quòd vocalis sufficiat; qui autem solâ mente orare voluerit laudandus est; aliquam tamen vocalem orationem adjungat. Ita Benedictus XIV,

ibidem, § 83, apud S. Liguorium (*ibidem*, n° 538, q. XI.
— Controvertitur etiam an sufficiat modica oratio vocalis: probabiliùs plures requirunt saltem quinque *Pater* et *Ave*: S. Liguor., *ibidem;* sed si mentaliter oretur, videtur ex Benedicto XIV modò citato quòd sufficiat adjicere modicam orationem vocalem. Oratio autem fieri debet juxta mentem S. Pontificis.

4649. Circa *eleemosynam*, « præcipuè attendenda sunt » verba Indulti, inquit S. Liguor. (lib. 6, n° 538, q. XI); » nam si in eo dicatur : *quantùm pro suâ cuique facultate* » *visum fuerit*, tunc quantitas oportet proportionari cujusque facultatibus...; si verò dicitur: *prout unicuique suggeret devotio ;* vel, *quantùm quisque pro arbitrio judicaverit :* tunc Pasq... dicit eleemosynam erogandam juxta » cujusque facultates. Sed F. Theod. à Spiritu Sancto tenet » sufficere quamlibet etiam modicam quantitatem (quod » probabilius videtur); si tandem dicitur simpliciter : *qui* » *dederit eleemosynam*, distinguendum : si Papa eam postulet tantùm ad exercendam misericordiam in pauperes, » tunc sufficit... dare quamlibet summam; secus si eleemosyna exposcitur in subsidium alicujus operæ piæ... »

4650. Ab eleemosynâ faciendâ probabiliùs *per se* non eximuntur pauperes, nec religiosi, nec uxores, nec filiifamiliâs; sufficit autem ut detur à Superioribus, illis scientibus; si Superior noluerit dare, petenda est commutatio à confessario. Controvertitur an Jubilæum lucrifiat, casu quo datâ famulo eleemosynâ, postea ab ipso pauperibus non distribuitur, vel nonnisi elapso tempore Jubilæi : concedunt autem Lugo et Sporer non fraudari indulgentiâ qui dederit eleemosynam pauperi ficto. (Vide S. Lig., lib. 6, 538, q. XI.)

4651. Circa *jejunium*, observandum est ad id teneri etiam juvenes, senes, aut infirmos, si velint lucrari Jubilæum; sed pro eis in aliud opus commutari potest à confessario. Si autem, die ad jejunandum præscriptâ, occurrat aliqua ex principalioribus anni Festivitatibus, jejunium ad aliam diem per Ordinarium est transferendum. Theol. Tolos. Vide insuper dicta supra (4639).

4652. Circa *Confessionem*, notandum illam esse neces

sariam etiam iis qui habent solùm venialia. Bened. XIV, Const. *Convocatis*, anno 1749, § 46, et *Inter præteritos*, § 77). Si quis post confessionem prolabatur in mortale, debet iterum confiteri, ut opus ultimum fiat in gratiâ (Bened. XIV, Bulla *Inter præteritos*, § 73); sed non tenetur iterare visitationes (*ib.* § 79). Per verba *verè pœnitentibus et confessis*, intelligi debet actualis confessio (*ib.*, § 5). Vide Theolog. Tolos.; et S. Liguor., lib. 6, n° 536, I, XVII, XIX, XXI; et supra (4632).

4653. Circa *Communionem*, vide supra (4639) quoad pueros. Certè communio sacrilega non sufficit, sicut nec sacrilega confessio, quia non possunt esse præparatio ad jubilæum lucrandum. Bulla *Inter præteritos*, § 62; S. Lig., lib. 6. n° 537, q. 2°.

De suspensione indulgentiarum tempore Jubilæi, diximus supra (4598, 4599).

ART. VI.

DE CONFRATERNITATIBUS.

4654. Confraternitates sunt *fidelium* (non verò religiosorum) *Congregationes ad exercenda pia opera, auctoritate ecclesiasticâ institutæ.*

4655. Originem ducunt à regularibus Ordinibus quibus concessum fuit laicorum Congregationes erigere, eisque communicare varias gratias spirituales. « Hujusmodi celebriores Confraternitates, inquit Lequeux, n° 969, sunt *Rosarii* quæ Dominicanis debet originem; *Scapularii* quæ Carmelitis; variæ Congregationes D. N. Mariæ, quæ Jesuitis. Interdum etiam eriguntur Archiconfraternitates in certis ecclesiis cum facultate sibi aggregandi Confraternitates particulares, ut fuit, hujus sæculi initio, erecta Archiconfraternitas SS. Cordis Jesu, in ecclesiâ B. M. *ad Pineam seu in Capellâ*, postea verò translata ad ecclesiam D. N. *de Pace*: ut etiam recenter Parisiis Archiconfraternitas SS. Cordis Mariæ. »

4656. Eriguntur Confraternitates vel ab Ordinariis vel à Superioribus Ordinum quibus hoc conceditur : Confraternitates ab Ordinariis erectæ, solent aggregari alicui Archi-

confraternitati ut illius indulgentiis et aliis gratiis spiritualibus participent.

§ I.

De modo instituendi et aggregandi confraternitates.

4657. Clemens VIII in suâ Constit. *Quæcumque* 7 dec. 1604, quæ est legenda ap. Ferraris (vº *Confraternitates*, art. 1), hæc statuit :

« 1°... Quòd unica tantùm Confraternitas ejusdem generis possit in ecclesiis tam sæcularium quàm regularium institui et aggregari ;

» 2° Quòd id fiat de consensu Ordinarii, et cum litteris testimonialibus ejusdem [1] ;

» 3° Quòd instituentes vel aggregantes Confraternitatem, eidem expressè et in specie communicent privilegia, indulgentias, etc., Ordini instituenti vel aggreganti nominatim concessa; non verò ea, quibus per privilegium communicationis gaudet ;

» 4° Quòd Statuta Confraternitatum examinentur et approbentur ab Ordinario loci, et corrigi possint ;

» 5° Quòd in aggregandis et constituendis Confraternitatibus servetur Formula ab eodem Pontifice approbata;

» 6° Quòd gratiæ et indulgentiæ Confraternitati communicatæ, prævià cognitione Ordinarii duntaxat promulgentur ;

» 7° Quòd Confraternitas eleemosynas et alia charitativa subsidia excipiat juxta formam per Ordinarium præscribendam ;

» 8° Quòd dictæ eleemosynæ pro arbitrio Ordinarii in utilitatem ecclesiæ aliosque pios usus erogentur ;

[1] Hæc statuit Concilium Provinciale Avenionense, anno 1849 (tit. cap. 1, 3°) : « Sodalitia... in ecclesiis parochialibus vel in orator » ecclesiæ parochiali in subsidium annexis, directorem habent Par » chum aut ejus delegatum, nisi aliter Ordinario visum fuerit. Q » verò oratoria habent extra parochialis ecclesiæ mancipium, jur » dictioni Ordinariorum immediatè subjiciuntur qui eas sacerdoti c » libuerit administrandas committent, salvis tamen, de jure, par » chorum attributionibus. Unde cavebunt summopere Sodalitates » missæ officia piaque exercitia, eàdem horà celebrentur quà mis » parochialis et officium vespertinum. »

» 9° Quòd confessarii Confraternitatum sint ab Ordina-
» rio approbati;

» 10° Quòd si sint regulares, à propriis etiam Prælatis
» approbentur, et absolvant confratres juxta privilegia eis-
» dem concessa, dummodo... sint in usu, nec Concilio
» Tridentino cæterisque Pontificum Constitutionibus ad-
» versentur;

» 11°..; 12° Quòd litteræ erectionis et aggregationis *gratis*
» dentur. Vide Ferraris, v° *Confraternitas*, art. 1, n^is 3-14. »

4658. Notandum est circa ultimam Clementis VIII dispositionem quòd S. C. Indulg. 6 martii 1608 permisit Superioribus Archiconfraternitatum aliquid exigere pro expensis faciendis occasione expeditionis litterarum erectionis vel aggregationis; sed prohibuit ne, sub quovis prætextu, ultra unum scutum aureum exigerent, « computatis per-
» gamenâ, scripturâ, vel impressionis stipendio, sigillo-
» rum capsulis, chordulis, cerâ, secretarii notariique
» labore, mercede, aliisque omnibus. » Apud Ferraris (v° *Confraternitas*, art. 1, n° 47).

4659. *Archiconfraternitatis* nomine intelligitur *Confraternitas* privilegium habens alias sibi aggregandi, eisque communicandi spirituales gratias sibi à S. Sede concessas.

Potestate ordinariâ Episcopus valet Confraternitates erigere : ex privilegio autem à Paulo V concesso seu confirmato easdem erigere possunt Generales Ordinum : aggregatio verò Confraternitatis alicui Archiconfraternitati per istius officiales peragitur; hæc aggregatio fit ad participandum indulgentiis et gratiis spiritualibus Archiconfraternitati concessis.

4660. Juxta § 6 modò citatæ Constit. Clementis VIII, Generales Ordinum aut Superiores Institutorum, Archiconfraternitatum, erigendo vel aggregando Confraternitates, uti debent formulâ à S. Pontifice approbatâ; hæc formula refertur à Ferraris, v° *Confraternitas*, art. 1, nempe n° 17, pro erigendis Confraternitatibus, et n° 18, pro iisdem aggregandis. Vide etiam D. Bouix, *De Episcopo*, tom. 2, p. 317. Hæc autem formula requiritur sub pœnâ nullitatis, juxta eumdem Ferraris (*ibid.*, n° 19), sed hoc

negat auctor operis : *Le Chrétien éclairé*, etc., p. 241, 4ª edit. — Nulla autem determinata fuit à jure formula pro casu quo Ordinarius Confraternitates erigit. Vide *Chrétien éclairé*, etc., p. 241, 4ª edit., ubi citat Decretum 17 nov. 1842.

4661. Non solùm in eâdem ecclesiâ prohibetur plures ejusdem generis Confraternitates erigere, ut supradictum fuit ex Const. *Quæcumque* Clementis VIII (4657, 1°), sed insuper ad erectionem novæ Confraternitatis distantia trium milliarium (seu unius leucæ circiter) ab aliâ simili requiritur : in Formulâ enim erectionis à S. Sede approbatâ dicitur : « Dummodo talis alia similis (*Confraternitas*) in » ipso vel alio ad tria milliaria propinquo loco erecta non » fuerit » : et idem supponitur in variis Brevibus et Decretis S. Sedis, ut videre est ap. Ferraris (*ibid.*, n° 32, etc.) ; ab eâ tamen regulâ excipiuntur SS. Sacramenti et Doctrinæ Christianæ Confraternitates, et sæpe pro aliis, accedente Ordinarii consensu, obtinetur dispensatio. Ferraris (*ibid.*, n° 29, etc.); Bouix, *De Episcopo* (tom. 2, p. 321); *Chrétien éclairé*, etc. (p. 241, 4ª edit). Et cf. App. XXV.

« Ex duabus Confraternitatibus ejusdem tituli et Instituti, » si una prius obtinuerit licentiam, et altera... priùs sit » erecta, hæc et non illa remanere debet si postea appro- » batur. » Ita Rota apud Ferraris (*ib.*, art., 1, n° 66, etc.).

4662. Confraternitates laicorum erigi nequeunt in monialium ecclesiis : vide pluriès decisum à S. Congr. Episc et Regul., apud Ferraris (*ibid.*, n° 38). — Regulares verò qui fruuntur privilegio Confraternitates erigendi in propriis ecclesiis, non posunt sinè licentiâ Ordinarii eas erigere cum usu saccorum (*robes de pénitents*). S. Congr. Episc. et Regul., 6 decemb. 1610 ; Ferraris, *ib.*, 37 ; Bouix, *ibid.*, 321, etc.

§ II.

De Episcoporum auctoritate in Confraternitates.

4663. Ex Const. *Quæcumque* Clementis VIII supra relatâ, 4657, vidimus quod Confraternitates sunt erigendæ et

aggregandæ de consensu Ordinarii, et quòd ad eumdem pertinet illorum Statuta condere, examinare, corrigere, innovare; et hoc procedit etiamsi Confraternitas alicui Archiconfraternitati fuerit aggregata; excipe si Statuta fuissent Sedis Apostolicæ auctoritate confirmata, aut in vim contractûs condita. Ferraris, *ib.*, art. 6, n^is 39 et 40; Bouix, *ibid.*, p. 325.

4664. Ex his sequitur quòd Archiconfraternitates possint quidem indulgentias et gratias spirituales communicare Confraternitatibus, non verò propria privilegia, nec etiam Statuta, nisi consentiente et approbante Ordinario: unde per aggregationem nihil detrahitur jurisdictioni Ordinarii. Ferraris (*ibid.*, art. 1, n^is 41 et 42).

4665. Visitationi Episcopali subsunt Confraternitates: ita declaravit S. Congr. Concilii 23 junii 1719: « Confra-
» ternitates laicorum in ecclesiis regularium exemptorum
» institutas subesse jurisdictioni et visitationi Episcopi,
» illasque visitari posse, necnon illarum capellas in iisdem
» ecclesiis regularium existentes: in his tamen quæ Con-
» fraternitatum administrationem respiciunt. Et si Con-
» fraternitatibus incumbit onus manutenendi altare et
» illius cultum, Episcopum posse visitare circa ea quæ
» respiciunt ipsam manutentionem, cultum, ornamenta
» altaris seu capellæ, onera missarum atque divinorum
» officiorum ibidem celebrandorum, et circa ea omnia
» quæ ad obligationem eorumdem confratrum relationem
» habent »: — quæ decisio effecta est regula generalis, juxta Bened. XIV, *Instit.* 105; eique pluries se conformavit eadem S. Congreg. Vide Ferraris (*ib.*, art. 3, n° 39).

4666. Confraternitatum administratores compelli possunt ab Episcopo ad reddendam rationem suæ administrationis, et ad hunc finem cogi possunt ad libros administrationis afferendos, vel in Palatium episcopale vel etiam in domum ubi, tempore visitationis, Episcopus degit: ita pluries decisum à S. C. Concil. apud Ferraris, *ib.*, art. 3, n° 9.

4667. Controvertitur an Episcopus per edicta pœnalia valeat cogere Confraternitates quæ sacco utuntur, ad solitis processionibus interessendum: eas compelli posse affirmat

Ferraris, si adsit consuetudo et non exstet speciale privilegium exemptionis : citat decisionem S. C. Conc. in *Nucerinâ Payanor.*, 15 ap. 1690, et in *Novariensi*, 16 apr. 1692, *ib.*, n° 15. Ita etiam Concil. Avenion., anni 1849, (tit. 8, cap. 1, 5°).

4668. Ordinarius, per seipsum aut per delegatum, potest assistere congregationibus Confraternitatum, etiam pro electionibus officialium, etiamsi fierent in ecclesiis et oratoriis regularium in quibus sunt erectæ, modò non faciat novitates : ita decisum à S. C. Episc. et Regul., 1 apr. 1596, 15 jul. 1600, 24 nov. 1690 ; votum tamen dare non debet. S. C. Concil. in *Senogal.*, 5 jun. 1707. (Ferraris, *ibid.*, n° 17.)

4669. Nequit Episcopus confratres expellere aut novos admittere ; ad dubium : « an sint reintegrandi confratres » ultimo loco deleti ab Episcopo, et respectivè delendi » novi confratres ab Episcopo electi : respondit S. Congr. » Concil. die 16 sept. 1799 : *Affirmativè.* » Vide Bouix, *De Episcopo*, tom. 2, p. 325.

4670. Item nequit Episcopus sibi assumere administrationem bonorum Confraternitatum, nisi illa bona à confratribus dilapidarentur : jus tamen habet confirmandi œconomos et administratores electos, atque ab eis exigendi juramentum de fideliter administrando, et ut sibi administrationis rationem reddant ; sed non potest prohibere ne expensæ fiant ultra 20 scuta, etc. : S. C. Conc., 10 mart. 1663. Non autem possunt confratres quæstuare absque licentiâ Episcopi, etiam in propriâ ecclesiâ. Ita S. Congr. Conc., apud Ferraris (art. 3, n^{is} 23, 37).

4671. Item nequit Episcopus prohibere aut restringere solita exercitia, etsi esset flagellatio secreta et sinè lumine (S. C. Episc., 1 sept. 1578) ; insolita autem potest, si talia essent quæ offensionem aut scandalum generare possent (S. C. Episc., 9 apr. 1602 ; Ferraris, *ib.*, art. 3, n° 30, etc.), insolita esset apud nos in Galliâ flagellatio secreta et sinè lumine, et fortè posset offensionem et scandalum generare.

4672. Delegatus Episcopi valet interesse confratrum

congregationibus, nec ab eis si veniat repelli potest; sed sine eo confratres congregationem habere queunt; nec valeret Decretum Episcopi statuens illos non posse congregari absque sui delegati præsentiâ, sub pœnâ nullitatis agendorum. Vide hæc decisa apud eumdem Ferraris (*ib.*, n° 33, etc.).

4673. Sine causâ, reluctantibus confratribus, revocari ab Episcopo nequeunt capellani Confraternitatum. S. C. Episc. et Reg., 3 oct. 1692.

4674. Vi solius nominationis, capellanus facultatem non habet indulgentias applicandi rosariis, scapulariis, etc.

Director Confraternitatis, sinè speciali licentiâ, suppleri nequit per vicarium aut alium delegatum, pro receptione confratrum. Decretum 22 aug. 1842. (*Chrétien éclairé*, etc., p. 242, 4ª edit.)

§ III.

Quædam alia circa Confraternitates.

4675. Confraternitates, in Galliâ ante Concordatum 1801 erectæ, si sub eodem titulo, cum iisdem statutis et habitu, ab Ordinario postea restitutæ fuêre, indulgentias et privilegia ante Concordatum concessa non amiserunt, juxta decisionem 22 febr. 1847, et 14 maii 1853. (*Chrétien éclairé*, n° 63, *in fine*.)

4676. Confraternitates liberè possunt ab ecclesiis in quibus fuerunt erectæ discedere et expelli si adsit causa, etiamsi essent erectæ in ecclesiis regularium : ita pluries decisum; hæc autem translatio fieri nequit sinè consensu majoris partis confratrum collegialiter præstito. Non autem levis est quæstio an id sit dicendum casu quo erectio ad Superiores regularium pertinet vigore Apostolici privilegii : ratio dubitandi est quòd hujus generis Confraternitates sint membra ecclesiarum in quibus fuerunt erectæ; sententiam negantem à S. Auditorio amplexatam fuisse refert Ferraris (*ib.*, art. 1, n[is] 39, 56-60). « In casu verò permis-
» sæ translationis Confraternitatis de unâ ad aliam eccle-
» siam, intelligitur quoque permissa translatio bonorum

» ad easdem Confraternitates spectantium. » (*Ibid.*, 61.)

4677. « Ad processiones quæ fiunt occasione funeris, » Confraternitates accedere non possunt, nisi invitatæ... : » ita pluries declaravit S. C. Episc..; — et si invitatæ sint, » cadavera deferre non possunt ad sepulturam, nisi con- » sentiant hæredes. »

4678. Dicit quidem Ferraris (*ib.*, art. 3, n° 28) quòd « nulla » Confraternitas impediri debet ne accedat ad funera, » modò sinè jurium parochialium præjudicio. S. C. Episc... » 26 aug. 1616. » — Hæc autem decisio præcedenti non contradicit, quidquid videatur dicere D. Bouix, *De Episcopo*, t. 2, p. 327; nam etsi nequeant Confraternitates impediri à parocho, si sinè ejus præjudicio ab hæredibus sint invitatæ (1419), necesse est tamen quòd expressè invitentur ut possint accedere, juxta S. C. Rit... 9 decemb. 1617, ut videre est ap. eumdem Ferraris (*ib.*, art. 6, n. 26).

4679. Confraternitas potest suas habere congregationes absque licentià et interessentià parochi (S. C. Conc., 24 sept. 1718 : ap. Ferraris, *ibid.*, art 2, n° 2, *in fine*). Debet tamen parochus invitari ut præsit congregationibus faciendis tam in *imbussolationibus* et extractione priorum et officialium quàm in redditione rationum. S. C. Conc., 15 mart. 1728. (Ferraris, *ibid.*)

De pluribus aliis ac imprimis de relationibus Confraternitatum erga parochos, vide dicta supra (618-620). — De sepulturà confratrum, vide Ferraris (v° *Confraternitas* art. 5). — Quoad præcedentiam, vide dicta supra (638).

4680. Hæc autem sancita fuère à Concil. Avenionensi 1849 (tit. 8). « ... 7° Singulis annis ratio reddatur æris ac- » cepti aut impensi Ordinario vel ejus delegato.

» 8° Singulæ Confraternitates habeant catalogum offi- » cialium et sodalium, tabellas et codices rationum et » computorum, de rebus gestis instrumentorum, funda- » tionum, affiliationis et indulgentiarum et album tandem » benedictionum SS. Sacramenti sub sigillo Episcopi. »

In Gallià Confraternitates non agnoscuntur à lege civili : civiliter ergo nihil accipere aut possidere valent, sed quidquid illis datur ad fabricam ecclesiæ parochialis pertinet.

§ IV.

De variis Confraternitatibus et Indulgentiis eis concessis.

4681. Longum esset illas Confraternitates enumerare et exponere omnia quibus à se invicem distinguuntur, et innumeras gratias et indulgentias quæ à confratribus possunt acquiri. Hæc omnia exponuntur in variis operibus de hoc specialiter tractantibus prout in *Traité des indulgences* DD. Bouvier; *Chrétien éclairé* P. Maurel jesuitæ, et in aliis quæ à directoribus animarum et præsertim à parochis sunt consulenda.

CAPUT XII.

DE EXEQUIIS ET CŒMETERIIS.

ART. I.

DE EXEQUIIS.

4682. — I. *Quid sit faciendum ante Exequias?* — Non solùm decet, ubi pia viget consuetudo, aliquibus ictibus pulsare campanam, ante instantem ægroti mortem, ad significandum fidelibus ut tunc pro eo Deum rogent, prout monet *Rituale Romanum*, sed, egressâ animâ de corpore, addit idem *Rituale*, « *interim* detur campanæ signum » transitûs defuncti, pro loci consuetudine, ut audientes, » pro ejus animâ Deum precentur. Deinde (postquam tamen satis de morte constat, ne quid vitæ, si fortè supersit, nocere valeat) corpus de more honestè compositum, » loco decenti, cum lumine collocetur, ac parva crux » super pectus inter manus defuncti ponatur; aut ubi crux » desit, manus in modum crucis componantur; interdum » aspergatur *aquâ benedictâ*, et interim donec efferatur, » qui adsunt, sive sacerdotes, sive alii, orabunt pro defuncto. »

4683. Corpora laicorum suis non solent indui vestibus :

etsi hoc non sit vetitum, juxta Cavalieri, apud De Herdt (pars 6, n° 28, III); sed « sacerdos, aut cujusvis ordinis » clericus defunctus vestibus suis quotidianis communi- » bus usque ad vestem talarem inclusivè, tum desuper » sacro vestitu sacerdotali vel clericali, quem ordinis sui ra- » tio deposcit, indui debet : sacerdos quidem super talarem » vestem amictu, albâ, cingulo, manipulo, stolâ et casulâ » seu planetâ violaceâ sit indutus.

» Diaconus verò induatur amictu, albâ, cingulo, ma- » nipulo, stolâ super humerum sinistrum.., et dalmaticâ » violaceâ.

» Subdiaconus autem amictu, albâ, cingulo, manipulo » et tunicellâ.

» Alii præterea inferiorum ordinum clerici superpelliceo » supra vestem talarem ornari debent; singuli prædicti » cum tonsurâ ac birretis suis. » Ita *Rituale Romanum.* Quibus autem vestibus induendus sit Episcopus videre est ap. *Cæremoniale Episcoporum*, lib. 2, cap. 38, n° 10.

« Canonico... defuncto induto planetâ seu dalmaticâ » (si sit tantùm diaconus) vel tunicellâ (si sit tantùm sub- » diaconus) imponi potest almutia super brachium. S. R. » C., 4 aug. 1663 » : ap. Ferraris (v° *Sepultura*, n° 348).

4684. An verò præfati clerici non tantùm debeant sacris vestibus juxta suum ordinem indui, pro tempore exequiarum quo exponuntur in ecclesiâ, sed an etiam cum iisdem sacris vestibus sint in sepulchrum recondendi, servanda est in hoc cujusque loci consuetudo, juxta Declarationem S. R. Congr., 12 nov. 1831, n° 4520 25.

4685. — II. *Quænam sint specialiter notanda circa exequias.* Jam plura diximus supra (1392-1432, 3724-3756) de exequiis : videlicet de eo ad quem spectat illas celebrare; de loco sepulturæ; de iis qui ad ipsas possunt invitari; de præcedentiâ servandâ inter eos, de diebus quibus celebrari possunt missæ defunctorum, de emolumentis ex funeribus provenientibus, etc.; plura tamen adhuc supersunt expendenda :

1° Exequiæ omni tempore fieri possunt : attamen Triduo Majoris Hebdomadæ solemniter et cum cantu fieri

nequeunt, sed officium et preces privatim sunt recitanda (S. R. Congr., 11 aug. 1736, n° 3901), sinè aliâ mutatione (S. R. C., 16 jan. 1676, n° 2660 6); in Sabbato autem Sancto post meridiem, etiam in cantu et solemniter celebrari possunt, sed potiùs ad vesperam, juxta Cavalieri (tom. 3, *decis.* 127, V). — Aliis diebus solemnibus exequiæ solemnes et in cantu non prohibentur, sed si missa *De Requiem*, præsente corpore, cantari non liceat, laudabiliùs ad vesperam, post expletum diei officium, differuntur.

4686. Si exequiæ diebus Dominicis et Festivis peragantur, fieri debent sinè præjudicio Missæ conventualis, aut parochialis, concionis, et aliorum officiorum (S. R. C., 26 jan. 1793, n° 4299 7; — *Rituale Romanum*); nec propter exequias anticipanda aut differenda sunt hujusmodi officia, quia sunt de præcepto, et particulare bonum, ut sunt exequiæ, publico communitatis bono postponi debet.

4687. Item fieri nequeunt coram SS. Sacramento publicè exposito, unde si velari aut deponi nequeat Sanctissimum, non debet cadaver inferri in ecclesiam; et tunc, si exequiæ differri nequeant, extra ecclesiam fieri possunt etiam solemniter; aut si fiant in ecclesiâ, fieri debent privatim sinè cantu, sinè missâ et in capellâ laterali.

4688. Exequiæ nunquam fieri possunt de nocte nisi de licentiâ Ordinarii: S. Cong. Conc. 15 mart. 1704. Vide De Herdt, pars 6, n° 29, III; et *Revue des sciences ecclés.*, n° 10, p. 341, etc.

4689. — 2° Quoad fieri potest, missa exequialis in die depositionis celebrari debet: sic enim habet *Rituale Romanum*: « Quod antiquissimi est instituti, illud quantùm » fieri poterit retineatur, ut missa, præsente corpore defuncti, pro eo celebretur, antequam sepulturæ tradatur. » Excipe tamen si hora congruens non fuerit, vel si obstet solemnitas diei, vel missa conventualis aut parochialis aut aliud publicum impedimentum: in his duobus ultimis casibus, nec etiam convenit cadaver inferre infra missam diei, quia pro exequiis celebranda est Missa *De Requiem*,

ut in *die obitûs*, juxta *Rituale Roman.*, et quia missa e officium exequiale in paramentis nigris fieri semper debent in his casibus missa est supplenda diebus subsequentibus vide De Herdt, pars 6, n° 30, I.—An parochus debeat gratis applicare missam pro pauperibus, vide dicta supra (3518).

4690. — 3° In missis et officiis defunctorum non sunt adhibenda musica instrumenta (Bened. XIII, in Concil. Romano, tit. 15, c. 6), nec etiam musica vocalis, sed adhiberi debet cantus firmus, juxta *Cæremon. Episc.*, lib. 1, c. 28, n° 13; observat tamen Annotator hujus *Cæremon.* (*ibid.*) Episcopus suffraganeus Civitatis *Québec* : « A Rome, » l'orgue ne s'entend jamais aux offices des morts, ni à » ceux de l'Avent et du Caréme; mais les messes de *Re-* » *quiem*, du moins dans les grandes églises, sont en *mu-* » *sique.* »

4691. — 4° Ex *Rituali Romano*, officium defunctorum, saltem ex parte, est recitandum in celebratione exequiarum : vide etiam decis. S. R. C., 8 jul. 1602, n° 7; 22 decembr. 1612, n° 319; 23 decemb. 1662, n° 2052; — sed hoc præscriptum non observatur apud nos : vide De Herdt, *ibid.*, IV, et strictè non obligat. (S. R. C., 12 mart. 1616.)

4692. — 5° Circa cereos in exequiis adhibendos sic habet *Rituale Roman.* : « Cùm antiquissimi ecclesiastici ritûs » sit cereos accensos in exequiis et funeribus deferre, ca- » veant parochi ne ejusmodi ritus omittatur. » — Quoad autem pauperes vult idem « ut debita lumina suis impensis, » si opus fuerit, adhibeant sacerdotes ad quos defuncti » cura pertinet, vel aliqua pia Confraternitas si fuerit, » juxta loci consuetudinem. »

Adhibendi sunt cerei communes, juxta *Cæremoniale Episcop.* (lib. 2, c. 11, n° 1) : quod intelligi debet de cereis flavi coloris (De Herdt, p. 6, n° 30, V, 3°).

4693. — 6° « Constituto tempore quo corpus ad eccle- » siam deferendum est, convocetur clerus et alii qui funeri » interesse debent, et in parochialem vel aliam ecclesiam, » juxta loci consuetudinem, ordine conveniant », inquit

Rituale Roman., nec licet expectare per viam vel ad domum defuncti. S. R. C., 17 sept. 1822, n° 2442.

4694. « Parochus (vel alius sacerdos celebrans) indutus » superpelliceo et stolâ nigrâ, vel etiam pluviali ejusdem » coloris, clerico præferente crucem et alio aquam bene» dictam, ad domum defuncti unà cum aliis procedit; dis» tribuuntur cerei, et accenduntur intortitia. Mox ordi» natur processio, præcedentibus laicorum Confraternita» tibus, si adsint; tum sequitur clerus regularis et » sæcularis, per ordinem; binique procedunt, prælati » cruce (ita ut imago crucifixi cruciferario tergum vertati » S. R. C., 18 maii 1675, n° 2580 1), devotè psalmos... » decantantes, parocho præcedente feretrum, cum lumi» nibus; indè sequuntur alii funus comitantes, et pro de» functo Deum ritè deprecantes sub silentio. » Ita *Rituale Roman.* — Diaconus et subdiaconus sacris vestibus induti non adhibentur. S. R. C., 23 maii 1846, n° 4904.

4695. Cùm pervenerint ad domum defuncti, celebrans, cum deferente aquam benedictam et nonnullis aliis, ingreditur domum seu locum ubi jacet defunctus: ipse se sistit ad pedes defuncti, retrò habens clericum aquam benedictam ferentem; crucifer inter ceroferarios stat ad caput, et reliqui circa feretrum. Vide De Herdt (pars 6, n° 31, V) et *Rituale Romanum*.

4696. Dicit De Herdt (*ibid.*) non decere ut cadaver currui imponatur, quia indecens est quòd Celebrans et clerici sacris vestibus induti cum cruce currum pedibus antecedant: in magnis tamen Civitatibus, usus est quòd cadavera currui imponantur, et hujusmodi usus ex necessitate legitimari videtur; à Sacrâ autem Congr. Episc. et Regul. dicitur tantùm: « nullo modo est tolerandus abusus quòd » mortui curru clausi deferantur ad ecclesiam. » 17 mart. 1630, apud Ferraris (v° *Sepultura*, n° 231. V. App. XVIII.)

4697. « Laici cadaver, quolibet generis aut dignitatis » titulo præditus ille fuerit, clerici ne deferant sed laici. » *Rituale Romanum*.

« In deferendo funere præstantissimi viri licet ut ali» quot nobiles fimbrias panni funebris apprehendant, sed

» hoc quoad ecclesiasticos, in funere etiam sacerdotis licet » nobilis, prohibetur per Decret. S. R. C., 20 sept. 1681, » n° 2813 » : scilicet ne hoc fiat per clericos; sic enim habet præfata decisio : « decedenti.. sacerdoti.. nobili. eodem » fermè modo, quo cum laicis consueverant, in sacris ves- » tibus à sacerdotibus elato, fimbrias itidem hujusmodi » opertorii detulerunt; quapropter supplicatum fuit pro » declaratione : an id sit prohibendum? Et S. R. C. res- » pondit : *prohiberi ecclesiasticis tantùm.* Et ita decrevit » die 20 sept. 1681. »

4698. Cadavera, recto tramite, et viâ breviori ad ecclesiam deferri debent, dummodo via sit commoda et decens. S. R. C. 11 aug. 1691, n° 3092; 15 sept. 1742, n° 3983; Congr. Episc. 11 decemb. 1615. — Cavalieri tamen (tom. 3, decis. 132) plures exceptiones enumerat.

In ecclesiâ clerici in duas lineas disponuntur quarum una se sistit ex parte Evangelii et altera ex parte Epistolæ, ita ut juniores cruci, et seniores seu digniores celebranti sint viciniores, et in eorum medio feretrum deponitur; Celebrans se sistit ad pedes defuncti : cruciferarius autem ad caput inter duos ceroferarios, etsi fiant exequiæ sacerdotis. S. R. Cong., 3 sept. 1746, n° 4032 2.

4699. Feretrum deponendum est in medio ecclesiæ, etiamsi agatur de Episcopis (*Cærem.* lib. 2, cap 38, n° 25)[1] consuetudo tamen, inquit De Herdt (*ib.*, n° 31, II), huic dispositioni multùm derogavit : ita ponendum est ut, si sit corpus laici vel clerici non sacerdotis, cujuscumque dignitatis, pedes sint versùs altare coram quo exequiæ fiunt; si autem sit corpus presbyteri, habeat caput versùs altare. *Rituale Romanum.*

Apponi possunt insignia honorifica gradûs et dignitatis defuncti ad latera vel ad pedes; item stemmata gentilitia è feretro pendentia, non verò insignia sodalitatis ab Ecclesiâ damnatæ (Ita Concil. Avenion. et Suession., 1849). Pal-

[1] Absente autem corpore, crucifer semper se sistit inter feretrum et portam ecclesiæ, et Celebrans inter altare et feretrum. (Vide De Herdt, pars 6, n° 34, III).

lis tamen vel alia altaris ornamenta, et à fortiori paramenta sacerdotalia (nisi sint insignia ordinis defuncti), adhiberi non possunt ad ornamentum feretri. Vide *Rituale Roman.;* De Herdt (*ibid.*, n° 31 12) : poni potest corona super feretrum virginum. (De Herdt, *ibid.* V. infra App. XIX.

4700. — 7° Si habenda sit oratio funebris, hæc fit, missâ finitâ, ante absolutionem. (De Herdt, *ib.*, n° 32, II.)

« Si, prout fit aliquando, ad tumulum oratio habeatur » à laico, et de humanis potiusquam de christianis vir» tutibus, clerus discedat expleto funere. » (Conc. Aven. 1849, *De Exequiis*. p. 66.)

In oratione *Non intres*, verba *cum servo tuo* mutari non debent, etiamsi pro muliere exequiæ fiant (De Herdt, *ib.*, VI); versus *Requiem æternam* et alii dicuntur in singulari numero (De Herdt, *ib.*, XI).

4701. — 8° Finitâ absolutione, corpus ad sepulchrum defertur eodem modo et ordine quo ad ecclesiam allatum est; si verò statim non deferatur ad sepulchrum, omittitur antiphona *In paradisum*, juxta *Rituale Romanum.*

In certis locis ob distantiam cœmeteriorum, Celebrans et clerus non comitantur funus usque ad sepulchrum : eo casu dum funus defertur ad portam dicitur antiphona *In paradisum ;* et ibi, deposito feretro, reliqua fieri et recitari possunt : imò hæc omnia fieri possunt in ecclesiâ, si talis adsit consuetudo. S. R. C., 28 jul. 1832, n° 4545 2. — Vide De Herdt (n° 33, I, V).

4702. — 9° Quando ob varias causas, die depositionis defuncti omittuntur missa et officium defunctorum, non est quidem obligatio rigorosa illa postea supplendi, cùm *Rituale Roman.* de hujusmodi obligatione omnino sileat; sed menti Ecclesiæ saltem congruit ut postea suppleantur, cùm ideo privilegium conceditur ut missa exequialis diebus subsequentibus celebretur in Duplicibus majoribus, ut supra diximus (3728, etc.).

4703. Si autem missa exequialis et officium defunctorum differantur, aliæ tamen preces et suffragia non sunt omittenda, juxta *Rituale Romanum* (*De Exequiis*, *in fine*), neque etiam differenda; si tamen quædam ex consuetu-

dine legitimâ omitti soleant, omnia omitti non debent; corpus igitur solitis cæremoniis et precibus ad ecclesiam deferendum est, eoque in ecclesiâ deposito, absolutio est facienda, ac deinde consueto modo sepeliendum est.

4704 In casu contagionis vel nimii fetoris, corpora sepeliri possunt quin prævîè ad ecclesiam deferantur. (Vide De Herdt, p. 6, n° 35, I, II.)

4705. — 10° Preces exequiales fieri pro pluribus regulariter non decet : si tamen esset necessitas, ut tempore belli, epidemiæ, nulla in hoc esset difficultas ; imò juxta Cavalieri preces exequiales fieri possunt super cadaveribus in quibus infideles immixti essent fidelibus, quia isti jus ad hujusmodi preces habent. (De Herdt, *ib.*, III.)

4706. — 11° Circa parvulorum exequias, observandum est illas dividi in tres classes : nempe 1° non baptizatorum; 2° ante usum rationis decessorum; 3° post adeptum usum rationis defunctorum.

1. Parvuli *non baptizati* cum precibus Ecclesiæ non sunt sepeliendi, nec in loco benedicto : propter tamen humanæ naturæ dignitatem, non debent manere insepulti more belluarum, sed in loco honesto, à loco sepulturæ fidelium distincto, recondendi sunt; nullus clericus profanæ illi sepulturæ interesse debet. (De Herdt, pars 6, n° 33, VIII, 5°.)

4707. — 2. Quoad *decessos ante usum rationis*, tales censentur qui nondum septimum annum compleverunt, nisi malitia suppleverit ætatem, quod prudentiæ parochorum dijudicandum relinquitur. Parvuli ergo ante usum rationis defuncti, induuntur juxta ætatem, eisque imponitur corona de floribus aut herbis aromaticis in signum virginitatis; specialis locus in cœmeteriis ipsis assignatur. Cæterùm ipsorum exequiæ iisdem diebus et tempore fieri possunt ac exequiæ adultorum, et si tunc campanæ pulsentur, quod non fit ubique, non sono lugubri, sed potiùs festivo pulsandæ sunt.

4708. Non est obligatio, in hujusmodi exequiis, missam celebrandi : laudabiliter tamen id fieri potest in gratiarum actionem et laudem divinæ misericordiæ, similesque fines : et tunc dicenda est vel de die, vel, si rubrica permittat, de

Angelis, etc. : quæ tamen missæ votivæ, nullo gaudent privilegio, et tantùm dici possunt iis diebus quibus licent votivæ privatæ. S. R. C., 21 jun. 1632, n° 813; 16 jan. 1677, n° 2059; 23 mart. 1709, n° 3651 1.

4709. Celebrans induitur superpelliceo et stolâ, imò potest indui etiam pluviali, sed coloris albi, etiam in Triduo Majoris Hebdomadæ; in hoc autem Triduo omitti potest *Gloria Patri* in fine psalmorum, quod tamen tunc etiam dici potest, sicut dicendum est in aliis temporibus loco *Requiem æternam*, quod non dicitur in hujusmodi exequiis. Vide S. R. C., 16 jan. 1677, n° 2660, apud De Herdt (*ib.*, n° 37, VIII).

Etsi non sit præceptum cereos adhibere in sepulturâ parvulorum, certè tamen adhiberi possunt. De Herdt, *ib.*, n° 37, VIII.

Asperguntur corpora parvulorum ad expellendos dæmones ne corporibus illudant; at dici non debet *Requiescat*, nec *Asperges me*; neque aspersio est facienda circumdando feretrum, sed per modum crucis ter, in medio, à dextris et à sinistris. (De Herdt, *ib.*, X.)

4710. — 3. *Pueri usum rationis adepti*, quales præsumuntur qui septimum annum attigerunt, sepeliendi sunt more adultorum, nec toleranda consuetudo quarumdam ecclesiarum quæ pro talibus celebrant missam *De Requiem* pro defunctis parvuli consanguineis, aut votivam de Angelis, etc., aut recitant preces pro parvulis ante usum rationis defunctis præscriptas. Si dubitetur an parvulus ad usum rationis pervenerit, licet sub conditione pro ipso orare et missam diei applicare. Quoad jura stolæ observanda sunt Statuta diœcesana, vel locales consuetudines, quæ non semper permittunt exigere eadem jura ac pro adultis, nisi pueri duodecimum vel quarto-decimum annum attigerint. Vide De Herdt (pars 6, n° 37, I).—In hâc autem diœcesi Valentinensi jura pro adultis non sunt exigendi nisi pro pueris qui jam corpori Christi communicârunt (*Ordonn. de Valence*, p. 467.)

4711. — III. *Observanda quando exequiæ fiunt absente corpore et die 3°, 7°, 30°, et anniversario.*

Fieri tunc potest absolutio, sed non præcipitur, juxta S. R. C., 31 jul. 1665, nº 2198,7, nisi ad hoc teneatur parochus ex accepto stipendio vel legato.

Fieri tamen nequit nisi diebus quibus permittitur *Missa De Requiem* in casu de quo agitur; nec convenit ut, post missam *diei*, absolutio, quæ in nigris semper fieri debet, peragatur (S. R. C., 21 apr. 1668, et pluries postea, ut 16 mart. 1833, nº 4553). « Si tamen, testatore sic jubente, » absolutio quotidiè sit facienda, potest decantari, exceptis » Duplicibus 1 et 2 classis, Octavis privilegiatis, Hebdo- » madâ Majori, Dominicis et Vigiliis Nativitatis D. et Pen- » tecostes : in quibus, ne pia testatoris voluntas defraude- » tur, recitari debet privatim, absolutis horis canonicis. » S. R. C., 8 jul. 1741, nº 3968; 23 aug. 1746, nº 4186. » De Herdt, pars 6, nº 36, II.

Versus et Oratio, si officium fiat pro uno vel unâ, dicuntur in numero singulari; quæcumque Oratio dicatur in absolutione, brevi conclusione est terminanda. S. R. C., 5 jul. 1698, nº 3328,4. (De Herdt, *ib.*, III, 5º.)

Post Orationem ultimæ tantùm absolutionis si plures fiant, celebrans dicit *Requiem æternam*, etc., faciendo crucem manu dextrâ super tumulum, sinistrâ super pectus positâ.

4712. « Versus *Requiescat*, in fine, juxta decis. S. R. » C., 22 jan. 1678, nº 2709, dicitur in singulari vel plu- » rali pro numero defunctorum, pro quibus fit absolutio : » et juxta decis. S. R. C., 2 decemb. 1684, nº 2924 11, » nisi officium fiat pro omnibus fidelibus defunctis, subjungi » debet : *Anima ejus* (si pro pluribus, *animæ eorum*) *et* » *animæ omnium fidelium defunctorum per misericordiam* » *Dei requiescant in pace. Amen*, prout in *Rituali, De Exe-* » *quiis*, habetur. » Ita De Herdt (*ib.*, 7º) ; vide etiam Ferraris, vº *Sepultura*, nº 259, ubi citatur decisio S. R. C., 3 dec. 1682. At ex Rit. ℣. *Anima*, omittitur, absente corpore.

4713. — IV. *Quibusnam sit deneganda sepultura ecclesiastica ?*

1º Regula generalis est ut quibus vivis communicari potest per sacramenta, communicetur etiam mortuis per se-

pulturam ecclesiasticam: quibus autem publicè denegantur sacramenta, denegatur etiam sepultura ecclesiastica. Ita cap. *Sacris* 12, *de Sepulturis:* « Sacris est canonibus insti» tutum ut *quibus non communicavimus vivis non commu-* » *nicemus defunctis*, et ut careant ecclesiasticâ sepulturâ » qui priùs erant ab Ecclesiæ unitate præcisi, nec in arti» culo mortis Ecclesiæ reconciliati fuerint. » Vide etiam cap. 11 ejusdem tituli.

2° Non est deneganda sepultura ecclesiastica peccatoribus occultis, quantumcumque parochus certus esset de eorum criminibus.

4714. — 3° Sic enumerantur à *Rituali Romano* casus in quibus non licet dare ecclesiasticam sepulturam :

« Negatur... ecclesiastica sepultura paganis, judæis et » omnibus infidelibus, hæreticis et eorum fautoribus, apos» tatis à Christianâ fide, schismaticis et publicis excommuni» catis majori excommunicatione, interdictis nominatim, et » iis qui sunt in loco interdicto, eo durante. » — V. Clem. I, *de sepult.*, et cap. *Si is cui* 20, *de sentent. excomm.*, in 6°.

« Seipsos occidentibus ob desperationem vel iracundiam » (non tamen si ex insaniâ id accidat), nisi ante mortem » dederint pœnitentiæ signa,

» Morientibus in duello, etiamsi ante obitum dederint » pœnitentiæ signa;

» Manifestis et publicis peccatoribus qui sinè pœnitentiâ perierunt;

» Iis de quibus publicè constat quòd semel in anno » non susceperint sacramenta confessionis et communionis » in Paschâ, et absque ullo signo contritionis obierunt;

» Infantibus mortuis absque Baptismo.

4715. » Ubi verò in prædictis casibus dubium occur» rerit, Ordinarius consulatur » ; si tempus non sineret ad Episcopum recurrere, deneganda non esset, in dubio, sepultura ecclesiastica, et hoc juxta principium : *in dubio odia sunt restringenda*. Cùm enim, ait P. Gury, n° 794, incommoda magna, nostris præsertim temporibus ex denegatione sepulturæ, oriri soleant, expedit ut talis denegatio non fiat nisi de ejus obligatione certò constet.

Quædam autem notanda sunt circa varios illos casus à Rituali enumeratos:

4716. 1° Hæretici privandi sunt sepulturâ ex cap. *Quicumque de hæreticis*, in 6°, in quo dicitur : « Quicumque » hæreticos, credentes, receptatores, defensores, vel fauto- » res eorum scienter præsumpserint ecclesiasticæ tradere » sepulturæ, usque ad satisfactionem idoneam, excommuni- » cationis sententiæ se noverint subjacere, nec absolutionis » beneficium mereantur, nisi propriis manibus publicè ex- » tumulent et projiciant hujusmodi corpora damnatorum, » et locus ille perpetuâ careat sepulturâ. » Inter apostatas adnumerari debent omnes impii qui scriptis atheismum, pantheismum, materialismum docent, uno verbo omnes qui christianam revelationem negant. Ex C. *Apost. Sedis* soli mandantes seu cogentes tradi præfatos sepulturæ ecclesiasticæ excommunicantur.

4717.—2° Difficultas est an per publicos excommunicatos intelligi tantùm debeant *denuntiati* et *notorii clericorum percussores* : juxta Reiffenst. et plures alios, sufficit quòd excommunicati sint notorii (lib. 3, tit. 28, n° 85) ; econtra, juxta S. Liguor. (lib. 7, n° 187), requiritur ut excommunicati *non sint tolerati*, proinde ut sint *denuntiati*, quando non sunt *notorii clericorum percussores* : « Tolerati, inquit, » licitè sepeliuntur in loco sacro, si cum signis pœniten- » tiæ à vitâ migraverint. » Si autem non dederint signa » pœnitentiæ, excludi possunt à sepulturâ ecclesiasticâ tanquam *peccatores publici qui sinè pœnitentiâ perierunt*.

4718. — 3° Quòd seipsos occidentes ob desperationem sepulturâ sint privandi, constat insuper ex cap. *Placuit* 23, q. 5 : « Placuit, ut qui sibi ipsis voluntariè, aut per fer- » rum, aut per venenum, aut per præcipitium, aut per » suspendium, vel quolibet modo violentam inferunt mor- » tem..., ad sepulturam eorum cadavera non deducantur. »

4719.— 4° Quoad duellistas, sic habet Concil. Trident. (sess. 25, cap. 19) : « Qui verò pugnam (in duello) com- » miserint... si in ipso conflictu decesserint, perpetuò » careant sepulturâ. » Addit autem *Rituale Roman.*, ut supra vidimus : « Etiamsi ante obitum dederint pœnitentiæ

» signa » : cui consonat Constit. *Detestabilem* Bened. XIV, sic habens : « quamvis sacramentis muniti decesserint », quod deduci videtur ex cap. *Felicis* 1, *de Torneamentis*, ubi dicitur: « Felicis memoriæ Innocentianæ... vestigiis » inhærentes, detestabiles illas ferias, quas vulgò tornea- » menta vocant, in quibus milites ex condicto convenire » solent, et ad ostentationem virium suarum et audaciæ » temerè congredi, prohibemus. Quod si quis eorum ibi » mortuus fuerit, *quamvis ei poscenti pœnitentia non ne-* » *getur, sepulturâ tamen careat ecclesiasticâ.* » Supponitur in Concilio Trident., quòd mors evenerit *in ipso conflictu*, unde si alibi evenerit, etsi in conflictu vulnus mortale fuerit acceptum, non esset privandus sepulturâ ille qui dedit signa pœnitentiæ : vide Reiffenst. (lib. 3, tit. 28, n° 80). — Sed ex Bullâ *Detestabilem* modò citatam, privatio sepulturæ, à S. Trident. Syn. inflicta, *incurrenda est perpetuò ante sententiam judicis à decedente quoque extra locum conflictûs, ex vulnere ibidem accepto..., etiamsi vulneratus ante mortem non incerta pœnitentiæ signa dederit, atque à peccatis et censuris absolutionem obtinuerit*, « sublata » Episcopis et Ordinariis super hâc pœnâ interpretandi ac » dispensandi facultate. » Hoc non obstante, Cardin. Gousset (*Théol. Morale*, tom. 2, n° 636) ait : « Si le duelliste, » se sentant atteint du coup mortel, réclamait un prêtre » ou les secours de la Religion, et que ce fait fût attesté » par plusieurs témoins, nous pensons que l'on peut tem- » pérer la rigueur des canons et accorder au duelliste la » sépulture ecclésiastique ; le refus, quoique canonique, » ne serait pas compris parmi nous dans le cas dont il » s'agit. » Sed hæc assertio manifestè videtur contradicere modò dictæ Constitutioni Bened. XIV : unde sustineri nequit nisi vel ob consuetudinem (quæ tamen, juxta opus ejusdem Cardin. *Exposition des principes du droit canonique*, non esset legitima), vel ob gravia incommoda quæ obventura essent ex denegatione sepulturæ in tali casu : communiter tamen theologi nostri in Galliâ dictæ sententiæ Cardin. Gousset adstipulantur, ut asserit P. Gury (tom 2, n° 792, *in notâ*).

4720.—Inter plures propositiones damnatas à Bened.XIV, Constit. *Detestabilem*, hæc reperitur : « Non incurrit pœnas » ecclesiasticas contra duellantes latas, Dux vel Officialis » militiæ acceptans duellum ex gravi metu amissionis fa- » mæ vel officii.» — *Nota* quòd præfatæ pœnæ incurrantur tantùm ob duellum strictè dictum, scilicet convento loco, tempore et armis, non verò ob conflictum improvisum, quamvis pugnantes ex eodem impetu perrexerint ad aliquem locum idoneum. Ita valde probabiliter plures, apud S. Liguor. (lib. 3, n° 401).

4721. — 5° Quoad manifestos peccatores, præter supradicta, negari nequit, ait Lequeux (n° 973, 3°), denegandam esse, saltem interdum, sepulturam ecclesiasticam, iis qui, in flagranti delicto decedunt, ut, v. g., si in actu furti latro occumbat, juxta cap. *Fures* 31, causa 13, q., 2. « Fures et latrones si in furando aut deprædando occi- » dantur, visum est pro eis non esse orandum.» At, inquit idem Lequeux, licet quis in actu criminis occumbat, dubium remanere potest utrum reverà crimen fuerit completum, quod contingere præsertim potest si quis in ebrietate vel comessatione decedat; item aliquandò dubitari potest an verè tempus pœnitendi defuerit. Sed deneganda est sepultura ecclesiastica iis quos palàm et notoriè constat omnem respuere religionis actum ex impietate manifestà et contemptu (*ibidem*, 4°), prout si palàm et coram testibus respuant sacramenta in ultimo morbo et in peccato indurati moriantur : si verò non constet moribundum causà impietatis respuisse sacramenta, aut si occultè extra præsentiam duorum testium respuerit, danda est sepultura. (Vide *Prælect. S. Sulpitii.*)

4722. De usurariis *manifestis* sic habetur in cap. 2 *de Usuris*, in 6°: « Quanquam usurarii manifesti, de usuris » quas acceperunt, satisfieri expressà quantitate, vel in- » distinctè in ultimà voluntate mandaverint, nihilominus... » eis ecclesiastica sepultura denegetur, donec de usuris » ipsis fuerit (prout patiuntur facultates ipsorum) plenariè » satisfactum, vel illis quibus facienda est restitutio, etc... » idoneè de restitutione faciendà sit cautum. » Juxta Le-

queux hic canon non est intelligendus nisi de iis qui per sententiam judicis ecclesiastici *usurarii* declarati fuêre, n° 1432.

4723. — 6° Quoad eos quos constat non implevisse præcepta confessionis annuæ et paschalis communionis, privandi sunt quidem sepulturâ ecclesiasticâ si non dederint ante mortem resipiscentiæ signa, sed controvertitur utrum hæc pœna sit imponenda ante judicis sententiam : vide S. Liguor. (lib. 6, n° 295) ; et *Analecta* (juillet..... 1859, col. 1757) : unde hujusmodi defuncti à parochis non sunt excludendi à sepulturâ ecclesiasticâ nisi post recursum ad Ordinarium.

4724. Variis casibus in *Rituali Romano* recensitis applicari posse videtur quod Reiffenstuel dicit *De Hæreticis* (lib. 3, tit. 28, n° 78) : « Si... sub comminatione gravium » malorum à potentioribus urgeretur ut hæreticus in loco » sacro sepeliretur, eidem ad evitandum grave malum » deferri posset, si non in contemptum Ecclesiæ, sed pro » familiæ splendore aut conservando honore et respectu » desideraretur, eò quòd leges humanæ non obligent » cum periculo gravi...; si verò in Ecclesiæ contemptum id » peteretur, deneganda foret sepultura etiam cum periculo mortis. »

In Concilio autem Avenionensi 1849, sic habetur : « Quod » attinet ad eos quibus denegandus est honor ecclesiasticæ » sepulturæ, serventur præscripta in *Rituali Romano* ; » attamen in applicandis his regulis, maximâ utantur » parochi prudentiâ : nimium enim rigorem vitent qui » odia ac turbas in ecclesiam ejusque ministros excitaret; » necnon caveant pariter à nimiâ indulgentiâ quæ fidelibus præberet scandalum et sanctitatem religionis læderet; » generatim non denegetur sepultura iis omnibus qui » ante mortem signa veræ pœnitentiæ dederunt » (p. 66).

4725.—7° Inhumari possunt in terrâ benedictâ infantes non baptizati, si inclusi remanserint in utero matris. Vide Reiffenst. (lib. 3, tit. 28, n° 77); Ferraris (v° *Sepult.*, n° 81). Communiter dicitur quòd catechumeni non sint in loco sacro sepeliendi; quidam tamen hoc negant : vide Ferraris

(v° *Sepultura*, n° 172); et idem tenetur ab auctore Appendicis Ferrario adjecti (v° *Sepultura*, n° 280), si agatur de catechumenis satis instructis necessariis fidei mysteriis et benè dispositis (*ib.*, n° 288) : vide ipsius argumenta.

4726. — 8° Præter casus à *Rituali Romano* enumeratos, deneganda est ecclesiastica sepultura regularibus utriusque sexûs proprietariis, id est mortuis cum peculio, quod non custodiæ causâ, sed nomine proprio et sinè veniâ Superioris retinebant. Vide c. 2, 4, 6, *de statu monach.*; Ferraris, v° *Sepultura*, n° 187, etc. ; et supra dicta (2787 et 2788).

4727. — 9° In fine capitis *Placuit* jam citati, causa 23, q. 5, dicitur quòd non sit concedenda sepultura ecclesiastica *his qui pro suis sceleribus puniuntur*; sed subaudiendum : *nisi signa pœnitentiæ ostenderint :* unde in cap. *Quæsitum est* 30, causa 13, q. 2, ex Concil. Moguntino dicitur : « Si omnibus de peccatis suis... pœnitentibus » communio in fine... danda est, cur non eis, qui pro » peccatis suis pœnam extremam persolvunt ? scriptum » est enim *: non vindicat Deus bis in idipsum* »; et in cap. sequenti *Fures*, de iis dicitur : « Si comprehensi..... pres» bytero vel diacono confessi fuerint, communionem eis » non negamus. » Excipiendum est cum Reiffenstuel (lib. 3, tit. 28, n° 76), nisi à potestate sæculari prohibeatur dari sepulturam ecclesiasticam morte damnatis. Dicit autem Lequeux, n° 970, quòd, juxta Galliarum usum, qui ultimo supplicio vitam finière, possunt quidem in terrâ sacrâ deponi, sed eis honores publicæ sepulturæ deferri nequeunt, nisi agatur de iis qui militari judicio plectuntur : sepeliri tantùm possunt cum sacerdote, modò occultè, sinè solemnitate et sub vesperam. Vide P. Gury, n° 1012; et dicta supra de communione (3387).

4728.—10° Quoad mimos et comœdos qui *in scenâ lusisse dignoscuntur*, ut ait cap. *Maritum* 2, distinct. 33, in Galliâ privabantur sepulturâ ecclesiasticâ ut videre est ap. Bossuet, *Lettres sur la comédie*, edit. Versal., tom. 37, p. 522; sed cùm nulla citetur lex ecclesiastica quæ hanc privationem præscribat, videtur quòd mimis et comœdis con-

cedi possit sepultura ecclesiastica, modò non recusaverint sacramenta Ecclesiæ, etiamsi obscena lusissent, nisi impœnitentes manifestè decederent. Vide P. Gury (tom. 2, n° 796); Gousset, *Extrême-Onction*, n° 637, et dicta supra (3222). — Secus tamen sentire videtur auctor *Prælectionum S. Sulpitii*, n° 535. — Cf. insuper App. XX.

4729. — 11° Quando concedi non potest alicui sepultura ecclesiastica, non debet iste sepeliri in terrâ benedictâ, nec debent pro eo pulsari campanæ ecclesiæ.

4730. Quærit. 1° Quas pœnas canonicas incurrant qui indignos in loco sacro sepeliunt?

Resp. « Eos, inquit Clemens V (Clem. 1, *de sepulturis*),
» qui propriæ temeritatis audaciâ, defunctorum corpora
» non sinè contemptu clavium ecclesiæ, in cœmeteriis,
» interdicti tempore, in casibus non concessis à jure, vel
» excommunicatos publicè, aut nominatim interdictos, vel
» usurarios manifestos *scienter* sepelire præsumunt, decer-
» nimus *ipso facto* excommunicationis sententiæ subjacere,
» etc... nullo eis... exemptionis, vel quovis alio privilegio
» sub quâcumque formâ verborum concesso aliqualiter
» suffragante. » Eadem excommunicationis pœna statuitur in scienter sepelientem hæreticos, credentes, receptores, vel fautores eorum (cap. 2, *de Hæret.*, in 6°).

Sed hodie excommunicationem incurrunt tantùm mandantes seu cogentes tradi ecclesiasticæ sepulturæ hæreticos notoriè aut nominatim excommunicatos vel interdictos. V. Const. *Apostolicæ Sedis* et suprà (4716).

4731. Sepelientes autem cæteros indignos non incurrunt quidem excommunicationem in præfata Clementinâ expressam, sed juxta Ordinarii arbitrium puniri possunt. Vide Reiffenst. (lib. 3, tit. 28, n° 94, etc.); Ferraris (v° *Sepultura*, n^is^ 189, 190, etc.).— An autem sint extumulandi qui ecclesiasticâ sepulturâ sunt indigni, vide infra dicenda (4746, etc.).

4732. Quærit. 2° Quænam sit legislatio civilis in Galliâ circa denegationem sepulturæ ecclesiasticæ?

Resp. Sic sancitum fuisse in Decreto 23 prairialis anni XII, art. 19 : « Lorsque le ministre d'un culte, sous quelque

» prétexte que ce soit, se permettra de refuser son ministère » pour la sépulture d'un corps, l'autorité civile, soit » d'office, soit sur la réquisition de la famille, commettra » un autre ministre du même culte pour remplir ces fonc» tions. Dans tous les cas, l'autorité civile est chargée de » faire porter, présenter et déposer ces corps. » Nemo non videt quantùm sanis juris canonici principiis adversetur hæc dispositio legis civilis; sed à longo tempore in desuetudinem abiit executio hujus articuli: hodie enim, dummodo sacerdos denegando sacramenta vel sepulturam ecclesiasticam injuriâ non afficiat eum qui repellitur, exprobrando illi, v. g. crimina, etc., nullâ solet affici molestiâ ab auctoritate civili, ut videre est ap. *Journ. des fabriques*, tom. 5, p. 137; vide pariter DD. Affre, *Tr. de l'administration tempor. des paroisses*, p. 608, etc.; et Lequeux (n[is] 975, 976).— Si verò, sepulturam denegando, sacerdos injuriâ afficeret eum quem repellit, locus esset tunc appellationi ab abusu, de quâ vide supra (666-669).

ART. II

DE CŒMETERIIS.

4733. — 1° Cœmeteria sunt *loca, auctoritate Episcopi benedicta, in quibus cadavera catholicorum piè decedentium sepeliuntur*. Ita Glossa in canone *Ecclesiastica* 14, causa 13, q. 2, apud Reiffenst. (lib. 3, tit. 28, n° 3); Ferraris (v° *Sepultura*, n° 2). « Nemo christianus, inquit *Rituale* » *Romanum*, in communione fidelium defunctus, extra » ecclesiam aut cœmeterium ritè benedictum sepeliri » debet; sed si necessitas cogat, ex aliquo eventu, aliquando » ad tempus aliter fieri, curetur ut, quatenus fieri poterit, » corpus in locum sacrum quamprimum transferatur » (prudenter obtentâ apud nos licentiâ ab auctoritate civili » juxta Decretum 12 jun. 1804, art. 17); et interim semper » crux capiti illius apponi debet, ad significandum illum » in Christo quievisse. »

4734. « Nullum... cadaver perpetuæ sepulturæ traditum,

» ex *illâ* cujusvis Ordinis ecclesiâ asportari liceat, nisi de licentiâ Ordinarii. » *Rituale Romanum.*

1735. — 2° Olim, saltem generaliter, locus sepulturæ in ecclesiâ esse non poterat, ut constat ex Concil. Vasensi (can. *Præcipiendum* 15, causa 13, q. 2) : « Præcipiendum » est etiam secundùm majorum instituta, ut in ecclesiâ » nullatenus sepeliantur, sed in atrio, porticu, aut in » exhædris ecclesiæ » ; et ex verbis S. Gregorii, lib. 4, *Dial.* : « Nemo, inquit, in ecclesiâ sepeliatur, nisi fortè » talis sit persona sacerdotis aut alterius justi hominis, qui » per vitæ meritum talem vivendo suo corpori defuncto » locum acquisierit. » Postea tamen, jure et consuetudine introductum fuit ut quivis catholicus posset in ecclesiâ sepeliri, ob motiva exposita in can. *Cùm gravia* 17, causa 13, q. 2, ubi dicitur : « prodest mortuis si in ecclesiâ sepelian» tur, quòd eorum proximi quoties ad eadem sacra loca » veniunt, suorum, quorum sepulchra aspiciunt, recor» dantur et pro eis Domino preces fundunt » : quæ verba desumpta sunt ex libro 4, cap. 50, 3 *dialog.* S. Gregor. ; vide etiam cap. *Ex parte* 5, et *Cùm liberum* 6, *de sepulturis;* Ferraris, *ib.*, n° 5. Dicitur autem in *Rituali Romano* : « Ubi viget antiqua consuetudo sepeliendi mortuos in cœ» meterio, retineatur, et ubi fieri potest restituatur. » Apud nos autem à lege civili prohibetur hodie humari intra ecclesias defunctorum cadavera : vide Decret. 12 jun. 1804, art. 1; Decret. 30 decemb. 1809, art. 78 et supra dicta (1397); unde licentia à Gubernio est obtinenda ut ipsimet Episcopi in suâ Cathedrali Ecclesiâ sepeliri valeant. Vide DD. Affre, *Abrégé de l'administration temp. des paroisses*, p. 208, etc.

Sat diximus supra (1392-1406) de jure sibi sepulturam eligendi et de loco in quo quisque est sepeliendus.

1736.—3° Si sepultura fiat in ecclesiâ, cadavera in tumbis profundis sunt collocanda, et eorum operimenta solo æqualia esse debent : ita S. Pius V Constit. *Cùm primùm Apostolus*, apud Ferraris, v° *Sepultura*, n° 127. Solis enim SS. Pontificibus, non exceptis etiam personis regalibus,

competit prærogativa ut eorum corpora in conditoriis elevatis à terrâ reponantur. (Ferraris, *ib.*, n° 129.)

Non comprehunduntur tamen in dictâ dispositione S. Pii V, monumenta marmorea muris seu columnis adhærentia, præsertim amotis cadaveribus à locis altis. S. Congr. Episc. 13 octob. 1579. — Obtinenda autem est apud nos licentia Gubernii pro erigendis hujusmodi monumentis. Vide Decret. 30 decemb. 1809, art. 73.

4737. Sepulturæ remotæ esse debent ab altaribus, ita ut sepulchri ostium saltem tribus cubitis distet ab altaris scabellis. Ita Concil. Mediol. I.
(Vide Ferraris, *ib.*, n° 130.)

4738. — 4° In cœmeteriis autem, juxta *Rituale Roman.*, « sepulchra sacerdotum et clericorum cujuscumque ordi-» nis, ubi fieri potest, à sepulchris laicorum separata sint, » decentiori loco sita » v. g. juxta crucem aut prope ecclesiam.

4739. — 5° Item « juxta vetustam et laudabilem eccle-» siarum consuetudinem, parvulorum corpuscula non se-» peliantur in communibus et promiscuis cœmeteriorum et » ecclesiarum sepulturis, sed pro illis in parochialibus » ecclesiis, aut illarum cœmeteriis, quatenus commodè » fieri potest, speciales et separatos ab aliis loculos et » sepulturas habeant, seu fieri curent in quibus non sepe-» liantur nisi qui baptizati fuerint infantes... qui ante dis-» cretionis annos obierunt. » *Rituale Roman.*, et Decis. S. R. Congr. 10 decembr. 1620, apud Ferraris (v° *Sepultura*, n° 235).

4740. — 6° Ponenda sunt corpora in sepulchris eodem situ quo in ecclesiâ[1] : sacerdotum scilicet capite, cæterorum verò pedibus versùs altare, quantùm saltem permittit dispositio sepulchri. Si autem cœmeterium ab ecclesiâ sit separatum, corpora sacerdotum cum capite, et aliorum cum pedibus versùs Orientem poni convenit, quia sic de jure ecclesiæ construi debent, juxta Baruff., apud De Herdt, pars 6, tit. 33, VIII, 4°. — Vide dicenda infra (4753).

[1] Vide *Rituale Romanum*, et supra (4699).

4741. — 7° In medio cœmeterii crux alta poni debet : « Cœmeteria muris, fossis aut sepibus ita concludantur, ut » equis, vaccis, porcis, aliisque similibus animalibus nul- » lus pateat accessus » : Syn. Mechlin. II tit. 11, c. 16. In eis nulla cultura fieri debet, nec in eis arbores frugiferæ sunt plantandæ; imò fœnum in eis excrescens non debet meti aut vendi, ut pabulo detur. Ibi fabrilia opera exerceri, ludi constitui, conventus profani civilesque proclamationes fieri non licet. Ita Gavantus, *Manuale Episcop.*, v° *Cœmeterium;* Catalanus in *Rituali Romano* (t. 2, tit. 8, c. 31). Vide apud De Herdt (pars 6, n° 33, VIII, 8°).

4742. — 8° Constructio, manutentio, ampliatio et restauratio communis sepulchri seu cœmeterii fieri debet expensis parochianorum et non parochi : quia cùm id respiciat utilitatem parochianorum, qui sentiunt commodum et onus sentire debent. (Vide Ferraris, v° *Sepultura*, n° 207.)

4743. — 9° Circa situm et dispositionem cœmeteriorum, sequentia sancivit apud nos lex civilis : « D'après l'art. 8 du » Décret (12 juin 1804), inquit DD. Affre (*Abrégé de l'ad-* » *ministr. tempor.*, etc., p. 208), les cimetières placés dans » l'enceinte des bourgs... peuvent continuer à recevoir les » inhumations de leurs habitants; mais si, pour une raison » quelconque, les communes sont obligées de les aban- » donner....., le nouveau cimetière doit être établi con- » formément aux règles suivantes : 1° le conseil municipal » doit choisir les terrains les plus élevés et situés au nord ; » 2° ils doivent être à la distance de 35 à 40 mètres au » moins de l'enceinte des villes, bourgs ou villages....; » 3° ils doivent être clos d'un mur de deux mètres au » moins d'élévation ; on doit y faire des plantations, en » prenant des précautions convenables pour ne point gêner » la circulation de l'air (art. 2 et 3) ; 4° s'il y a des protes- » tants dans la paroisse, on doit faire en sorte qu'ils aient » un cimetière séparé ; s'il est commun, il doit être divisé » par une haie, un mur ou un fossé, de manière que les » sépultures des catholiques et des protestants ne soient » point confondues... (art. 15).

» ... Pour le creusement des fosses, on observera les
» règles suivantes : 1° chaque fosse aura de 1 mètre 5 décimètres à 2 mètres de profondeur, sur 8 decimètres de largeur, et sera ensuite remplie de terre bien foulée; 2° chaque inhumation aura lieu dans une fosse séparée· 3° les fosses seront distantes les unes des autres de 3 à 4 décimètres sur les côtés, et de 3 à 5 décimètres à la tête et aux pieds; 4° pour éviter le danger d'un renouvellement trop fréquent des fosses, le terrain destiné à former les lieux de sépulture sera cinq fois plus grand que ne l'exige le nombre présumé des morts dans le courant de l'année (art. 4, 5, et 6).

» Sur les cimetières abandonnés, il faut observer : 1° que pendant 5 ans on ne peut en faire usage (art. 8); 2° qu'ils ne peuvent qu'être ensemencés ou plantés (après 5 ans) : on ne peut y faire aucune fouille ou fondation pour construction de bâtiment, jusqu'à ce qu'il en soit autrement ordonné; 3° qu'ils peuvent être affermés, pourvu que le fermier prenne l'engagement d'observer les précautions que nous venons d'indiquer (art. 9). »

Insuper ex art. 36 Decreti 30 decembr. 1809, quæ sponteneè crescunt in cœmeteriis, videlicet fœnum, fructus et rami amputati arborum ad Fabricam parœcialem pertinent; sed in urbibus hæc omnia Communitati dimittuntur in compensationem expensarum ab ipsâ faciendarum pro muris cœmeterii reficiendis.

Ex Decreto autem 12 junii 1804, tit. 3, art. 10, non Fabricis sed Communitatibus attribuitur jus concedendi privatis facultatem erigendi monumenta funebria ultra quinquennium permansura. Vide alia apud DD. Affre (*ibid.*) et apud Dieulin (*Guide des Curés*, *Cimetière*, et alibi).

4744. — 10° Juxta autem cap. *Abolendæ* 13, *de Sepulturis*, vendi non debet terra cœmeterii pro sepulturâ faciendâ : « Abolendæ consuetudinis perversitas apud Montempessulanum... inolevit, ut decedentibus non priùs permittatur effodi sepultura, quàm pro terrâ in quâ sepeliendi sunt, certum pretium ecclesiæ persolvatur...; mandamus quatenus... inhibeas clericis, ne quicquam

» omninò præsumant exigere hâc de causâ. » Usus tamen vendendi capellas pro inibi construendâ sepulturâ, non est simoniacus, inquit Ferraris (vº *Sepultura*, nº 157), quia datur per modum eleemosynæ, ad reparationem ecclesiæ, vel ad sustentationem ministrorum, et non pro pretio, prout nec etiam quod datur pro missis celebrandis. Item licet aliquid recipere pro concessione sitûs honorabilioris in cœmeterio, quia hoc non est vendere jus sepulturæ, cùm sepultura possit esse sinè tali honore. (Ferraris, *ibidem*, nº 158.)

Nec etiam committit simoniam qui habens propriam sepulturam suis sumptibus constructam, illam vendit quoad materiale fundi: sic enim non venditur benedictio sed solùm materiale cui spirituale seu jus sepulturæ annectitur. (Ferraris, *ibid.*, nº 163.)

1745. — 11º Jus autem sepulturæ familiaris transit ad omnes descendentes, qui soli inibi sepeliri possunt. Tale jus etiam transit ad hæredes extraneos (*ib.*, nº 154); extinctis verò domino et illius descendentibus aut hæredibus, potest alteri jus sepulturæ concedi (Ferraris, *ib.*, nº 166). — Amittitur autem jus sepulturæ per simoniam, per rectoris occisionem, per hæresim, per crimen læsæ majestatis, si vivus in eâ sepeliatur, et aliis modis de quibus vide auctores à Ferrario citatos (vº *Sepultura*, nº 164).

1746. Quærit. An juxta præscriptionem sacrorum canonum exhumari debeant cadavera defunctorum qui indebitè in terrâ sanctâ sepulti fuerunt?

Resp. Indebitè in aliquo loco sacro corpora sepeliri, vel quia indigna sunt quibus concedatur sepultura ecclesiastica, vel quia non humantur in cœmeterio in quo sepelienda essent.

In priori hypothesi, si per talium corporum inhumationem polluta fuerint cœmeteria vel loca, prout evenit quando, ut postea dicemus de pollutione ecclesiarum (1798-1800), in iis sepeliuntur excommunicati vitandi, infideles, eorumque filii non baptizati, tunc exhumari debent alium cadavera, antequam cœmeteria reconcilientur, nisi signa pœnitentiæ dedissent, quo in casu vide dicenda infra

(4800, 6541) et cap. *Sacris*, *de sepulturis;* cap. *Consuluisti*, *de consecrat. eccles.;* cap. *Ecclesiam*, 27; et cap. 28, de Consecr., dist. 1.—Ante hanc reconciliationem nemo ibidem sepeliri debet, ex cap. unico *de Consecrat. eccles.*, in 6°.

Nota quòd exhumatio (de quâ modò) fieri non liceat apud nos sinè licentiâ auctoritatis civilis : vide *Journ. des fabriques*, tom. 3, p. 337 et 378; et *Prælect. S. Sulpitii*, n° 533.

In capite autem unico (*de Consecrat. ecclesiæ*, in 6°) modò citato, sic legitur : « Non unum, sed plura cœmeteria esse noscuntur quæ, quamvis sibi cohærentia, pariete tamen medio sejunguntur : ideoque violato eorum altero, alterum (licet de uno ad aliud per portam intermediam habeatur accessus) non propter hoc reputabitur violatum. » Porrò apud nos cœmeteria habentur ut satis distincta si separentur per sepem aut etiam fossam : sic enim habet Concilium Provinciæ Remensis anni 1849 (p. 83) : « Distinctus in eis (*cœmeteriis*) assignandus est locus non benedictus, sed muro *aut sepe* aut *effossione* à parte benedictâ separatus, nisi hæc separatio fiat impossibilis : in quo casu recurrendum est ad Episcopum. » Ita etiam plura Ritualia.—Attamen ex Decreto S. C. Immunit., 18 aug. 1821, ab *Analectis* relato, 50° liv., col. 1558, separatio per sepem aut fossam non videretur sufficiens.

4747. Si autem indigni sepeliantur in cœmeterio quin tamen ex hâc inhumatione sacer locus polluatur, an tunc corpora talium sint exhumanda, non benè liquet, inquit Reiffenstuel (lib. 3, tit. 28, n° 92). In cap. *Quicumque, de Hæreticis*, in 6°, dicitur quidem extumulandum esse hæreticum ab iis qui præsumpserint illum tradere sepulturæ christianæ, sed ibi non dicitur esse extumulandum à cæteris, vel in casu quo hæreticus sinè præsumptione sepultus fuisset; præterea reverà pollueretur cœmeterium si hæreticus esset vitandus : ergo ex hoc capite nihil est concludendum pro cæteris casibus.

4748. *In secundâ hypothesi*, sancitur in cap. *Animarum* 1, *de Sepulturis*, in 6°, § *Si verò*, quòd religiosi vel

clerici qui voto, juramento, pacto, promissione irrevocabili alios induxerint ad eligendam sepulturam in suis ecclesiis, præter excommunicationem cui subjacent, si tales in suis ecclesiis vel cœmeteriis præsumpserint sepelire, « ad » restitutionem tam sepultorum corporum (si *petantur*) » quàm etiam omnium, quæ occasione sepulturæ illorum » pervenerint quomodolibet ad eosdem, infra decendium » integraliter faciendam..., obligatos esse censemus, quam » nisi fecerint, etc. », ecclesiæ et cœmeteria manent interdicta.—Excomm. sublata est, saltem quoad sæcular. C. *Ap. Sed.*

Item si cadaver illius, qui elegit alicubi sepulturam, vel habet sepulchrum majorum, alibi sepeliatur, ipsum est restituendum cum oblationibus, ecclesiæ electæ vel ubi est sepulchrum majorum : sic pluries decisum à S. Congr. Conc. et approbatum ab Alexandro VII Constit. *Aliàs pro parte.* Vide Ferraris (v° *Sepultura*, n'' 7 et 210).

Idem videtur esse dicendum si quis non habens sepulchrum majorum, non electâ sepulturâ, sepeliatur extra parochiam ubi est tumulandus, cadaver ipsius etiam est restituendum, saltem si petatur, cum omnibus emolumentis.

CAPUT XIII.

DE LOCIS SACRIS.

ART. I.

QUID SINT LOCA SACRA, DE EORUM ANTIQUITATE ET FORMA.

4749.—I. Per loca sacra intelligi debent ecclesiæ et cœmeteria; de cœmeteriis diximus in capite præcedenti : nunc de ecclesiis est tractandum :

Nomine *Ecclesiæ* designatur locus seu potiùs ædificium ubi conveniunt fideles ut divinis sacrisque rebus operam præstent. Variis aliis nominibus ecclesiæ nuncupatæ sunt : vocantur enim *oratoria*, quia sunt imprimis loca orationis; hoc tamen nomen fuit postea parvis ecclesiis reservatum :

vocantur etiam *Basilicæ*, quando præsertim sunt magnæ, et hoc propter similitudinem cum regalibus aulis; *templa*, quod nomen à *fanis* ethnicorum derivatur, et à christianis non fuit usurpatum nisi IV sæculo; denominatæ fuêre etiam *martyria*, *apostolea*, etc., eò quòd sæpe in honorem Martyrum, Apostolorum, etc., ædificabantur; *tituli* ob sacerdotes qui eorum servitio obstricti erant; nominantur tandem *sacella*, *capellæ*, *Dominicum* seu domus Dei, etc.; *capella* vox derivatur à *cappâ* S. Martini quæ asservabatur in oratorio Regum Merovingianorum, unde illi nomen capellæ inditum fuit, et postea extensum ad omnia oratoria. Ita Du Cange, apud Lequeux, nº 1058.

4750. Ecclesiæ aliæ sunt matrices, quia ex iis aliæ institutæ fuêre aut aliquo modo sunt sub ipsarum auctoritate, unde *filiales* dicuntur. Aliæ Cathedrales, Metropolitanæ, Primatiales, Patriarchales, Collegiales, parochiales, regulares, quæ denominationes sat intelliguntur ex dictis in libro præcedenti; tandem sunt oratoria, quâ voce designantur minores ecclesiæ quibus populus certus et determinatus non fuit ascriptus, nec solent habere præpositum cum curâ animarum. Vide *Institut.*, R. de M., tom. 2, p. 150; Devoti, tit. 7, § 2.

4751. Oratoria autem alia sunt *publica* quæ *capellæ* et *sacella* communiùs dicuntur et habere debent ostium in viâ publicâ: talia etiam censentur quæ sunt ad usum tantùm Communitatis, carceris, aut hospitalis: vide *Instit.*, R. de M., pars 2, lib. 1, cap. 2, § 5; alia verò sunt *privata* quæ specialiùs nomen *oratoriorum* retinent, et in privatis domibus consistunt ad privatæ familiæ usum; ex speciali tamen concessione Sedis Apostolicæ ut publica haberi possunt *oratoria*, etsi in privatis domibus erecta et licet portam non habeant in viâ publicâ, modò proprietarii se in perpetuum obligent ad admittendos fideles in hujusmodi oratoria; videri possunt plura exempla talium concessionum, apud *Analecta* (25ᵉ livr., col. 631, etc.).

4752. — II. Circa antiquitatem ecclesiarum et altarium, vide Devoti (tit. 7, § 2); et *Instit.* R. de M. (pars 2, lib. 1, cap. 1, art. 2),

« Primæ christianorum ecclesiæ, inquit Devoti (*ib.*, § 3 » et 4), simplices et modicæ fuisse videntur, quales videli- » cet fidelium paupertas et paucitas ac formidolosorum » temporum ratio patiebatur ; sed auctâ fidelibus atque » oblationibus Ecclesiâ, et extinctâ Christiani nominis in- » vidiâ, multæ eæque splendidissimæ ædes ædificatæ » sunt; accesserunt Edicta Imperatorum de templis ethni- » corum in ecclesias convertendis...

4753. — III. » Vetus ecclesiæ forma et situs non sem- » per idem : interdum oblonga erat, ac navi similis; in- » terdum rotunda aut plurium laterum aut ad formam » crucis... Ecclesiæ frons, ut plurimum ad Occidentem » spectabat; sanctuarium ad Orientem, quoniam versùs » Orientem christiani preces fundebant (*Constit. Apost.*, » lib. 2, c. 57); sed sæpe neque Orientem, neque Occi- » dentem, sanctuarium respiciebat : et verò ab antiquis » monumentis quâvis formâ et situ ecclesiæ exhibentur.

4754. » ... Ecclesiæ, præsertim ampliores, pluribus » constant partibus.. : partes interiores, ex antiquâ disci- » plinâ erant *narthex* sive *ferula, templum* sive *navis*, et » *bema* sive *sanctuarium*. Narthex erat pars oblonga et » angusta ad instar ferulæ, è transverso frontis ecclesiæ, ibi- » que, dum sacræ conciones habebantur, infideles, hæretici, » catechumeni et pœnitentes, *audientes* dicti, consistebant.

» Narthecem excipiebat pars illa ecclesiæ quæ pro- » priè templum ac navis dicebatur : hæc ut plurimùm » quadrata erat, eamque à narthece separabant lignea quæ- » dam repagula pervia portis, quas portas *regias* et spe- » ciosas appellabant. In inferiori hujus partis loco, qui » statim ingredienti occurrebat, stabant pœnitentes *subs-* » *trati;* in superiori qui erat sanctuario propinquior, » *consistentes* et fideles communicantes; et hi suum quique » habebant locum, mares distinctum à feminis, virgines à » nuptis, monachi à sæcularibus. In mediâ navi erat » *ambo*, hoc est locus editus, ad quem per gradus pate- » bat ascensus, in eoque stabant cantores et lectores, qui » Epistolas atque Evangelia legebant, et in eo etiam *dip-* » *tyca* recitabantur.

» Tertia et intima antiquarum ecclesiarum pars erat » *sanctuarium*, quod græci *bema* appellabant; locus hic » septis sive cancellis muniebatur, uti nunc...., ne laicis ad eum pateret aditus, cùm sacra officia peragebantur; cancelli erant portulis pervii; portulas autem et » spatia cancellorum vela quædam obtegebant. Suprema » pars sanctuarii *apsis* dicebatur, ædificium scilicet semi- » circuli formam exhibens, ubi thronus Episcopi sedesque » erant seu throni presbyterorum.

» In medio sanctuario à pariete sejunctum erat al- » tare.... Initio lignea, ut plurimum erant altaria, deinde » lapidea facta sunt... Unum in græcis ecclesiis erat altare, » uti nunc etiam est; sed latini jam indè ab antiquissimis » temporibus plura in unâ ecclesiâ altaria habere consue- » verunt. Altare obtegebat linteum atque ornabat ciborium » (hoc est, umbraculum altiùs eductum quo universa sacra » mensa tegebatur) et crux in eo stabat, et propè crucem » ex utroque latere candelabra...

4755. » Exteriores ecclesiæ partes erant..... *exte-* » *terior narthex* qui vestibulum et atrium, sive aream » comprehendebat; *vestibulum* erat primus aditus, inter » quem et ecclesiam... media erat *area* sive *atrium*, locus » scilicet cujus medium sub dio erat; latera verò quatuor » porticibus cingebantur. Erant in medio aquæ salientes » seu putei et canthari, aut conchæ ubi Christiani tem- » plum ingressuri manus et os lavabant, unde usus aquæ » benedictæ repetendus est.

4756. » Cætera ædificia circùm ecclesiam *exhædra-* » *rum* nomine vocabantur, eaque erant *Baptisterium*, » *secretarium* sive *diaconicon, pastophorium, schola, biblio-* » *theca. Baptisterium* erat satis amplum ædificium, ac » duabus constabat partibus : vestibulo in quo catechu- » meni abrenuntiationes emittebant, ac domo interiori, » in quâ fiebat ablutio, ritusque cæteri in Baptismo ad- » hibiti peragebantur. *Secretarium* sive *Diaconicon*, locus » erat in quo sacra indumenta, vasa ac reliqua ecclesiæ » supellex servabantur. *Pastophorium* generale nomen est » quo multa significantur, sed ut plurimùm designat ædi-

» ficia, quæ stabant ab utroque ecclesiæ latere ad extremi-
» tatem orientalem, et custodum ac ministrorum templi
» domicilium. *Schola et Bibliotheca* locus erat in quo
» animi litteris atque doctrinis excolebantur. » Ita Devoti
(*ibid.*), ubi etiam indicantur varia monumenta quibus hæc omnia constant.

ART. II.

QUID REQUIRATUR AD ÆDIFICANDAM ECCLESIAM.

4757. Quatuor ad id necessariò requiruntur : 1° consensus Episcopi, ut constat ex variis juris canonici capitulis, videlicet ex Concil. Chalced., c. 4; cap. *Nemo*, de cons., dist. 1; c. *Cùm olim* 14, *de privilegiis*, § *Præter*; cap. *Auctoritate*, *de privileg.*, in 6°, in quo dicitur : « Auctoritate *Sedis
» Apostolicæ*... statuimus quòd oratoria, vel capellas, in
» locis non exemptis, sinè diœcesanorum locorum ipsorum
» licentiâ, exempti construere non præsumant. Neque in
» sic constructis... celebrent vel faciant celebrari divina.
» Quòd si talia præsumpserint ab his per locorum ipsorum
» Ordinarios compescantur. — Inhibemus insuper ne in
» locis etiam exemptis hoc ipsi exempti facere audeant,
» nisi super his licentiam vel privilegium habeant Sedis
» Apostolicæ speciale. »

Hic autem consensus non requiritur pro construendo oratorio privato : sic can. *Uniquique* 33, de consec., dist. 1 :
« Unicuique fidelium in domo suâ oratorium licet habere
» et ibi orare, missam autem ibidem celebrare non licet. »
(3566.)

4758. — 2° Ut Episcopus, antequam ecclesia ædificetur, situm examinet et ibi crucem ponat (per se vel per alium) : ita cap. *Nemo* 9, de consec., dist. 1 : « Nemo
» ædificet, antequam Episcopus civitatis veniat et ibidem
» crucem figat publicè, atrium designet, etc. » His concordat Novella 131, c. 7, et Novella 66 : in his communiter habetur comprehendi positionem Primi Lapidis.

4759. — 3° Ut congrua dos assignetur, id est sufficientes et stabiles redditus pro luminaribus, paramentis, fa-

bricâ, ministris et aliis necessariis : « Nemo ecclesiam » ædificet antequam... præfiniatur... quæ ad luminaria et » ad custodiam et ad stipendia custodum (id est sacerdo- » tum ac ministrorum, etc. : Glossa, *ibid.*) sufficiant, et » ostensâ donatione, sic domum ædificet. » (Cap. *Nemo*, modò citatum.)

Ordinarii est hanc dotem exigere, ut constat ex cap. *Placuit*, causa 1, q. 2, ubi dicitur : « Episcopus memi- » nerit ut non priùs dedicet ecclesiam nisi antea dotem... » per donationem chartulæ confirmatam accipiat... : nam » non levis culpa est ista temeritas, si sinè luminario vel » sinè substantiali sustentatione... tanquam domus privata » consecretur ecclesia... »

Ad sufficientiam dotis æstimandam, ratio haberi debet non tantùm reddituum certorum, sed etiam oblationum et eleemosynarum quæ legitimè sperantur. Vide Reiffenst., lib. 3, tit. 40, n° 5.

Antiquitùs pro dote cujusvis ecclesiæ ad minimum requirebatur unus *mansus*, id est tanta pars terræ quæ sufficeret 2 bobus ad laborandum (cap. 1, *De Censibus*); sed hodiè quantitas arbitrio Episcopi dijudicanda relinquitur; si autem id neglexerit, ex propriis tenetur ecclesiam dotare, ex cap. *Cùm sicut, de consecrat. eccles.*

4760. — 4° Ut ecclesia ædificanda regulariter non vergat in præjudicium alterius præsertim parochialis; sic enim legitur in can. *Quicumque* 44, causa 16, q. 1 : « Omninò » providendum est ab Episcopo ut aliæ ecclesiæ antiquiores » propter novas suam justitiam aut decimam non perdant, » sed semper ad antiquiorem ecclesiam persolvantur »; et cap. 1, *De novi operis nuntiatione* : « Nulla ecclesia in » præjudicium alterius est construenda. »

4761. Ex his deducitur non esse ædificandam ecclesiam quin antea citentur et audiantur rectores ecclesiarum vicinarum, præsertim parochialium : ad Episcopum spectat judicare de legitimitate earum querelarum : « Fraternitati tuæ » mandamus quatenus diligenter considerans.., quia nulla » ecclesia in præjudicium alterius est construenda, nego- » tium ipsum secundùm legum et canonum statuta, non

» differas terminare » (cap. *Intelleximus* 1, *de novi operis nuntiat.*). Si autem parochis inauditis ecclesia ædificetur, ipsi poterunt obtinere ut expensis ædificantis destruatur (cap. 1, 2, *De novi operis nuntiat.*); tres menses ipsis conceduntur ut juris sui præjudicium probent : cap. *Is cui*, *de novi oper. nuntiat.*

4762. Dictum fuit *regulariter* : quia sunt casus in quibus licet ecclesiam construere etiam cum damno alterius : si nempe ob distantiam, vel itineris difficultatem, etc., necessaria foret erectio novæ parochiæ. Vide supra (341-358, 2560, etc.).

Item, pro ecclesiâ ædificandâ aut ampliandâ, quis potest canonicè cogi ad vendendum domum, vel alium situm vicinum : ita communiter apud Ferraris (v° *ecclesia*, art. 3, n° 53, etc., 100); positis tamen quibusdam conditionibus apud eumdem relatis (*ib.*, n'ˢ 49-62).

4763. Adimpletis formalitatibus à jure præscriptis, facultatem legitimè concessam Episcopus revocare non potest, maximè si jam extructa fuerit ecclesia, quia ex regulâ juris : *decet beneficium Principis esse mansurum.*

4764. Supra enuntiatæ conditiones, si quartam excipias, continentur in his *Pontificalis* verbis : « Nemo ecclesiam ædificet, priusquam Pontificis judicio locus et » atrium designentur, et quid ad luminaria, quid ad rec» toris ministrorumque stipendia sufficiat, definiatur ; et » per eum, vel ejus auctoritate, per sacerdotem crux in » eo loco figatur et Lapis Primarius in fundamento pona» tur. » *De Benedictione et Impositione Primarii Lapidis*, etc. Circa hæc omnia videantur Reiffenstuel (lib. 3, tit. 48, n'ˢ 4-13) ; *Instit.* R. de M. (pars 2, lib. 1, cap. 2, art. 1 et 2); *Prælectiones S. Sulpitii*, n° 507.

Quomodo autem sint erigendæ Ecclesiæ Cathedrales, Collegiatæ, parochiales, regulares, sufficienter diximus in suis locis. Vide supra (332-334, 336-340, 2264, 2265, 2540, etc.).

ART. III.

QUIBUSNAM INCUMBANT REPARATIONES AUT RESTAURATIONES IN ECCLESIIS FACIENDÆ.

4765. In hoc, juxta Ferraris plures alios citantem (v° *ecclesia,* art. 3, n° 63), standum est locorum consuetudinibus ; deficientibus autem specialibus usibus, observandus est ordo à Concil. Trident. descriptus (sess. 21, c. 7 *de reformat.*) : « Parochiales verò ecclesias, etiamsi juris patronatûs sint, ita collapsas, refici et instaurari procurent » (Episcopi) ex fructibus et proventibus quibuscumque ad » easdem ecclesias quomodocumque pertinentibus : qui si » non fuerint sufficientes, omnes patronos et alios qui » fructus aliquos ex dictis ecclesiis provenientes percipiunt, » aut in illorum defectum parochianos omnibus remediis » opportunis ad prædicta cogant, quâcumque appellatione, » exemptione et contradictione remotâ. Quòd si nimiâ egestate omnes laborent, ad matrices seu viciniores ecclesias » transferantur cum facultate tam dictas parochiales quàm » alias ecclesias dirutas, in profanos usus, non sordidos, » erectâ tamen ibi cruce, convertendi. »

4766. Unde ad instaurandas ecclesias adhibendi sunt : 1° fructus et redditus ipsarummet ecclesiarum ;—2° si hujusmodi proventus non sufficiant, beneficiarii, Patroni et omnes qui decimas aut alia bona ecclesiastica possident suorum beneficiorum ecclesias instaurare debent : vide insuper cap. 1 et 4, *de ecclesiis ædific.;* sed de redditibus ecclesiasticis tantùm superfluis non verò de sibi necessariis beneficiarii subvenire tenentur ;—3° cùm bona ecclesiastica non suppetant, parochiani tandem ad hanc instaurationem sunt compellendi ; recurri potest etiam apud nos ad ærarium publicum seu civile, ex art. 92 Decreti 30 decemb. 1809 : vide infra dicenda (5344, 5345) ;—4° si nullus supersit ecclesiæ instaurandæ modus, in profanos usus non sordidos ecclesia convertitur, ibique erigenda est crux, et ejus iura ad matricem aut viciniorem ecclesiam trans-

feruntur. Vide Devoti (lib. 2, tit. 7, § 8); Reiffenstuel (lib. 3, tit. 48, n^{is} 22-26).

4767. Quoad Cathedrales Ecclesias, eas instaurare tenetur solus Episcopus si redditus superfluos habeat, et non adsit legitima consuetudo in contrarium; si autem Episcopus redditus superfluos non habeat ad Cathedralis sarta tecta facienda, compelli possunt Canonici superfluos redditus habentes, sive ex præbendâ sive ex distributionibus quotidianis aliisque rebus Capituli. Horum defectu cogi possunt inferiores clerici ad contribuendum de suis redditibus superfluis; et etiam deputari possunt fructus beneficiorum vacantium. Vide Ferraris (v° *ecclesia*, art. 3, n° 68, etc.). In Galliâ Gubernium in se suscipit onus Cathedrales Ecclesias restaurandi.

4768. Quæ dicta sunt de reparationibus ecclesiis faciendis, intelligenda sunt de reædificatione ac refectione domûs presbyteralis aut beneficialis aut Palatii Episcopalis, juxta declarationem S. Congr. Conc. à Barbosa citatam. Docent pariter DD. quòd parochi et alii beneficiati, deficientibus ecclesiæ redditibus, teneantur ad reficienda paramenta ecclesiastica, et vasa sacra restauranda: vide Reiffenst. (lib. 3, tit. 48, n° 26), et *Inst.* R. de M. (pars 2, lib. 1, cap. 4, art. 5). — In Galliâ verò pro omnibus supra dictis expensis, si deficiant redditus ecclesiæ, recurritur vel ad Communitatem (*commune*) vel etiam ad Gubernium (art. 10, 37, 92, Decreti 30 decemb. 1809).—Vide *Journ. des fabr.*, tom. 4, p. 345.

ART. IV.

QUID SIT BENEDICTIO ET CONSECRATIO ECCLESIARUM, ET QUID DE IIS A JURE SIT PRÆSCRIPTUM.

4769. — 1° Benedictio ecclesiæ est actus quo legitimus minister ædem aliquam divino cultui dedicat, et illam sanctificat. Duplicis generis est : *simplex* seu *sacerdotalis* quæ à simplici presbytero ritè deputato peragi potest; *Consecratio* in quâ adhibetur chrismatis unctio, et à solo Episcopo peragi solet.

« Ecclesiæ Consecratio et Dedicatio passim confunditur..
» sed reverà alia Consecratio et alia Dedicatio est.. : Dedicatio
» propriè est... initiatio et primus rerum usus; Consecratio
» autem potiùs ad cæremonias pertinet quibus ecclesiæ con-
» secrantur; sed quoniam utrumque conjunctim perficitur,
» factum est ut duo hæc vocabula indiscriminatim acci-
» piantur. » Ita Devoti (lib. 2, tit. 7, sect. 1, § 18, *not.* 1).

4770. — 2° Ecclesiæ et Oratoria publica sunt de præcepto benedicenda : ita enim se habet cap. 1, distinct. 1, De Consecrat., ex Epist. Felicis Papæ IV desumptum : « Missa-
» rum celebrationes non alibi quàm in sacratis Domino
» locis, absque magnâ necessitate fieri debere, liquet om-
» nibus quibus nota sunt veteris et novi testamenti præ-
» cepta. » Non est tamen hæc obligatio juris divini, saltem rigorosè obligantis, alioquin non posset concedi facultas extra ecclesias celebrandi ; sed videtur esse institutionis apostolicæ. (Devoti, lib. 2, tit. 7, sect. 1, § 16.)

4771. — 3° Oratoria verò privata non sunt necessariò benedicenda ; quid sit dicendum de altaribus, de vasis, de paramentis sacerdotalibus, de sacris linteaminibus, vide supra (3599-3611, 3617, 3638, 3650).

4772. — 4° Consecratio ecclesiarum à solo Episcopo fieri potest, ut constat can. *Tabernaculum*, de Consecr., distinct. 1ª, can. *Interdicimus* 10, causa 16, q. 1, et præsertim cap. *Aqua* 9, *de consecr. eccles.*, ubi dicitur à Gregorio IX : « Aquâ per Episcopum benedictâ ecclesiam reconciliari
» posse per alium Episcopum non negamus, per sacerdotes
» simplices hoc fieri de cætero prohibentes, non obstante
» consuetudine ecclesiæ Braccarensis, quæ dicenda est po-
» tiùs corruptela : quia licet Episcopus committere valeat
» quæ jurisdictionis existunt, quæ ordinis tamen episcopalis
» sunt non potest inferioris gradûs clericis demandare. » Vide etiam cap. *Nunc autem* 1, *de religiosis domibus*. Quapropter in *Rituali Romano* his verbis concluditur cæremonia benedictionis ecclesiæ : « ecclesia... quamvis à simplici sa-
» cerdote, ut supra, sit benedicta, ab Episcopo tamen con-
» secranda est » : hoc autem non videtur esse intelligendum de præcepto saltem rigoroso ; sic enim interpretatur praxis

hodierna ; ita *Inst.* R. de M. (tom. 2, p. 189) ; sed vide quid dicat Ferraris ex Concil. Romano sub Bened. XIII (v° *Ecclesia*, art. 4, n° 17).

4773. Ab Episcopo loci ubi sita est, ecclesia est consecranda, ut constat ex cap. *Interdicimus* modò citato, et cap. *Nullus* 25, de Consecrat., dist. 1, ubi Papa Hormisdas ait : « Nullus presbyter, in ecclesiâ consecratâ, aliud altare » erigat, nisi quod ab Episcopo *loci* sanctificatum est vel » permissum. » Idque adeo verum est ut nec ipse Vicarius generalis absque Episcopi sui aut jussu aut permissu consecrare ecclesias possit, etsi Episcopus sit ; non enim in istiusmodi rebus, sed in jurisdictionis duntaxat exercitio Diœcesani sui vices gerit. Vide Bened. XIV, *De Syn.*, lib. 2, cap. 8, n° 2 ; et ap. Ferraris, v° *ecclesia*, art. 4, n° 4.

4774. Valida tamen esset, quamvis illicita, Consecratio facta ab alieno Episcopo, sinè Ordinarii licentiâ ; sed juxta Concil. Trident. (sess. 6, c. 5, *de ref.* ; sess. 14, cap. 2, *de ref.*), hic Episcopus suspensionem ab exercitio pontificalium per annum integrum incurreret ; et insuper juxta cap. *Episcopus* 28, causa 7, q. 1, per annum pariter cessare deberet à celebratione missæ. At censuras suppressit Const. *Apost. Sedis*

imò valida esset Consecratio, etsi facta esset ab Episcopo hæretico vel excommunicato : ita can. *Non nocet* 89, causa 1, q. 1, ubi dicitur : « Non nocet malitia Episcopi, neque ad » baptismum infantis, neque ad ecclesiæ consecrationem. » Canones autem *Non oportet* 66, *ib.*, et *Ecclesia* 11, causa 1, q. 4, qui contrarium asserere videntur, intelligendi sunt de horrore criminis, et non de invaliditate Consecrationis.

4775. Simplex sacerdos, etsi nequeat ab Episcopo deputari ad Consecrationem ecclesiæ vel altarium, potest tamen à S. Pontifice ; Prælati verò regulares proprias ecclesias solemniter benedicere possunt, ex privilegio Leonis X, quo conceditur « Generalibus, Provincialibus et Guardianis Fra» trum Minorum (quod aliis est communicabile) ut... Ordi» nis et observantiæ ecclesias, cœmeteria, Capitula, et ora» toria ubicumque existentia..... solemni benedictione » benedicere valeant. » Vide *Instit.* R. de M. (tom. 2, p. 190) ; Ferraris (v° *ecclesia*, art. 4, n° 8). — Hæc autem

benedictio solemnis non est intelligenda de Consecratione propriè dictâ : vide Bened. XIV (*De Syn.*, lib. 13, cap. 15, n[is] II-V). Abbates tamen regulares obtinere possunt à S. Sede facultatem altaria pro suis ecclesiis consecrandi (vide supra 3639), aut etiam consecrandi ipsas ecclesias sibi proprias ; sed si non habeant jurisdictionem quasi-episcopalem cum territorio separato, ipsis concedi non solet Indultum ecclesias noviter ædificatas consecrandi. S. R. C., in *Pragensi*, 31 aug. 1715, ap. Ferraris (v° *Abbas*, n° 33).

4776. — 5° Consecratio ecclesiæ fieri potest quocumque die, tàm dominicis quàm cæteris diebus (cap. *Tua fraternitas* 2, *de consecrat. eccles.*). Fieri debet cum celebratione missæ, juxta cap. *Omnes* 3, de Consecr., dist. 1, ubi : « Omnes Basilicæ cum missâ debent semper consecrari. » Non tamen foret nulla, sed solùm illicita ecclesiæ consecratio absque missarum celebratione. Vide Devoti (lib. 2, tit. 7, sect. 1, § 17). Missa non est necessariò dicenda ab Episcopo consecratore, sed celebrari potest à simplici sacerdote. Vide *Pontificale*, in fine Consecrationis ecclesiæ.

4777. — 6° Ecclesiæ Consecratio non præsumitur, sed est probanda, nempe vel scripturâ in libro aut lapide repertâ, vel testibus fide dignis, saltem uno : « per unum » testem qui dicat fuisse consecratam sive de visu sive de » auditu, vel per notam in libris ecclesiæ, etc.. : quia tunc » sufficiunt semiplenæ probationes quando nemini fit præ» judicium » (ita Zoes ap. Ferraris, v° *ecclesia*, art. 4, n° 79), sufficiunt etiam cruces in pariete depictæ : « De ecclesiarum » Consecratione quoties dubitatur, et nec certa scriptura, nec » certi testes existunt à quibus Consecratio sciatur, absque » ullâ dubitatione scitote eas esse consecrandas ; nec talis » trepidatio facit iterationem, quoniam non monstratur » esse iteratum, quod nescitur factum. » Ita can. *Solemnitates* 16, de Consecr., dist. 1.

4778. — 7° Cæremoniæ Consecrationis ecclesiæ et benedictionis Primarii Lapidis ipsius ab Episcopo faciendarum inveniuntur in *Pontificali* ; cæremoniæ autem benedictionis tàm ecclesiæ quàm Primarii Lapidis à sacerdote delegato faciendæ, in *Rituali Romano* describuntur.

Altare majus ecclesiæ consecratæ fixum esse debet et consecrandum est cum ecclesiâ. S. R. C. 19 sept. 1665. Vide supra (3598).

4779.—8° Pridie Consecrationis ecclesiæ, reliquiæ Sanctorum altari consecrando includendæ, vasculo inclusæ, in aliquâ proximiori ecclesiâ vel oratorio, vel sub tentorio parato et ornato, inter luminaria exponuntur et coram eisdem celebrandæ sunt Vigiliæ et canendi Nocturni et matutinæ Laudes in honorem SS. quorum reliquiæ recondendæ sunt; proinde non de officio Dedicationis sunt recitanda, cùm hujusmodi officium non sit incipiendum nisi post peractam Consecrationem; sed de communi SS. quorum sunt reliquiæ cum Oratione de eodem communi sinè expressione nominis. S. R. Congr. 23 maii 1835, n° 4593 2, 14 jun. 1845, n° 4863.

4780.—9° Officium Dedicationis recitandum est sub ritu duplici 1 classis ab omni clero ecclesiæ consecratæ servitio strictim addicto. Congruit etiam ut illud recitet Consecrator, etsi ad id non teneatur quando non est Ordinarius loci. Non licet ipsius loco aliud officium recitare, quamvis esset officium Titularis ecclesiæ.

Officium Dedicationis non à primis Vesperis est recitandum, sed tantùm ab illâ horâ quâ completa est Consecratio. S. R. C., 19 jul. 1780, n° 4251 4, et 24 maii 1835. Vesperæ autem pridie Consecrationis, Matutinum, Laudes, Prima, etc., Consecrationem præcedentes, recitandæ sunt de officio occurrente; deinde, hoc officio interrupto, inchoandum est officium Dedicationis ab horâ tertiâ. S. R. C., 7 decembr. 1844, n° 4833.

Si Dedicatio occurrat die per officium dignius impedito, ejus officium juxta rubricas transferri debet, et in hoc casu inchoandum est à primis Vesperis, quia fit consecratione peractâ.

4781.—10° In missâ Consecrationis fieri possunt commemorationes, prout in Festis 1 classis, sed nulla fieri debet commemoratio officii quod fuit recitatum, quia jam cessavit et est omittendum. Si Consecratio fiat diebus in quibus nequit fieri officium Dedicationis sed transferri debet, missa

tamen solemnis de Dedicatione est celebranda, nisi occurrat in diebus exceptis per rubricas generales *Missalis*, tit. 6: quibus diebus dicenda est missa officii currentis cum commemoratione Dedicationis sub unicâ conclusione. Vide De Herdt, pars 5, n° 33. — Sacerdotes ante peractam consecrationem celebrantes, missam recitare debent conformem officio de quo matutinum recitârunt.

De Octavâ et Anniversario Dedicationis, vide rubricistas, et De Herdt (*ib.*, VI-IX).

4782. — 11° Jejunium pridie Consecrationis est strictæ obligationis quoad Episcopum Consecratorem, et eos (tantùm) qui petunt sibi ecclesiam consecrari. S. R. C., 19 jul. 1780, et 12 sept. 1840.

4783. — 12° Sæpè S. R. C. dispensavit, quando ecclesia undique circumiri nequit: imò sinè dispensatione tunc consecrari aut benedici potest, juxta De Herdt, pars 4, n° 33, 10, et pars 6, n° 42, IV.

13° Duodecim cruces quæ in Dedicatione ecclesiæ parietibus pinguntur vel inciduntur, *omnino perpetuis temporibus futuris remanere debent* in testimonium Consecrationis ecclesiæ. S. R. C., 18 febr. 1696, n° 3233.

4784. — 14° Quemadmodum homini baptizato nomen imponitur, ita ecclesiæ dedicandæ titulus datur quo nuncupatur: hic titulus eligitur in benedictione Primarii Lapidis, ex privato etiam fundatorum vel aliorum ad quos spectat arbitrio, et Festum Sancti vel Mysterii in cujus honorem ecclesia benedicitur aut consecratur, deinceps est celebrandum tanquam de Patrono seu Titulari, juxta rubricas. Vide De Herdt (pars 5, n° 34, III). — Semel electus titulus mutari deinde non debet, nisi fieret nova ecclesiæ Dedicatio, quæ tamen non est facienda nisi in casibus de quibus dicetur in articulo sequenti.

4785. « In ecclesiâ tantummodo benedictâ, altare po» test consecrari, quin priùs ipsa consecretur. » S. R. C. 12 sept. 1857, ad XVI. Vide *Analecta* (23e livr., col. 341 et 355). Sed Ecclesia consecrari nequit quin simul altare consecretur. S. C. R. 3 maii 1866. (*Revue des sciences ecclés.*, t. 17, p. 559.)

ART. V.

QUANDONAM ECCLESIÆ EXECRENTUR, ET QUID TUNC SIT FACIENDUM.

4786. « Quamvis *ecclesiis semel consecratis* non debeat » Consecratio iterum impendi, ut dicitur can. *Ecclesiis* » 20, de Consecr., dist. 1, nihilominus, ait Reiffenstuel, » (lib. 3, tit. 40, n^is 11-14), quando ecclesia, vel casu » fortuito vel consultò, totaliter aut saltem majori ex » parte etiam quoad parietes destruitur, et denuò de novo » simul construitur, de novo quoque consecrari debet, » etsi ex eâdem materiâ, vel iisdem ruderibus reædificetur: » arg. can. *De fabricâ* 24, de Consecr., dist. 1: ratio est » quia in tali casu nec moraliter nec physicè censetur » eadem ecclesia.

» Dicitur autem... si *simul.. de novo construitur aut* » *reparetur:* quia si ecclesia successivè per partes deficiens, » per partes statim iterum reficitur aut reparatur, non est » opus novâ Consecratione, etiamsi tota ecclesia succes- » sivè per partes ita destruatur et reparetur ut nulla pars » de primo ædificio supersit: ratio..., quia in tali casu » censetur moraliter adhuc eadem ecclesia...; accedit et » alia ratio.., quia juxta vulgaria, *magis dignum trahit ad* » *se minùs dignum, et major pars minorem...;* sufficit itaque » in tali casu si nova pars aspergatur aquâ benedictâ »: arg. citat. can. *De fabricâ; idque procedit*, inquit S. Liguor., lib. 6, n° 368, *etiamsi adsit animus totam ecclesiam destruendi.., quia intentio illa non officit quin Consecratio perduret.*

4787. « Idem dicendum est, pergit Reiffenstuel (*ibid.*), » si non tota ecclesia, nec major, sed aliqua tantùm pars » ejusdem, v. g. tectum corruat, parietibus illæsis, textu » claro: c. *Ligneis* 6, *de Consecr. eccles...* Ratio est (præter » modò allatam), quia in parietibus, ubi sunt cruces et » inunctiones, fit Consecratio: ergo illis salvis, salva manet » Consecratio.

» Quòd si tamen ecclesia igni foret exusta, ita ut pari-

» tes interiores ex toto vel ex majore parte sint devas-
» tatæ, vel abrasæ, etsi non corruant, indiget novâ
» Consecratione. » Et cf. App. XXIV.

4788. » Quando ecclesia in longitudine aut latitudine » amplificatur, ita tamen ut nova pars addita sit minor » veteri remanente, non opus est novâ Consecratione, » sed ut pars nova aspergatur aquâ benedictâ : arg. cit. » can. *De fabricâ.* »

4789. Quando autem ecclesia execrata fuerit, non potest sacris mysteriis inservire, nisi denuò benedicatur, aut consecretur, sed non indiget reconciliatione. Quomodo autem execrentur altaria, diximus supra (3601, etc.).

4790. Quid verò sit faciendum de ruderibus et reliquiis ecclesiarum? Juxta Papam Hyginum in cap. *Ligna* 38, *de* Consecr., dist. 1 : « Ligna ecclesiæ dedicatæ non debent » ad aliud opus jungi, nisi ad aliam ecclesiam : vel igni » sunt comburenda, vel ad profectum in monasterio fra- » tribus; in laicorum verò usum non debent admitti »; huic consonat etiam regula 2, in 6° : « semel Deo dicatum » non est ulteriùs ad usus humanos transferendum »; sed à longo tempore, temperatus fuit rigor illius disciplinæ, et hodie lapides et ligna ecclesiæ in usus profanos, modò non sint inhonesti, adhibentur, quod ab ipsomet Concil. Trident. admittitur (sess. 21, c. 7 *de ref.*), ubi, prout vidimus supra (4765), ecclesias dirutas, quæ nullo modo refici possunt, permittit in profanos *usus non sordidos, erectâ tamen ibi cruce*, convertere; — secus autem est dicendum de reliquiis paramentorum sacerdotalium aut sacrorum linteaminum, ut supra diximus (3621).

ART. VI.

QUOMODO POLLUANTUR ECCLESIÆ, ALTARIA, CŒMETERIA; ET QUID TUNC SIT AGENDUM.

4791. Juxta canonicas sanctiones, ecclesiæ, altaria, etc., polluuntur quando in eis perpetrantur actiones quædam turpes, quæ juxta æstimationem hominum ipsis ita injuriosæ reputantur ut indecens videatur quòd res divinæ in eis peragantur antequam purificentur seu reconcilientur.

Actiones hujusmodi quatuor numerantur, videlicet polluuntur ecclesiæ :

4792. — 1. Per *voluntariam, injuriosam ac graviter peccaminosam sanguinis effusionem*, qualis contingere solet ex vulnere injuriosè illato : eruitur ex cap. *Proposuisti* 4, et cap. finali *de eccles. Consecr.*; item ex cap. unico ejusdem tituli, in 6°, et can. *Ecclesiis*, *de consecrat.*

Dicit. 1° Per *voluntariam effusionem :* quia si casu fieret, aut ab amente, ecclesia non pollueretur.

Dicit. 2° *Injuriosam :* quia si percussio, etsi voluntaria, esset tamen justa, v. g., ob justam suî defensionem, servato moderamine inculpatæ tutelæ, non pollueretur ecclesia, quia ipsi non fieret injuria.

Dicit. 3° *Graviter peccaminosam :* quia pariter ecclesia non pollueretur si effusio sanguinis causaretur ex actione *leviter* peccaminosâ : si nempe pueri se invicem percuterent, aut si pater vel magister, causâ correctionis, leviter excederet, et tamen copiosa sanguinis effusio ex naribus aut aliunde contingeret; probabiliùs autem putat S. Liguor. cum aliis, copiosam effusionem sanguinis è naribus ecclesiam polluere si ex peccato mortali accidat (lib. 6, n° 365).

4793. Requiritur 1° ut effusio sit copiosa : unde ecclesia non polluitur, etsi percussio fuerit gravissima et cum summâ injuriâ, si solùm aliquæ guttæ sanguinis effundantur, et à fortiori si nullus sanguis fluat : verba enim canonum *sanguinis effusionem*, copiam denotant.

4794. Requiritur 2° ut effusio sanguinis physicè causetur intra ecclesiam, undè non violatur ecclesia si quis extra illam, vel in porticu, turri, aut subtus in speluncâ[1] percussus, fugiat in ecclesiam, ibique sanguinem effundat copiosè. Benè tamen èxcontra, si percussus in ecclesiâ, extra illam primùm fundat sanguinem copiosum, quia in hoc casu causa effusionis ecclesiæ injuriosa in eâ ponitur : ecclesia enim polluitur non propriè per effusionem sanguinis, sed per crimen illam effusionem causans, modo ecclesiæ inju-

[1] Si tamen crypta esset singulariter benedicta, aut esset locus sepulturæ, violata esset. Vide S. Liguor. (lib. 6, n° 362.)

rioso, prout certè accidit in casu; et reverà in cap. *Si ecclesia*, *de Consecrat. eccles.*, non requiritur *sanguinis effusio intra ecclesiam.* Vide S. Liguor. (lib. 6, 364) qui hoc tamen habet tantùm ut probabilius; nam plures alii secus sentiunt.

Item pollueretur ecclesia, si aliquis extra eam existens alterum in ecclesiâ exstantem sagittâ vel sclopo lædat aut occidat; secus si quis existens intra ecclesiam, lædat aut occidat jaculo hominem extra ipsam existentem : non violatur per hoc ecclesia, quia tunc homicidium non est intra ecclesiam patratum.

4795. — II. Violatur ecclesia per *homicidium voluntarium et injuriosum*, sive suì ipsius sive alterius, etiamsi sanguis non effundatur : ita can. *Si motum* 19, de Consecr., dist. 1. — Dicitur *voluntarium et injuriosum*, quia ob casuale vel peractum ad suì justam defensionem, cum debito moderamine, non polluitur ecclesia; item non violatur ob homicidium à furioso vel à penitùs ebrio patratum, quia non est voluntarium; violaretur ècontra per executionem malefactoris intra ecclesiam, etsi per judicem imperatam, quia talis executio esset ecclesiæ injuriosa, nisi ecclesiæ perturbator aliter capi nequiret.

Quæ modò diximus de necessitate patrati criminis intra ecclesiam quando effunditur sanguis, homicidio pariter sunt applicanda. (S. Liguor., lib. 6, n° 364.)

4796. —III. Polluitur ecclesia per *voluntariam ac illicitam seminis etiam muliebris effusionem in illâ peractam.* Ita cap. unic., *de Consecrat. eccles.*, in 6°. Nec refert an simplici pollutione, vel fornicatione, adulterio, etc., hoc contingat : cap. *Significasti*, *de adulter.*; can. *Ecclesiis* 30, de Consecr., dist. 1.

Controvertitur an actu conjugali ecclesia pollueretur : tanquam probabiliorem S. Liguorius habet sententiam affirmantem, saltem extra casum necessitatis : si v. g., per decem aut viginti dies conjuges cogerentur manere in ecclesiâ, aut si essent in periculo incontinentiæ. Vide S. Liguor. (lib. 3, n° 458).

4797. Dictum est *in ecclesiâ peractam* : non autem vio-

laretur ecclesia per seminis effusionem supra tectum, vel subtus ecclesiam, aut in sacristiâ, imò in choro, tribunâ, confessionnario, si sint extra corpus ecclesiæ. Ita Barbosa, ap. Ferraris, v° *Ecclesia*, art. 4, n° 48.

4798.—IV. Violatur ecclesia si in eâ sepeliatur infidelis, non baptizatus, aut excommunicatus vitandus, seu publicè denuntiatus, vel notorius clerici percussor. Ita habet caput *Ecclesiam* 27, de Consecrat., dist. 1 : « Ecclesiam, » in quâ paganus sepultus est, non liceat consecrare, » neque missas in eâ celebrare, sed jactari foras et mun- » dari oportet » ; vide etiam cap. sequens. — Non autem polluitur ecclesia si in eâ sepeliantur alii indigni. De iis omnibus, vide Reiffenst., lib. 3, tit. 40, n^is 16-21.

4799. Juxta autem Auctorem *Prælect. S. Sulp.*, n° 516, dubitatur an ecclesia vel cœmeterium polluatur per inhumationem hæretici notorii; imò juxta Lequeux, n° 1071, opinio affirmans esset communiùs recepta; sed probabilior sicut etiam communior videtur sententia negans : « si in » ecclesiâ fuerint sepulti hæretici notorii, inquit Ferraris, » non censetur violata ecclesia, nec indiget reconcilia- » tione. » Et huic cæteri DD. consentiunt, ut videre est v° *ecclesia*, art. 4, n° 54. Re quidem verâ in cap. *Quicumque, de hæreticis,* in 6°, sancitur ut locus in quo sepultus est *hæreticus*, vel *credens*, vel *receptator*, vel *defensor, perpetuâ careat sepulturâ ;* sed quando iste canon fuit editus, non requirebatur denuntiatio, ut excommunicatio suos omnes effectus produceret : sufficiebat enim tunc notorietas; sed hodie post Martini V Bullam, *Ad evitanda scandala*, hæc non ampliùs sufficit.

4800. Certè non polluitur ecclesia si in eâ sepeliatur infans non baptizatus in utero matris mortuæ inclusus et cum ipsâ defunctus. Certum est etiam illicitum esse illum in ecclesiâ aut cœmeterio sacro sepelire, si extractus fuerit ab utero matris suæ. Sed controvertitur an in isto casu polluatur ecclesia vel cœmeterium; et reverà cap. 27 et 28, dist. 1, de Consecrat., non loquuntur de tali infante, sed de pagano et infideli; porrò inter paganos aut infideles computandi non videntur filii fidelium, etsi nondum bap-

tizati : ita Card. Gousset (*Theol. mor.*, tom. 2, n° 310); Auct. *Prælect. S. Sulpit.*, n° 516; vide etiam apud Ferraris (v° *ecclesia*, art. 4, n° 53). Secus est dicendum de filiis infidelium: quia filii conditionem parentum sequuntur ; imò sententia communior tenet ecclesiam pollui per sepulturam filiorum fidelium nondum baptizatorum : vide *ibid.*, et S. Liguor. (lib. 6, n° 366). Et hæc opinio est tenenda, juxta Decretum S. Congr. Immunitatis, 18 aug. 1821, ab *Analectis* relatum, 50° livr., col. 1557, 1558, ubi præcipit exhumationem talium infantium non baptizatorum, ac reconciliationem cœmeterii in quo fuerunt sepulti. Juxta sententiam communiorem non polluitur ecclesia aut cœmeterium per sepulturam catechumeni. (Gousset, *ibid.*)

4801. Multi sunt alii quibus deneganda est sepultura ecclesiastica, prout diximus supra (4713, etc.); sed si nihilominus in loco benedicto sepeliantur, etsi tunc peccetur, non polluitur ecclesia aut cœmeterium.

4802. In prædictis casibus, ecclesia tanquam polluta haberi non debet, nisi sint notorii : ita cap. *Tua* 34, *de simon.*, et can. *Erubescant*, dist. 32, ubi dicitur : « De » manifestis loquimur, secretorum autem cognitor Deus » et judex est »; sed polluta evadit statim ac notoria fit actio polluens, sive ab initio sive postea fiat notoria, tàm notorietate juris quàm facti. Vide Reiffenstuel, lib. 3, tit. 40, n° 22. Quidquid nonnulli asserant, sufficit notorietas facti, nec requiritur notorietas juris (S. Liguor., lib. 6, 364). Statim ac notoria efficitur pollutio loci sacri, auferri debet sacra Eucharistia, altaria nudari debent tollendaque sunt omnia mobilia (Lequeux, n° 1073, *in fine*).

4803. Nisi priùs reconcilietur, illicitum est celebrare in ecclesiâ pollutâ ; excipe casum necessitatis in quo venia ab Episcopo petenda est si adiri possit, alioquin inibi sinè eâ celebrare licet ; item illicitum est in eâ mortuos sepelire aut celebrare divina officia ; qui contra faceret, peccaret quidem graviter, sed irregularitatem non incurreret, quia talis non est effectus contemptûs violationis ecclesiæ. Controvertitur verò an tunc suspensio incurratur, et in tali dubio videtur quòd ut non contracta haberi possit : reverà in cap

Nullus 15, de Consecr., dist. 1, dicitur : « Nullus presbyter » missas celebrare præsumat nisi sacratis ab Episcopo » locis (qualis non ampliùs est ecclesia notoriè violata), » qui particeps de cætero vult esse sacerdotii » ; sed præterquam ecclesiæ pollutæ sunt tamen ecclesiæ ab Episcopis sacratæ seu benedictæ, verba *qui particeps de cætero*, etc., intelligi possent de pœnâ non latæ sed ferendæ sententiæ. Vide S. Liguor. (lib. 6, n° 361). Contra tamen sentit Reiffenst. (lib. 3, tit. 40, n° 23).

Diximus quòd in necessitate sit licitum celebrare in ecclesiâ pollutâ sinè licentiâ Episcopi, si adiri nequeat : porrò sufficiens necessitas adesse censetur, juxta S. Liguor. (*ib.*), si populus non habet aliam ecclesiam ubi missam audiat.

4804. « Si, sacerdote celebrante, violetur ecclesia ante » canonem, dimittatur missa, si post canonem (inceptum) » non dimittatur. » (Rubrica *Missalis*, *de defect.*, § X, 2.)

4805. Quando ecclesia aliquo ex præfatis modis polluitur, quamprimùm reconciliari debet : cap. fin., *de Consecrat. ecclesiæ;* et quidem, si ecclesia erat consecrata, reconciliari nequit ab alio quàm ab Episcopo loci, aut alio Episcopo ex ejusdem delegatione ; et idem est dicendum de cœmeterio consecrato. S. Rit. Congr. *in Cameracensi*, 9 febr. 1608. Vide Ferraris (v° *ecclesia*, art. 4, n^is 65 et 66) et cap. *Consuluisti*, *de Consecrat. ecclesiæ*. Arguitur ex cap. *Aquâ* 9, *de reconc. eccles.*, ubi dicitur : « aquâ per Episcopum benedictâ ecclesiam reconciliari posse per alium Episcopum » non negamus, per *sacerdotes simplices* hoc fieri de » cætero prohibentes, non obstante consuetudine, etc., » quæ potiùs est corruptela. » Debet autem reconciliatio fieri aspersione aquæ cum vino et cinere atque sale juxta ritum *Pontificalis* benedictæ.

4806. Ex commissione aut privilegio Sedis Apostolicæ, reconciliatio ecclesiæ consecratæ aut cœmeterii fieri potest per simplicem sacerdotem, modò adhibeatur aqua benedicta ab Episcopo : et hoc privilegium à Leone X concessum fuit Generalibus, Provincialibus, Custodibus, Guardianis Fratrum Minorum ; ab ipsis tamen presbyteris benedici posset aqua, si Episcopus duabus diætis distaret (S. Liguor.,

lib. 6, n° 363), quælibet diæta continet 20 milliaria italica. Vide Ferraris (v° *ecclesia*, art. 4, n[is] 68, 70, etc.).

4807. Si verò ecclesia fuisset solùm benedicta, à quovis sacerdote reconciliari potest per aspersionem solius aquæ communis à simplici sacerdote benedictæ. Imò ex cap. finali *de Consecrat. eccles.*, plures asserunt posse concludi necessariam non esse licentiam Episcopi : in eo enim capitulo dicitur : « Si ecclesia non consecrata... fuerit polluta, aquâ » *protinùs* exorcizatâ lavetur »; si *protinus*, ergo, non expectatâ licentiâ; ratio ibidem datur : « ne divinæ laudis organa suspendantur » : vide Reiffenst. (lib. 3, tit. 40, n° 28); proinde statim ac ecclesia fuerit polluta, etiam tempore missæ, posset reconciliari, et postea perfici Sacrificium : et ita sentit ipse Bened. XIV (*De Syn.*, lib. 13, c. 15, n° II), ubi ait. « Si (ecclesia) simpliciter benedicta fuerit, tunc... Greg. IX » in cap. *Si ecclesia*, *de Consecr. eccles.*, statuit nullâ præ- » cedente delegatione, per simplicem sacerdotem, adhi- » bitâ aquâ benedictâ... posse ecclesiam pollutam recon- » ciliari. » Secus tamen sentit S. Liguor. (lib. 6, n° 362), cum aliis pluribus, dicens quòd in casu debeat præcedere Episcopi delegatio, quia sic habetur in *Rituali Romano*, ubi revera dicitur : « ecclesiæ violatæ reconciliatio per » sacerdotem *ab Episcopo delegatum* fiat hoc modo, etc. »; sed juxta De Herdt (*Sacræ Liturgiæ*, pars 3, n° 18, I), communiter dicunt auctores non requiri licentiam Episcopi *de præcepto*, sed solùm ex *decentiâ;* nonnulli etiam asserunt ecclesiam censeri reconciliatam, si sacrificium in eâ peractum fuerit, sed meritò hoc ab aliis negatur. (S. Liguor., *ibid.*)

4808. Oratoria quæ non fuerunt benedicta, violationum non sunt capacia, nisi in ipsis exstet altare ad divina facienda : vide apud S. Liguor. (lib. 6. n° 362); sed ex mox dicendis altare deberet esse fixum.

4809. Dicitur in cap. *Si ecclesia* 10, *de Consecrat. eccles.*: « Si ecclesia non consecrata (sed tamen benedicta) cujus- » cumque fuerit semine aut sanguinis effusione polluta, aquâ » protinus lavetur, ne divinæ laudis organa suspendantur; » est tamen quàm citiùs fieri potest consecranda. » Ex

quo patet quòd si ecclesia benedicta fuerit polluta, reconciliari debet ante ipsius Consecrationem.

4810. Si ecclesiæ polluantur per alicujus sepulturam, non est licitum illas consecrare, aut in illis celebrare, proinde illas reconciliare priusquam exhumatur cadaver et alibi transferatur : ita cap. *Ecclesiam* 27, de Consecrat., dist. 1.—Apud nos obtineri potest ab auctoritate civili permissio hanc exhumationem faciendi, ut constat ex *Journal des fabr.*, t. 3, p. 378. Saltem obtineatur licentia circumsepiendi tumulum muro vel fossâ, aut alio modo ; si autem non posset obtineri hæc licentia, ad Superiores esset recurrendum.

4811. Si corpora quæ exhumanda sunt, ab aliis discerni nequeant, « expedire non credimus ut cum excommuni- » catorum ossibus corpora extumulentur fidelium. » Ita cap. *Sacris* 12, *de sepulturis*. Et in hoc casu reconciliari potest cœmeterium sinè factâ exhumatione.

4812. Quæ dicta sunt de pollutione et reconciliatione ecclesiæ, dicenda sunt pariter de cœmeterii pollutione et reconciliatione.

4813. Adverte quòd « si ecclesiam pollui... contingat, » ipsius cœmeterium, si contiguum sit eidem, censeatur » esse pollutum : unde, antequam reconciliatum fuerit, » non debet in eo aliquis sepeliri ; secus si remotum » fuerit ab eâdem. Non sic quoque in casu controverso » sentimus, ut videlicet, polluto cœmeterio, quamvis » ecclesiæ contiguo, debeat ecclesia reputari polluta, ne » minùs dignum aut necessarium principale ad se trahere » videatur. » Sunt verba cap. unici, *de Consecr. eccles.*, in 6°, ubi insuper dicitur :

« Non unum sed plura cœmeteria noscuntur, quæ quam- » vis sibi cohærentia, pariete tamen medio sejunguntur. » Ideoque, violato eorum altero, alterum (licet de uno ad » aliud per portam intermediam habeatur accessus) non » propter hoc reputabitur violatum. »

4814. Pollutâ ecclesiâ, polluitur simul altare fixum in eo constructum : cap. *Proposuisti* 4, *de Consecr.*; non tamen polluitur si sit portatile, quia non habet connexionem neces-

sariam cum eo. Vide Lequeux (n° 1070, *in fine*). Aliter est dicendum de execratione : execratâ enim ecclesiâ non ideo execrantur altaria etiam fixa quæ inibi existunt: cap. *Ad hæc*, *de Consecr. eccles.*

4815. Non ideò polluuntur ecclesiæ quia ab hæreticis fuerunt occupatæ; si tamen actu ab hæreticis occupentur, cavendum est, sacra in eis faciendo, ne approbari videatur hæresis aut schisma. Vide Lequeux (n° 1074).

ART. VII.

DE SUPELLECTILI ECCLESIARUM.

4816. Multa diximus de sacrâ supellectili, loquendo de requisitis ad missam : vide supra (3610-3682); sufficiat hîc adjicere : 1° quæ dicuntur in *Rituali Romano* circa vasa in quibus conservanda sunt Olea sacra : « Chrisma et » Oleum sacrum sint in suis vasculis argenteis, aut saltem » stanneis, benè obturatis : quæ vascula sint inter se dis- » tincta, et propriam unumquodque inscriptionem habeat » majusculis litteris incisam, ne quis error committatur. » Ad usum verò quotidianum, minora habeantur vas- » cula ex argento si fieri potest, aut stanno; sive separata, » sive etiam conjuncta, aptè tamen distincta et benè co- » operta, et cum suis inscriptionibus. » (*Rubr. de Baptis.*) Quo in loco hæc vascula sint asservanda, vide supra (3940).

4817. — 2° Nemini licet, in ecclesiâ quomodolibet exemptâ, « ullam insolitam imaginem ponere, vel ponen- » dam curare, nisi ab Episcopo probata fuerit » (Concilium Tridentinum, sess. 25, *Decretum de Invocatione Sanctorum*); poni tamen possunt, inconsulto Episcopo, imagines quæ solita mysteria aut historias approbatas Sanctorum continent; sed non licet exponere in ecclesiâ imagines Servorum Dei nondum canonizatorum aut beatificatorum, præsertim cum radiis aut sanctitatis signis : ita Urbanus VIII Constit. *Cælestis* (Ferraris, v° *Imagines*, n° 15).

Beatificati pingendi sunt cum radiis tantùm; Canonizati verò cum diademate circa caput.—Imagines Beatorum non ubique licet exponere publicè venerationi fidelium (Bene-

dictus XIV, Constit. *Quoniam*, § 10). Imagines autem plurium Sanctorum apponi possunt super altari in quo sacrum peragitur (Bened. XIV Const. *Accepimus*). Vide infra (4880).

4818. « Imagines Deum repræsentantes sub eâ formâ » quâ ipse hominibus apparuit, licitæ sunt. Bened. XIV..., » Constit... *Sollicitudini*, § 12... Imagines SS. Trinitatem » repræsentantes sub certis formis licitæ sunt : nempe » quæ Deum Patrem continent in formâ hominis senis, in » cujus sinu sit Christus et inter utrumque Spiritus Sanctus » in formâ columbæ ; vel imagines in quibus seorsim Deus » Pater in formâ hominis senis, et seorsim Christus, sed » propinqui ambo, et inter utrumque Spiritus Sanctus in » formâ columbæ (*ib.*, § 25, 32, 36)... Pingi etiam potest » Pater solus... ; item æternus Filius seorsim..., etiam sub » formâ *Agni* [1]; item Spiritus Sanctus vel tanquam de cœlo » descendens die Pentecostes in figurâ linguarum ignis, » vel aliàs in columbæ specie, seorsim pariter ab aliis » Personis divinis : non tamen Spiritus Sanctus seorsim à » duabus aliis Personis humanâ specie, seu viri, seu juve» nis depingi potest (*ibid.*, § 36).

» Non licet Sanctissimam Trinitatem pingere in utero » B. M. Virg. (*ib.*, § 27), nec sub figurâ hominis tricipitis » (*ib.*, § 28). An autem sub figurâ hominum æqualium et si» milium, disputatur... (*ib.*, § 29). Imagines divinam Perso» nam repræsentantes sub aliâ formâ quàm quæ ab eàdem » assumpta fuerit, tolerari non debent (*ib.*, § 22). » Ita Ferraris (v° *Imagines*, n° 54, etc.).

« Urbanus VIII comburi jussit imaginem cum tribus » buccis, tribus nasis et quatuor oculis » ad designandam Trinitatem. — Ferraris, *ib.*, n° 44.

4819. Item licitum est Angelos depingere in formâ corporeâ, quali in scripturâ referuntur sæpissimè hominibus apparuisse, vel quali ibidem describuntur.

4820. Imagines autem Christi et Deiparæ, Angelorum,

[1] Hoc quidem vetitum fuerat in cap. *Sextam sanctam*, dist. 3, de Consecr., sed ex praxi constat prohibitum fuisse solùm depingere agnum tanquam *figuram Christi immolandi*, non verò tanquam *symbolum Christi immolati*. Vide Ferraris (v° *Imagines, Annotatio*)

Apostolorum aliorumque Sanctorum prohibentur sculpi aut pingi cum habitu peculiari alicujus Ordinis regularis, seu alio modo in ecclesiâ inconsueto. Et si jam sic sculptæ vel depictæ sint, amoveri debent ab ecclesiis, nec publico aspectui sunt exponendæ. — Urbanus VIII, Constit. *Sacrosancta*, 15 martii 1642, apud Ferraris, *ib.*, n° 8.

4821. Non habitu profano, vel inhonestâ aut procaci venustate pingendæ sunt imagines Sanctorum : talem abusum tolerare non debent Ordinarii etiam apud exemptos; inconsultis autem parochis, pingi vel poni in ecclesiis imagines non debent. Ferraris (*ibid.*, n^{is} 10-14). — Effigies S. Antonii solet exprimi cùm variis symbolis : ignem et porcum ad pedes jacentem habet; librum cum baculo dextrâ manu gerit, tintinnabulum sinistrâ; *Thau* super vestem depingitur, et prope ipsum ecclesia. Hæc autem sic explicantur: *ecclesia* est imago ecclesiæ primæ domûs; *tintinnabulum* depingitur, quia Antoniani stipem colligentes sic suum adventum in varia loca solebant indicare; *baculus et thau*, quia S. Antonius sic apparuit cuidam viro nobilissimo Provinciæ Viennensis, Gastonis nomine. Vide insuper Ezech. (c. 9, v. 4 et 6.); *ignis* autem, quia in subsidium venit iis qui igneo morbo opprimebantur; *porci* tandem, vel ad significandum quòd S. Antonii patrocinio bruta ad sanitatem revocarentur, vel in symbolum porcinorum hominum, ejus exemplo et institutis devictorum. Vide Ferraris, v° *Imagines*, n^{is} 78, 79.

4822. — 3° Nemini licet in ecclesiâ ponere sedilia vel scamna, absque facultate rectoris ejus aut licentiâ Episcopi; et si apposita fuerint removenda sunt illorum jussu : maximè quandò sunt causa rumoris et functiones impediunt : ita pluries decisum à S. C. Episc., et à S. Congr. Rit., uti est videre ap. Ferraris, v° *ecclesia*, art. 5, n° 7.

Ex tolerantiâ vel licentiâ, etiam tacitâ Episcopi vel rectoris ecclesiæ, laici quidem acquirere possunt jus habendi sedilia in ecclesiâ; non tamen quoad dominium, sed duntaxat quoad usum, et quidem revocabilem ad libitum rectoris vel Episcopi : ita S. C. Episc., 28 jun. 1583, et 5 sept. 1665, ap. Ferraris, *ib.*, 8-10. Attamen fundator, vel aliquis in-

signis benefactor posset sibi reservare jus perpetuum sedis aut scamni in ecclesiâ, sicut potest sibi pariter reservare jus habendi prospectum seu ingressum in ipsam, juxta communem DD. sententiam. Vide Ferraris, v° *ecclesia*, art. 5, n° 6.

4823. Etsi Episcopus vel rector possit revocare usum sedilium à seipso concessum, eum tamen retrahere non debet, nisi juxta servitium vel commodum ecclesiæ, vel nisi quis proprietatem sibi prætenderet: quia, ex regulâ juris 21, in 6° : « quod semel placuit, ampliùs displicere non potest. » (Ferraris, *ib.*, n^is 11 et 12.)

4824. Non possunt autem possessores sedilium in toto vel in parte, illorum usum aut situm aliis cedere aut quoquomodo concedere nisi Episcopus consentiat. (Ferraris, *ib.*, n° 9.)

4825. » Jus habendi sedilia vel sepulchra in ecclesiâ, » concessum alicui familiæ vel descendentibus, extinctâ » familiâ, transit ad hæredes extraneos, nisi taxativè con- » cessum fuisset illis de familiâ duntaxat, vel solis descen- » dentibus. » (Ferraris, v° *ecclesia*, art. 5, n° 26.)

4826. « Ex simplici consuetudine sedendi in certo loco » non infertur...jus prohibendi ne alteri in diverso et etiam » præstantiori concedatur sedes et sepultura. » (Ferraris, *ib.*, n° 22.)

« Ex consuetudine autem sedendi in certo loco ratione » præeminentiæ, interdicta censetur situatio cujuscumque » alterius sedis, ex quâ præjudicium præeminentiæ primi » inferatur: Rota...; dummodo primus assignatarius cùm » jure sedendi in certo loco acquisierit etiam jus prohi- » bendi ne alius locus superior alteri assignari possit. » Ad hoc requiritur quòd ecclesia vel interesse habens, acquieverit prohibitioni. (Ferraris, *ib.*, n^is 18, 20, 21.)

In hâc hypothesi, poni non potest nova sedes ante veterem, etsi oblata fuerit notabilis pecuniæ summa, in gratiam ecclesiæ pauperis : quia ecclesia utpote justitiæ cultrix, jus acquisitum auferre non debet, nec jus sedendi in certo loco tollere nequit propter supervenientem oblationem. Ita Rota, ap. Ferraris (*ib.*, n^is 16 et 17).

4827. Quando lis inter privatos oritur super competentiâ loci sedilis, qui sunt in possessione, in eâ absque novitate manutenendi sunt. S. Cong. Epis. 6 mart. 1692. — « Con- » tra amoventes sedilia agi potest actione injuriarum, » etiamsi amovens esset Administrator ecclesiæ. »

« Si antiqua forma ecclesiæ immutetur... sedilia seu » scamna laicorum reponi debent eodem ordine quo re- » periebantur ante immutationem fabricæ, vel in loco » æquè digno... Rota. » — Vide circa hoc *Journal des fab.*, tom. 9, p. 26, et tom. 8, p. 367.

« Sedilia non possunt in ecclesiâ ita collocari ut sedentes » vertant terga ad SS. Sacramentum, et alia indecora orian- » tur. S. Pius V, Const. *Cùm primùm.* » (Ferraris, *ib.*, n[is] 23, 27.)

Circa hæc omnia consulendæ sunt apud nos dispositiones legis civilis. Vide Decret. 30 decembr. 1809, art. 62, 66, 72. — DD. Affre, *administration tempor.*, etc., *bancs et chaises*; Dieulin, *Guide des curés*, p. 99, etc. 3ª edit.

ART. VIII.

DE IMMUNITATIBUS ECCLESIARUM, ET BASILICARUM PRIVILEGIIS.

4828. Ecclesiarum *Immunitates* in duobus consistunt: 1° in prohibitione ne certi actus in locis sacris peragantur; 2° in jure asyli: quibus si addas dicenda circa privilegia Basilicarum tres habebis paragraphos.

§ I.

De prohibitione ne certi actus fiant in locis sacris.

4829. Jure canonico prohibetur ne ecclesiæ usibus profanis inserviant, iis præsertim qui ipsarum sanctitatem magis dedecent: « Cessent in locis illis universitatum et » societatum quarumlibet concilia, conciones et publica » parlamenta...; cessent in ecclesiis earumque cœmeteriis » negotiationes et præcipuè nundinarum ac fori cujus- » cumque tumultus; omnis in eis sæcularium judiciorum

» strepitus conquiescat; nulla inibi causa per laicos, cri-
» minalis maximè, agitetur, sint loca eadem à laicorum
» cognitionibus aliena. » Ita cap. *Decet* 2, *de immunitate eccles.*, lib. 3, in 6°.

4830. Prohibentur ergo in ecclesiis : 1° Universitatum et societatum quarumlibet (intellige laicorum) concilia, conciones, parlamenta: v. g. electiones populares, nisi ex necessitate, v. g. ob pluviam, solis æstum, modò fiant sinè strepitu, et desit alius locus opportunus; idem dicitur quoad judicia sæcularia (S. Liguor., lib. 3, n° 37). —Si autem necessitas urgeat, ad Episcopum est recurrendum. Ludi verò theatrales profani, etiam prætextu consuetudinis, in ecclesiis vetantur ab Innocent. III, in cap. *Cùm decorem*, *de vitâ et honest.*, etc. —Quoad autem pias repræsentationes, licitæ fieri possunt cum Episcopi licentiâ :—vide Ferraris (v° *ecclesia*, art. 5, n[is] 51 et 52); Reiffenstuel (lib. 3, tit. 49, n° 19). Idem est dicendum de disputationibus litterariis publicis, quia scientia est res sancta et donum Dei, pietati ac religioni inserviens : eâdem ratione licet conferre in ecclesiâ gradus academicos (Reiffenst., *ib.*): hæc etiam Romæ fiunt, ubi pariter solent alumnis præmia solemniter distribui, post decursum uniuscujusque anni studiorum curriculum.

4831. — 2° Negotiationes, nempe venditiones aut alii contractus qui mercatus et præsertim nundinas sapiunt: consuetudine autem introductum est, et licitum videtur vendere ad portas ecclesiarum res pias, ut coronas deprecatorias, numismata, pias imagines, libros asceticos, etc. Intra tamen ecclesiam illicitum esset hujusmodi mercaturam exercere.

4832.—3° Judicia sæcularia, maximè in causis criminalibus et sanguinis.—Secus de judiciis ecclesiasticis, quæ haberi possunt in locis sacris, et sæpe in Conciliis habita sunt. —Quoad verò judicia sæcularia, ut nulla, jure canonico, haberi debent, si fiant in ecclesiâ, juxta citat. capit. *Decet*, § *Ordinarii*, ubi dicitur : « Judicum sæcularium ac specia-
» liter prolatæ sententiæ in eisdem locis omni careant ro-
» bore firmitatis. »

4833. — 4° Ex verbis ejusdem cap. *Decet* : « Sint loca » eadem à laicorum cognitionibus aliena », deducitur neminem posse habere fenestram per quam prospectus, aut portam per quam transitus habeatur in ecclesiam sinè Indulto Apostolico. Sic pluries à S. Congr. Episc. et Reg. fuit decisum, uti videre est apud Ferraris (v° *ecclesia*, art. 5, n° 1). Imò injungitur Episcopo ut cryptas et aditus subterraneos à domibus privatorum, etiam patronorum, ad ecclesias, et loca immunia claudere faciat, etiamsi illi aditus in gratiam privatorum haberentur per januam domui parochiali communicantem (*ibid.*, n^is^ 2 et 3) : vide etiam *Analecta* (17e livr., col. 2587); nec hoc Ducibus et Marchionibus permitti posse declaravit S. Congr. Episc. 5 martii 1619 (*ibid.*, n° 4) : vide tamen exceptionem quoad fundatores et benefactores insignes (4822). Quid autem statuat jus civile apud nos, vide *Journal des fabriques*, tom. 2, p. 206.

4834. Item Ordinarius permittere non debet super ecclesias esse immediatè cameras, vel loca ad habitandum, dormiendum, vel deambulandum, absque licentiâ Sedis Apostolicæ; si secus fiat ab Ordinario debent interdici donec tales servitutes removeantur. S. C. Episcop., 26 jul. 1613; 2 oct. 1626; 13 apr. 1646, 11 jun. 1655.

4835. Multa alia prohibentur ex jure canonico, ob reverentiam locis sacris debitam, uti est videre apud Ferraris (*ib.*, art. 5, n^is^ 44-45) ; sed non videntur posse obtineri in Galliâ. — Nota tamen quòd etiam juxta nostras leges civiles, concedi nequeat à Fabricâ medietas murorum ecclesiæ seu servitus *oneris ferendi, aut tigni immittendi*. Cod. civ., art. 537. Vide DD. Affre, *Administr. tempor.*, etc., p. 156, 4e edit. Quoad autem servitutum præscriptionem, vide eumdem (p. 155, 507, etc.) ; *Journ. des fabriq.*, tom. 1 p. 299, tom. 5 p. 79.

4836. Hìc etiam referendum est quod habetur in Decreto S. Rituum Congreg., scilicet : « Non licere cuicum» que, etc. (personis regalibus tantùm exceptis) ad eccle» sias strata sibi deferri facere, secus immediatè cessan» dum est à divinis. Quod nisi servetur, rectores cæterosque

» ecclesiarum ministros ipso facto excommunicationem
» incurrere, eamque ecclesiam habendam esse pro inter-
» dictâ. » Hoc Decretum Bullario Clementis XI insertum fuit ; et inibi adjicitur : « Sanctitas Sua Decretum appro-
» bavit, necnon promulgari atque executioni tradi et in
» omnibus Urbis sacrariis affigi mandavit, die 3 oct. 1701.» Vide Ferraris (*ibid.*, nis 28, 29), qui insuper refert plures decisiones S. R. Congr., in quibus vetitum est præbere Evangelium laicis ad osculandum inter missarum solemnia, et pariter præstare ipsis usum throni, seu baldachini, eosque admittere intra presbyterium. Vide S. Liguor., lib. 7, n° 340, lib. 3, n° 37.—De præfatâ excomm. silet C. *Ap. Sed.*

4837. S. R. Congr. per Decret. 16 mart. 1697, confirmatum 12 sept. 1699, mandavit aptandum esse locum Magistratui extra presbyterium, juxta designationem factam à Magistro cæremoniarum, non obstante quòd Magistratus reperiretur in possessione, et allegaret alterius loci congrui deficientiam.—Ferraris, *ib.*, n° 31, et supra dicta (639).

Etiam juxta legislationem nostram civilem, laici in dignitate constituti sedem in sanctuario occupare non debent, sed tantùm in choro, vel in navi (*décret du 24 messidor an XII*). Vide *Journal des fabriques*, tom. 4, p. 211.

§ II.

De jure asyli.

4838. Hoc jus in eo reponitur quòd confugientes ad loca sacra aut domos religiosas nequeant ex his extrahi, nisi sub diversis conditionibus : « Eo jure fruebantur præcipuè de-
» bitores quibus imminebat corporalis apprehensio : sed
» insuper servi fugitivi, imò malefici, modò non fuissent
» *publici latrones, depopulatores agrorum, homicidia et*
» *mutilationes in ecclesiis committentes, homicidæ, prodi-*
» *torii, assassinii, hæretici, rei læsæ majestatis* : isti enim
» à jure asyli excluduntur, tum per canones, v. g. cap.
» *Inter alia* 6, *de Imm. eccles.*, tum per Constit. SS. Pon-
» tificum, et notanter Gregorii XIV. » Ita Lequeux (n° 1114),

qui deinde refert verba capit. *Inter alia*, modò citati, ubi enumerantur conditiones observandæ ut quis è loco asyli extrahatur : « Fugiens ad ecclesiam, aut liber aut ser-
» vus existit : si liber, quantumcumque gravia maleficia
» perpetraverit, non est violenter ab ecclesiâ extrahen-
» dus, nec inde damnari debet ad mortem vel ad pœnam,
» sed rectores ecclesiarum sibi obtinere debent vitam et
» membra : super hoc tamen quod iniqua fecit, est aliàs
» legitimè puniendus...; si verò servus fuerit, postquam
» de impunitate suâ dominus ejus clericis juramentum
» præstiterit, ad servitium domini sui redire compellatur,
» etiam invitus. »

Pœnæ autem gravissimæ, excommunicatio nempe, privatio asyli, etc., in eos decernebantur qui jus asyli violabant. Vide S. Liguor., *De Privileg.*, n° 28, et C. *Ap. Sed.*

4839. Jus asyli, jure ecclesiastico et civili, omnibus ecclesiis competebat etsi interdicto subjectis, sive pollutis, etiam dirutis, nisi omninò Præsulis auctoritate fuissent profanatæ; item earum capellis, sacristiis, cœmeteriis, campanilibus, tectis, atriis, atriorum gradibus cum quadraginta passibus ultrà pro Ecclesiis Cathedralibus, et triginta pro ecclesiis extra munia loci Cathedralis positis, dummodo non intercessisset via publica aut aliqua sæcularium domus; secus, si domus sit alicujus clerici. Eâdem immunitate gaudebant hospitalia in quibus exstabat aliqua capella publica; item oratoria ab Episcopo erecta, Palatium Episcopale, et domus regularium cum suis dormitoriis, claustris, hortis et porticibus ante ecclesias vel monasteria. Ita S. Liguor., *De Privilegiis*, n° 25, qui addit, n° 26, quòd in casibus clarè exceptis, judex sæcularis poterat per se extrahere delinquentes, juxta communem praxim : in dubio autem judicium exceptionis ad Episcopum spectabat. Quidquid verò dicant nonnulli, juxta communissimam sententiam et praxim communem, clerici et religiosi dicto jure asyli non gaudebant respectu suorum Prælatorum, qui habebant jus eos ab ecclesiis suis extrahendi, aut faciendi extrahi (*ibid.*, n° 27).

4840. Sublatum fuit jus asyli non tantùm in Galliâ, sed

in omnibus ferè Europæ partibus; conveniens tamen videretur quòd, dum habitationes Legatorum Principum sæcularium sint, etiam hodierno tempore, asylum in quo cives tutò manent, à fortiori domus Regis regum, deberet protegere eos qui ad eam confugiunt.

Hæc autem unica reliquia naufragii veteris juris asyli apud nos hodie remanet, scilicet quòd tempore *exercitii functionum cultûs*, debitores apprehendi non possunt in ecclesiis: vide art. 781 *Code de procédure.*

§ III.

De privilegiis Basilicarum.

4841. Inter varias ecclesias aliqua existit præeminentia: supra enim ecclesias Confraternitatum et Archiconfraternitatum ponuntur ecclesiæ regularium; supra istas, ecclesiæ parochiales, deinde Collegiatæ; supra Collegiatas, Cathedrales; supra Cathedrales, Metropolitanæ; supra Metropolitanas, Primatiales; supra Primatiales, Patriarchales.

Inter autem ecclesias ejusdem generis attenditur ad dignitatem, vel antiquitatem. Vide dicta supra, *De Præcedentiâ* (626, etc.).

4842. Digniores reputantur ecclesiæ Basilicæ: quæ duplicis generis sunt: 1° *Majores* numero quatuor in Urbe Româ, scilicet Lateranensis quæ *Mater est omnium ecclesiarum* et Sedes S. Pontificis; Vaticana seu Sancti Petri; S. Pauli *extra muros* in viâ Ostiensi, et Liberiana seu S. Mariæ Majoris; 2° *Minores*, et tales sunt sive Romæ, sive in aliis regionibus, quas hoc titulo S. Pontifex voluit honestari.

4843. Privilegia quibus præcipuè donantur Basilicæ sive Majores sive Minores, sunt: 1° conopœi (*pavillon*) usus, et tintinnabuli quod conopœum præcedit in suâ cujusque ecclesiâ; 2° jus pro Canonicis earumdem Basilicarum deferendi, hiemali tempore, cappam magnam, pellibus armellinis ornatam; et in æstate, cottam super rochettum.

«Metropolitanam Parisiensem, inquit Pius VII (anno 1805,

» Constit. *In supremo*), in ecclesiam Basilicam Minorem,
» ad instar Basilicarum Minorum Urbis nostræ... erigimus,
» eidemque... ac Canonicis conopœum cum tintinnabulo,
» ad instar earumdem Basilicarum Urbis nostræ in pro-
» cessionibus præferre, necnon omnibus aliis prærogα-
» tivis, privilegiis, juribus, honoribus, quibus aliæ Basi-
» licæ, earumque Canonici.... hactenus gavisi sunt, pari
» modo uti... concedimus. »

In Declaratione verò datâ pro Canonicis ecclesiæ Lucerinæ, 27 aug. 1836, apud Gardellini, n° 4632, dicitur nomine privilegiorum Basilicarum Minorum venire « conopœum, omni tamen auri et argenti ornatu ab eo » excluso, tintinnabulum et usum cappæ magnæ. »

4844. Ecclesia autem ad gradum Basilicæ erecta, privilegiis huic titulo annexis non fruitur nisi fuerit consecrata. Vide *Prælect. S. Sulpitii*, n° 528.

CAPUT XIV.

DE FESTIS ET JEJUNIIS.

4845. Dicendum 1° de Beatificatione et Canonizatione SS.; 2° de eorum festis ac etiam de festis in genere; 3° de jejuniis: — unde tres erunt articuli :

ART. I.

DE BEATIFICATIONE ET CANONIZATIONE SANCTORUM.

§ 1.

De antiquitate Canonizationis SS. et de auctoritate ex quâ illa procedit.

4846.—I. Etiam in primordiis Ecclesiæ, sancti Martyres speciali cultu honorati fuêre, ut multis constat : sic in actis martyrii S. Ignatii prope finem, legitur : « Sanctum Beatum » diximus, vobisque diem et tempus indicavimus, ut tem-

» pore ejus martyrii convenientes, athletæ et generoso
» Christi Martyri communicemus. »

Item in Epistolâ Ecclesiæ Smyrnensis in quâ refertur martyrium S. Polycarpi, sic concluditur : « Atque ita
» demum ossa illius gemmis pretiosissimis cariora et quo-
» vis auro puriora colligentes, ubi decebat, condidimus :
» quo etiam in loco nobis, si fieri poterit, convenientibus
» concedat Deus *Natalem ejus martyrii diem celebrare*,
» tum in memoriam eorum qui glorioso certamine per-
» functi sunt, tum ad posteros ejusmodi exemplo erudien-
» dos et confirmandos. » Vide apud Bened. XIV (*de Beatific. et Canoniz. SS.*, lib. 1, cap. 2, n[is] 9 et 10).

1847. Pace Ecclesiæ redditâ, similes honores piis fidelibus qui post virtutum heroicarum exercitium in Domino moriebantur, exhiberi cœperunt : quibus prior in Ecclesiâ Occidentali videtur fruitus fuisse S. Martinus Turonensis : agitur enim de illo ad hujusmodi honores jam admisso, in primo Concilio Turonensi, anno 461 ; de hoc Sancto sic habet Sulpitius Severus (*Epistola* 2ª) : « Licet ei ratio tem-
» poris non potuerit præstare martyrium, gloriâ tamen
» Martyris non carebit, quia voto atque virtutibus et potuit
» esse Martyr et voluit. » Apud Bened. XIV (*ib.*, c. 5, n° 5).

1848. Reverà antiquitùs nomen Martyris et Confessoris promiscuè sumebantur, et Martyres dicebantur etiam Confessores, quia fidem christianam coram tyrannis profitebantur; sed progressu temporis, inter eos fieri cœpit distinctio, nomineque Confessorum soli prout hodie fuêre nuncupati qui post vitam sanctè transactam morte naturali è vitâ erepti, deinde in Sanctorum numerum relati fuerunt : virtutum enim exercitio Deum etiam isti confitebantur.

1849. — II. Hujusmodi autem honores non auctoritate privatâ Sanctis tributi fuêre, sed auctoritate Ecclesiæ, ut constat facto Lucillæ narrato ab Optato Milevitano (Godescard, *S. Optat*, 4 jun.), et altero relato à Sulpitio Severo, in vitâ S. Martini, de quodam latrone, cujus cultus errore vulgi introductus, à S. Antistite proscriptus fuit : porrò actus quo Sancti publico cultu digni declarantur, vocatur aut Beatificatio aut Canonizatio.

4850. Olim solo Episcoporum populorumque consensu, approbante expressè vel tacitè Sede Apostolicâ, fiebat Canonizatio Sanctorum; sed hodie actus hujusmodi annumerantur inter illas causas majores quæ, ut supra diximus (694), ad S. Pontificem reservantur: sic enim habet Alexander III, in cap. *Audivimus*, *de Reliquiis et venerat. SS.*: « Illum ergo non præsumatis de cætero colere, cùm » etiamsi per eum miracula fierent, non liceret vobis pro » Sancto absque auctoritate Romanæ Ecclesiæ venerari »: concordant cap. *Ex eo* 2 ejusdem tit., et cap. *Venerabili* 52, *de testibus*.

4851. Incertum est quâ præcisè epochâ reservata fuit S. Sedi facultas Sanctos canonizandi: caput enim *Audivimus* non præcisè de eo Decretum facit, sed jam statutum supponit: vide Ferraris (v° *Cultus Sanct.*, n^is 19 et 20); omnes tamen conveniunt Udalricum Augustanum (*d'Augsbourg*) inter Beatos annumeratum fuisse à Joanne XV in Concilio Lateranensi, anno 993; at postea plures Sancti nuncupati sunt, et ut tales sunt venerati, qui tamen à solis Episcopis hujusmodi titulo donati fuêre. Sed quidquid de eo sit, à tempore Alexandri III, canonizandi potestas privativè ad S. Sedem devoluta fuit: porrò supra probavimus (687) infallibilem esse S. Pontificem in exercitio hujusmodi facultatis.

§ II.

De formalitatibus in Beatificatione et Canonizatione Sanctorum observandis.

4852. Inter se differunt *Beatificatio* et *Canonizatio*: Canonizatio enim est solemne judicium quo Beatus catalogo Sanctorum adscribitur et publicæ totius militantis Ecclesiæ venerationi proponitur, eique honores Sanctis debiti decernuntur; proinde Canonizatio non potest fieri à simplicibus Episcopis, utpote in universalem Ecclesiam auctoritatem non habentibus: Canonizationes ergo olim ab Episcopis factæ, habendæ sunt ut meræ Beatificationes, nisi postea

ab universali Ecclesiâ admissæ fuerint tanquam veræ Canonizationes.

4853. Beatificatio verò strictè sumpta est concessio à S. Pontifice facta alicui regno, provinciæ, Religioni, vel loco ut aliquis tanquam cum Christo in cœlis regnans, cultu aliquo publico, ut recitatione divini officii, celebratione missæ, expositione publicâ ejusdem reliquiarum, ad normam pontificiæ concessionis venerari ac invocari possit. Ita communiter, apud Ferraris (vº *Cultus Sanctor.*, n^is 4 et 5). — Quonam autem tempore fieri cœperint Servorum Dei Beatificationes à Romanis Pontificibus, varii variè de hoc sentiunt Doctores; juxta autem Bened. XIV (*ib.*, lib. 1, cap. 37, n^is 8 et 9), hoc contingit eo tempore quo cessavit jus Episcoporum decernendi cultum Servorum Dei in suis diœcesibus, id est, tempore Alexandri III, qui concessit tali cultu colere Beatum Guillelmum à Malavalle.

4854. Duplex est Canonizatio aut Beatificatio : una scilicet *formalis* et altera *æquipollens: formalis* est illa in quâ observantur omnes solemnitates consuetæ de quibus mox dicturi sumus; *æquipollens* est, cùm S. Pontifex, omissis ordine judiciali et consuetis cæremoniis aut solemnitatibus, vel jubet coli in universâ ecclesiâ, per officii recitationem et missæ celebrationem die determinato, aliquem Dei Servum in antiquâ cultùs possessione existentem, famâ virtutum ac miraculorum celebrem, vel permittit illum honorare in determinatis locis approbando sententiam latam ab Ordinario vel delegato super cultu ipsi ab immemorabili præstito. Vide Ferraris (*Cultus SS.*, n^is 6-11).

4855. Non eædem semper in Ecclesiâ observatæ sunt formalitates pro Beatificatione vel Canonizatione SS.; primitùs enim in Concilio vel in aliâ Congregatione legebatur tantùm vita Servi Dei canonizandi vel beatificandi; deinde afferebatur declaratio authentica testium oculatorum circa virtutes ejus et miracula ipsius intercessione patrata; sententia demùm proferebatur quâ inter Beatos annumerandus erat.

4856. Majores autem cautiones fore adhibendas judicârunt postea SS. Pontifices, uti est videre apud Bened. XIV (*De Beatific.*, lib. 1, cap. 15 et 20), aut ipsius *Summarium*,

auctore Blondeau, operi *Cursus completus theologiæ* insertum (tom. 8, col. 865, etc.). Tandem ab Urbano VIII et ipsius Successoribus variæ præscriptæ fuêre formalitates quæ nunc usque observantur et quarum series breviter est hîc delineanda.

4857.—1° Ab Ordinario loci faciendæ sunt informationes tam circa famam virtutum et miraculorum Servi Dei, quàm circa observationem Decretorum Urbani VIII quæ vetant publicum exhiberi cultum Servis Dei, nondum beatificatis aut canonizatis : si enim hæc Decreta fuissent violata, ultra non procedit S. Sedes donec sublata fuerint ea omnia per quæ fuerunt læsa : reassumi tamen potest causa, si constet postea ipsa sublata fuisse (*De Beatif.*, lib. 2, cap. 16).

4858. — 2° Hujusmodi informationes deferendæ sunt ad S. Sedem, et apud Notarium S. Rit. Congregationis deponuntur; tum ex instantiâ causæ Postulatoris, citato fidei Promotore, per idoneos testes fit recognitio suscriptionis et sigilli Ordinarii, et deinde informationes aperiuntur coram Cardinale Congregationi Præfecto; posthæc postulatur à Sanctissimo ut designetur tam Cardinalis relator quàm interpretes si opus sit : nam statim ac Ordinarii informationes et sententia fuerunt approbatæ, omnia sinè exceptione Servi Dei scripta, etiam pro privatâ instructione sunt examinanda; nec solet à S. Pontifice subscribi commissio de processu faciendo, nisi ea reperta fuerint ab omni censurâ immunia; hæc autem commissio non subscribitur nisi expletis decem annis post traditas informationes. (*De Beatific.*, lib. 1, cap. 22.)[1]

4859. — 3° Obtentâ commissionis Pontificiæ signaturâ

[1] Si servus Dei scripserit aliquid quod tempore, quo scribebat, censurâ aliquâ notatum erat, expenditur utrum ante suum obitum id retractaverit (*De Beatif.*, lib. 2, c. 33, n° 2, etc.); nec sufficit quòd cripta judicio S. Sedis fuerint submissa.

Notandum est quòd doctrina librorum à Servo Dei exaratorum non ideo censetur approbata à S. Sede quòd à *revisoribus* fuerit reperta immunis à censurâ. *Imò citra ullam temeritatis notam* adhuc modeste impugnari potest bonis rationibus adhibitis (*De Beatif.*, lib. 2, c. 33, n° 12). Item, etsi visiones, apparitiones et prophetiæ approbentur, non tanquam res de fide habendæ sunt, sed tantùm ut probabiles (*De Beatif.*, lib. 2, c. 32, n° 12.)

fieri incipiunt informationes nomine S. Pontificis, et ex hoc momento, à quocumque actu litigioso, qui aliundè nullus omnino esset, abstinere se debet Ordinarius.

Si nondum, quod sæpe contingit, informationes circa observationem Decretorum Urbani VIII *de non cultu* factæ fuerint, tunc fieri debent auctoritate Papæ.

Obtentâ ergo signaturâ, Postulator causæ à Cardinalibus sollicitat Decretum quo eligantur tres Episcopi qui, ut S. Sedis Delegati, informent circa famam virtutum et miraculorum Servi Dei. Illorum autem informationes ad Secretarium Congreg. Rituum sigillatæ diriguntur; iste Protonotario eas tradit, qui, præsente Promotore, jussu S. Congr. ipsas aperit. Verificatis autem illis in ordinariis S. Rituum Congregat. sessionibus, et postulato rursum Decreto, informationes fiunt sigillatim circa unamquamque specialem virtutem, et unumquodque miraculum pro decisione causæ oblatum : quibus, etiam in ordinariis sessionibus expensis an juxta legitimam formam exaratæ fuerint, ad examen variorum dubiorum fit transitus in sessionibus extraordinariis. Primùm examinantur virtutes; secundò miracula; nec sinè dispensatione fit examem virtutum ante lapsum 50 annorum ab obitu Servi Dei, ex Decreto Urbani VIII (*De Beatific.*, lib. 1, c. 22, n° 9). Ferraris, v° *Cultus Sanctorum*, n° 31.

4860. — 4° Duplicis generis sunt, ut modò vidimus, S. Rit. Congregationis sessiones; *ordinariæ* videlicet, quæ ter in mense in Aulâ Pontificali locum habent, quibus duntaxat adsunt Cardinales, Promotor fidei, Protonotarius, cæremoniarum Magister et Secretarius. *Extraordinariæ* verò, in quibus quæstiones majoris momenti Beatificationis et Canonizationis agitantur, et quæ tres numero sunt : nempè *Antepræparatoriæ*, *præparatoriæ* et *generales*.

4861. *Antepræparatoriæ* locum habent in Palatio Cardinalis relatoris causæ ut uberiùs de ipsâ à Consultoribus informetur. In eâ ergo adstant Consultores qui Cardinali relatori propriam sententiam singuli patefaciunt, nihil tamen Cardinale de suo sensu exprimente.

4862. *Præparatoria* in Aulâ Pontificali tenetur, ad infor-

mandos cæteros Tribunalis Cardinales de variis circumstantiis et difficultatibus causæ; in eâ Consultores singuli votum suum præstant, audientibus solummodo et nullum votum exprimentibus Prælatis.

4863. *Generalis* demum cogitur coram Sanctissimo: Consultores in eâ loquuntur stantes et statim exeunt, in vicinâ camerâ expectantes, parati ad regrediendum si denuò vocarentur; suffragium deinde præstant Cardinales.

4864. Dubia autem quatuor expenduntur in sessionibus extraordinariis: 1° An benè constet de virtutum Servi Dei heroicitate. 2° An satis comprobentur miracula requisita, quæ duo saltem numero esse debent pro Beatificatione quæ fit per viam *non cultûs*, et post mortem Servi Dei esse patrata[1] (*De Beatific.*, lib. 4, pars 1, c. 5, n[is] 1-7); vide etiam Ferraris (v° *Cultus Sanct.*, n° 26). 3° An post datas probationes et responsiones variis objectionibus factas, visis actibus litis, tutò procedi possit ad Servi Dei Beatificationem. 4° An post celebratam Beatificationem, causâ reassumptâ, tutò procedi possit ad Canonizationem. Vide *Summarium* operis *Beatificationis*, etc., Bened. XIV, supra citatum (*Cursus completus*, t. 8, col. 866).

4865.—5° Prolatâ igitur sententiâ circa virtutes et miracula, fit deliberatio circa dubium an tutò procedi possit ad Servi Dei Beatificationem, et votis S. Rit. Congr. collectis, Pontifex se commendat precibus Cardinalium; non autem solet sententiam ferre approbativam nisi Cardinalium et Consultorum saltem duæ partes conveniant in suffragiis.

Si, effusis precibus inditis, S. Pontifex censuerit bonum esse ut ad solemnem Beatificationem procedatur, accitis Secretario Congregationis et fidei Promotore, mentem suam aperit de Beatificatione quandocumque faciendâ; tandemque diem statuit solemnitatis, et Secretario Brevium demandat ut Litteras Apostolicas expediat in formâ Brevis

[1] « Duo, virtus videlicet morum et veritas signorum, opera scilicet » in vitâ, et miraculorum *signa post mortem*, ut quis reputetur » Sanctus in militanti Ecclesiâ, requiruntur. » Ita Innocent. III in Canonizatione S. Homoboni. Apud Ferraris (v° *Cultus Sanctorum*, n° 24).

cum clausulis et Indultis consuetis (*De Beatific.*, etc., lib. 1, cap. 22, n° 21). Solet autem indici pro hujusmodi solemnitate Basilica Vaticana; publicatur verò indulgentia lucranda ab omnibus fidelibus qui confessi et sacrâ communione refecti, cæremoniæ Beatificationis aut missæ post eam canendæ intererunt, aut Beatificationis die Vaticanam Basilicam visitabunt. Cæremonia autem fieri debet in præsentiâ tum Cardinalium sacris ritibus præpositorum, necnon Consultorum ejusdem Congregationis, tum Cardinalis Archipresbyteri Basilicæ, Canonicorum et Cleri ejusdem ecclesiæ. In eâ Breve Apostolicum exhibetur à Postulatore causæ Cardinali Præfecto S. Congr. qui Postulatorem remittit ad Cardinalem Archipresbyterum Vaticanæ Basilicæ pro facultate illud in Basilicâ publicandi; lecto deinde publicè dicto Brevi, Hymnus *Te Deum* intonatur ab Episcopo missam solemnem celebraturo; deteguntur postea imagines Servi Dei, quæ priùs velo coopertæ erant, tum super altari tum ad faciem templi, et ab adstantibus venerantur; recitatur demùm ab Episcopo missam celebraturo Collecta in honorem Beati, et ab eodem Celebrante coram imagine Beati thus, trino ductu, adoletur; postea missa solemnis celebratur, et tandem post Vesperas ejusdem diei, accedit Pontifex ad Basilicam Vaticanam imaginem Beati veneraturus.

Solent verò curare Postulatores causæ ut à Notario S. R. Congregat. publicum conficiatur instrumentum de peractâ solemnitate. (Bened. XIV, *De Beatific.*, lib. 1, cap. 24, n[is] 3 et 4.)

4866. — 6° Peractâ Beatificatione, non potest reassumi causa ad Canonizationem perficiendam nisi postea operata fuerint nova miracula. Iis autem patratis, sollicitatores causæ postulant Decretum pro informatione de iis faciendâ, eodemque modo ac priora expenduntur in tribus Congregationibus. Olim rursus expendebatur quæstio virtutum, sed hodie hoc omittitur, utpote inutile, cùm in Beatificatione satis fuerit examinata hæc quæstio.

4867. — 7° Factâ autem deliberatione in congregatione generali an tutò procedi possit ad Beati canonizationem,

Pontifex, antequam suam ferat sententiam definitivam, causam adhuc agitat in tribus Consistoriis.

Primum est secretum, ipsique adest totum Sacrum Collegium Cardinalium, præsidente S. Pontifice; in eo fit brevis causæ relatio à Cardinale Præfecto S. R. Congr.; deinde Prælati, quibus pauló ante Consistorium distributa fuerant à Secretario folia epitomen Beati continentia, quid singuli sentiant per verbum *placet* vel *non placet* aperiunt.

Secundum est publicum, ad quod, præter Sacrum Collegium et omnes Episcopos Romæ degentes et intra centesimum lapidem commorantes, convocantur Consultores et Officiarii S. R. Congregat., Protonotarii et Auditores Cameræ Apostolicæ, Advocati Consistoriales, Gubernator Civitatis, Legati Principum catholicorum, et Delegati à civitatibus Dominii S. Sedis et alii. In hoc Consistorio, ab uno ex Advocatis Consistorialibus fit oratio in quâ sigillatim enumerantur merita Beati canonizandi, quæque totam Consistorii durationem implere debet.

Tertium est semi-publicum : in eoque adsunt soli Cardinales et Episcopi Romæ degentes aut ad eam convocati, à quibus Pontifex requirit sententiam, quique illam præstant, rememorando breviter virtutes et miracula Servi Dei.

4868. His tandem expletis, si S. Pontifex statuat canonizationem esse peragendam, diem ejus solemnitatis assignat, necnon Basilicam in quâ est celebranda, et quæ solet esse Vaticana; solet autem Pontifex hâc occasione Indulgentiam plenariam elargiri fidelibus qui confessi et sacrâ communione refecti, vel propositum habentes intra hebdomadam confitendi et sacram Eucharistiam recipiendi, solemni intererunt cæremoniæ Canonizationis.

4869. Solemnitas initium ducit à processione, in quâ defertur vexillum cum imagine Beati canonizandi, et cui ipse S. Pontifex interest; postquam solium suum in Basilicâ Sanctissimus conscendit, absoluto consueto obedientiæ ritu, unus ex Magistris Cæremoniarum ad imum solii gradum ducit Procuratorem delegatum, ad postulandam Canonizationem unà cum Advocato consistoriali, qui ejusdem Procuratoris nomine petitionem solet ad Pontificem

dirigere pro obtinendâ Canonizatione : huic respondet Præsul à secretis Brevium, nomine S. Pontificis, et dicit orandum esse, ut in arduo hoc negotio Dominus præbeat adjutorium : tunc canuntur Litaniæ SS.; iterum Advocatus nomine Procuratoris exorat pro obtinendâ Canonizatione, et Secretarius Brevium respondet iterandas esse preces, et canitur hymnus *Veni Creator ;* quo absoluto, Advocatus Consistorialis ad tertiam procedit petitionem ; tunc Secretarius Brevium mentem Papæ aperit de Canonizatione faciendâ, et Papa sententiam profert, quæ Procuratoris nomine excipitur ab Advocato Consistoriali, qui actis Sanctitati Suæ gratiis, petit ut ipsa decernere dignetur ut expediantur Litteræ Apostolicæ super Canonizatione : huic postulationi Papa respondet : *Decernimus;* et de his conficiuntur instrumenta ad perpetuam rei memoriam. Canitur tandem hymnus *Te Deum;* postea in Oratione fit mentio Beati aut Beatorum canonizatorum : plures enim simul canonizari possunt : de his etiam fit mentio in Confessione quam canit Diaconus Evangelium lecturus in Missâ deinde cantandâ. Summus denique Pontifex dat absolutionem et benedicit, factâ quoque commemoratione Beati aut Beatorum canonizatorum. Vide Bened. XIV, *De Beatific. et Canoniz.*, lib. 1, cap. 36, § 9, ubi legi potest Formula sententiæ Canonizationis et plura alia in subsequentibus paragraphis.

4870. Tot ac tantæ formalitates, tantaque pompa in cæremoniis, sinè magnis sumptibus adhiberi nequeunt; non est ergo mirandum quòd multum pecuniæ sit impendendum in Beatificatione et Canonizatione SS. : impensæ enim sunt faciendæ pro informationibus, pro innumerabilibus scripturis, foliis aut summariis imprimendis, pro honorariis Advocatorum et tot officialium quorum concursus exigitur, pro decoratione ecclesiæ, aulæis, tabulatis, picturis, cereis, paramentis, etc. Vide apud *Cursum Complet.* (t. 8, col. 931) taxam summarum Advocatis, Procuratoribus, Notariis solvendarum pro variis actibus et expeditionibus Beatificationum et Canonizationum.

4871. *Nota* 1° Quòd in causis Martyrum, loco dubii

circa virtutes, expenditur dubium circa ipsummet martyrium et illius causam. Controvertitur autem an in hujusmodi causis necessaria sint miracula : sed constans fuit semper Sedis Romanæ praxis non beatificandi nec canonizandi Martyres, nisi ab ipsis post martyrium patrata fuerint miracula : vide Bened. XIV (*De Beatificatione*, etc., lib. 1, c. 28, 29, 30).

4872. *Nota* 2° Quòd sint quidam casus in quibus observanda non est supradicta series formalitatum pro canonizatione perficiendâ requisitarum : quando enim Servi Dei, vel ex Indulto Pontificio, vel ex S. R. Congr. licentiâ, vel ex universalis Ecclesiæ consensu, vel ex assertione SS. Patrum et Scriptorum ecclesiasticorum, aut denique ex immemorabili traditione in possessione cultûs publici inveniuntur, de quo Ordinarius debet judicare, prout in causis communibus judicat de *non cultu,* juxta Decreta Urbani VIII; tunc, approbatâ à S. Sede sententiâ Ordinarii, Servus Dei habendus est ut æquipollenter Beatificatus, et omissis aliis formalitatibus, statim proceditur, in S. R. Congr., ad examen virtutum et miraculorum pro Canonizatione tempore suo celebrandâ; proinde non expectatur quòd decennium fuerit absolutum, prout in causis ordinariis contingit; sed ex Decreto Bened. XIV, 23 apr. 1741, in hujusmodi Canonizationibus per viam casûs excepti quatuor requiruntur miracula *de visu* comprobata, ut, probatis virtutibus aut martyrio, solemnis obtineri possit Canonizatio. (*De Beatif.*, lib. 1, cap. 32, n° 5.)

4873. Intelligitur autem per miraculum, juxta S. Thomam (1 pars, q. 110, art. 4, *in corpore*) : *Id quod fit præter ordinem naturæ ;* distinguuntur verò, juxta eumdem, tres gradus seu species miraculorum : *primus*, miraculorum quæ sunt *supra naturam,* ut resurrectio mortuorum : solus Deus ea præstare potest, quia à solo Deo vita procedit; *secundus*, *contra naturam*, ut sunt ea quæ etiamsi fortè, permittente Deo, possent fieri ab aliquâ creaturâ, tamen sunt contra leges naturæ quales fuerunt à Deo institutæ, et supra humanam potestatem : v. g., quòd steterit sol, prout tempore Josue ipsius voce accidit, aut quòd mare,

Moyse imperante, se aperuerit, ut populus Israel per ipsum transierit: hæc sunt miracula *contra naturam; tertius* tandem *præter naturam*, ut mundatio Naaman à leprâ: hoc tertium genus miraculorum est quidem supra potestatem humanam quoad modum, non verò quoad substantiam, cùm non rarò accidat ut variis remediis lepra ab hominibus curetur sinè miraculo. Homines tamen non habent potestatem curandi lepram per medium adhibitum erga Naaman, ideoque talis mundatio est miraculum præter naturam, non verò præcisè contra, quia non repugnat naturæ quòd lepra curetur, dum est contra naturam quòd sol stet, aut mare se aperiat. (*De Beatific.*, lib. 4, pars 1, c. 1.)

1874. Septem autem circumstantiæ, etiam medicorum judicio comprobandæ, concurrere debent in hujusmodi sanationibus ut sint habendæ tanquam vera tertii ordinis miracula: « 1° morbus sit gravis et curatu impossibilis,
» aut saltem difficilis; 2° morbus non sit in ultimâ parte
» sui statûs, seu... prope crisim, quia naturale est quòd,
» succedente crisi, subita ac repentina mutatio contingat;
» 3° medicamenta vel non fuerint adhibita, vel certò probe-
» tur ea non profuisse; 4° sanatio fiat subitò et in instanti:
» nam admittuntur quidem plura miracula majora quæ
» successivè sunt consecuta suum effectum, ut factum est
» in eo puero quem resusscitavit Eliseus, 4 Reg., c. 4, v. 35;
» verùm omnino à S. Congreg. Rituum requiritur in mi-
» raculis tertii ordinis, ut plerumque sunt sanationes,
» *instantaneitas*, saltem moraliter accepta; imò vult
» Bened. XIV... judices esse severos et prudentes: unde
» eas sanationes, quæ, factis precibus novendialibus, ita
» acciderunt ut æger, primum benè, posteà meliùs et
» tandem ultimâ die perfectè se habuerit, æstimat inter
» gratias potiusquàm inter miracula numerandas; 5° sa-
» natio sit perfecta, non manca, ita ut saltem morbus ipse
» sit in instante depulsus: in sanatione morborum quæ
» ad ordinem infimum pertinet, eò quòd alio modo
» naturaliter depelli potuissent, obstaret cognoscendo
» miraculo quòd, v. g., remaneret lassitudo virium, etc

» et requiritur ut æger possit immediatè facere quæ antea » faciebat, quamvis hoc ipso lassitudo, cicatrix, etc., non » obstent quin approbentur miracula primi et secundi » ordinis, ubi nullo modo sanatio fieri potest natura- » liter; 6° sanationem non præcesserit ullus eventus cui » naturaliter ascribi possit subita sanatio, qualis esset no- » tabilis evacuatio sanguinis aut humorum, crisis præce- » dens, etc.; 7° sanatio sit ita permanens ut *recidiva* non » accidat : recidiva propriè dicta est morbus contingens » ex reliquiis morbi jam prætergressi. » Ita Lequeux, n° 990, ex Bened. XIV, *De Beatific.*, lib. 4, c. 8, n° 2, etc., ubi multa alia expenduntur circa miraculorum genera, in toto libro 4.

4875. Ex Concil. Trident. (sess. 25, *de Invocatione Sanctorum*), Episcopus habet jus cognoscendi et approbandi miracula : « Nulla etiam admittenda esse miracula, nec novas » reliquias recipiendas, nisi eodem recognoscente et appro- » bante Episcopo. » Sed, ex eodem Concilio, « simul ac de iis » aliquid compertum habuerit, *adhibitis in consilium theo- » logis*, et aliis piis viris, ea faciat quæ veritati et pietati » consentanea judicaverit. » Imò si agatur de miraculis *nondùm Canonizatorum aut Beatificatorum*, debet Episcopus, juxta Constit. Urbani VIII *Sanctissimus*, antequam ea divulget aut divulgari permittat, totum negotium ad S. Sedem transmittere, indeque responsum expectare : quod etiam consonat dictis Concil. Trident., in fine præfati capitis. Videt Reiffenst., lib. 3, tit. 45, n° 45.

§ III.

De specie cultûs Sanctis exhibendi.

4876. — 1° Antequam expendamus qualiter venerandi sint Sancti et Beati, explicandæ sunt quædam denominationes adhibitæ occasione eorum Beatificationis aut Canonizationis; vocantur enim *Servi Dei*, *Venerabiles*, *Beati*, *Sancti*. Porrò *Servi Dei* dicuntur illi qui moriuntur cùm famâ sanctitatis ; *Venerabiles* autem nuncupantur Servi

Dei cùm signata fuit causa introductionis eorum Beatificationis : quòd non contingit, nisi judiciali more constiterit, ex processu auctoritate Ordinarii confecto, de famâ sanctitatis et miraculorum; in alio tamen sensu adhibitus sæpe fuit hic titulus, prout, v. g., erga Venerabilem Bedam, qui tamen habetur ut Sanctus (*De Beatific.*, lib. 1, cap. 37, n[is] 4, 5 et 6.); tituli verò *Beatus et Sanctus* sæpe promiscuè adhibentur : verùm juxta consuetudinem Sanctæ Sedis et Sacr. Congr. Rit., *Beatus* dicitur servus Dei qui Beatificationem obtinuit sivè formalem sivè æquipollentem; *Sanctus* autem qui fuit canonizatus alterutro ex dictis modis. (*Ibid.*)

4877. — 2° Quod nunc attinet ad actus cultûs Servis Dei post eorum Beatificationem exhibendos, nulla videtur aptior regula posse excogitari, inquit Bened. XIV (*ibid.*, n° 8), quàm ut, si sermo sit de Beatis qui sunt in antiquissimâ et immemorabili cultûs possessione, illi actus eis exhibeantur qui per longissimum et immemorabile tempus, cum scientiâ et tolerantiâ Ordinarii aut Sedis Apostolicæ præstiti eisdem fuerunt : Urbanus enim VIII, in suis Decretis, protestatus est se nullum velle præjudicium afferre horum Beatorum cultui. Si verò verba sint de Servis Dei beatificatis ex Indulto S. Congr. Rit. aut S. Pontificis, non alii poterunt erga eos exhiberi venerationis actus quàm qui in Indulto ipso nominatim designantur : id constat variis exemplis et confirmatur Decreto S. Rit. C. 5 oct. 1642, quo « censuit et declaravit, si Sanctissimo...
» placuerit non potuisse nec posse tam sæculares quàm
» regulares, etiam Societatis Jesu, excedere limites ver-
» bales Indultorum Sedis Apostolicæ super Beatificationi-
» bus, præsertim in celebratione missarum et officii cùm
» Octavis, nisi hoc expressè Sedes Apostolica eis indul-
» serit, et factâ relatione... 16 decembr. 1652, Sanctitas
» approbavit, et sic... servari mandavit. »

4878. Quinam verò actus prohibiti sint erga Beatos non canonizatos, explicatur in Decreto Alexandri VII, 20 sept. 1659; porrò ex hoc Decreto vetitum est :

« I. Quòd... Beatorum imagines, etiam non principa-
» liter et uti supplices appositæ, simulacra, picturæ, ta-

» bellæ aut scripturæ eorum præclara gesta repræsen-
» tantes, aut referentes, in ecclesiis, sacrariis et oratoriis
» quibuscumque, et præsertim in quibus missæ sacrificium
» vel alia divina peraguntur, inconsultâ Sede Apostolicâ,
» nullo pacto exponantur.

» II. Quòd ubi indultum fuerit per Sedem Apostolicam
» imagines, simulacra pictasque tabellas in ecclesiis poni
» et coli posse, in pariete tantùm, non autem super altari,
» collocandi facultas tributa censeatur.

» III. Quòd si concessa fuerit, per eamdem Sedem
» Apostolicam, altarium erectio, non tamen ob id missam
» et officium de prædictis Beatis celebrandi vel recitandi
» facultas tradita præsumatur : etenim specifica et ex-
» pressa concessio super his præcedere debet.

» IV. Ubi in uno loco cultus fuerit concessus, non ex-
» tendatur, inconsulto Pontifice, ad alium locum, quâ-
» vis aliâ concurrente auctoritate.

» V. In locis ubi Beatos prædictos ab omnibus coli
» permissum fuit, non inde publica officii recitatio per-
» missa censeatur, sed tantummodò privata, nec satisfac-
» toria præcepto recitationis, nisi quoad illos, quibus
» Sedes Apostolica de hoc indulserit.

» VI. Missæ pariter quæ fuerint indultæ certis personis,
» nempè... regularibus vel sæcularibus... alicujus ec-
» clesiæ servitio præcipuè addictis, à confluentibus sacer-
» dotibus, quâvis dignitate, etiam Cardinalatûs insignitis,
» minimè celebrentur.

» VII. Dies festi in Beatorum eorumdem memoriam
» non celebrentur, nisi speciali Indulto Apostolico pro-
» visum fuerit.

» VIII. Eorumdem nomina in Kalendariis non appo-
» nantur, nisi illius tantùm loci, earumque personarum
» in quo et à quibus cultus cum officio et missâ celebratur.

» IX In quibusvis ecclesiasticis precibus, etiam in ora-
» toriis recitandis, particularia eorumdem suffragia non
» apponantur vel recitentur.

» X. Publicis precibus, præter indultas et à Sede Apos-
» tolicâ approbatas iidem Beati non invocentur.

» XI. Eorumdem Reliquiæ in processionibus minimè
» circumferantur.

4879. » Sacra tamen Congregatio præsentibus... remo-
» vere non intendit cultum Beatis, per communem Ecclesiæ
» consensum, vel per immemorabilem temporis cursum,
» aut per Patrum Virorumque sanctorum scripta, vel
» temporis centorum annorum metam excedentis scien-
» tiam, ac tolerantiam Sedis Apostolicæ aut Ordinariorum,
» hactenus præstitum, ac certis modo et formâ ab eo tem-
» pore, eis exhibitum. Verùm, si à centum annis citra,
» cultus hujusmodi aliquâ ex parte constiterit auctus et
» extensus, eo casu, Sacra eadem Congregatio eumdem
» in pristinum reduci jubet, prout quemvis cultum extra
» casus prædictos ad expressa tantùm verbaliter in Apos-
» tolicis Indultis omninò revocari mandat, sub pœnis, etc.

» Firmis quoque remanentibus Decretis, nempe ne
» Beati in Patronos eligantur, ne eorum Natalitia cum
» Octavis celebrentur, et aliis quibuscumque à S. Congreg.
» hactenus emanatis, quæ præsenti Decreto renovantur.

»... Sanctitas Sua ea approbavit et pro omnimodâ eo-
» rumdem observatione mandavit, etc... »

4880. Quædam declarata fuerunt, anno sequenti, pro intelligentià supradicti Decreti : quæsitum enim fuit :

« 1° An ubi Indultum fuerit ut missa de aliquo Beato
» celebretur, liceat ejus imaginem et simulacrum super
» altari exponere, necnon votivas tabellas ibidem appen-
» dere.

» 2° An § *Dies festi in Beatorum honorem non celebren-*
» *tur*, extendatur ad festa devotionis.

» 3° An indulta recitandi officium cum Octavâ, vel sinè
» Octavâ, et celebrandi missam de Beatis fuerint revocata
» per dictum Decretum Congregationis.

» 4° An in ecclesiis, in quibus officium et missa de
» Beatis recitari ac respectivè celebrari possunt, liceat
» eorum Reliquias exponere.

» 5° An Episcopi regulares, qui ex Indulto Sedis Apos-
» tolicæ gaudent privilegiis suæ Religionis, de quibus sunt
» capaces pro eorum conditione possint de Beatis suæ re-

» ligionis recitare officium, et in propriis Cathedralibus
» missam celebrare, et altare Beatis prædictis erigere.

» S. Rit. Congr. respondit : ad 1^m^ *affirmativè;* ad
» 2^m^ *negativè*; ad 3^m^ pariter *negativè*; ad 4^m^ *affirmativè;*
» ad 5^m^ *negativè*. Die 17 apr. 1660... »

1881. — 3° Dicendum est nunc de honoribus qui Beatis in Sanctorum Album relatis deferuntur : *Primò*, inscribuntur Catalogo Sanctorum, hoc est, definitur et præcipitur ut ab omnibus Christi fidelibus publicè habeantur et dicantur Sancti. *Secundò*, invocantur in publicis Ecclesiæ precibus et aliis orationibus quæ fiunt nomine totius Ecclesiæ; vetitum est tamen eorum nomina adjicere ad Litanias sinè auctoritate S. Sedis : id sequitur ex prohibitione factâ à S. Pio V mutandi aliquid in Breviario aut Missali, et Decreto Clementis VIII relato à Benedicto XIV (*De Beatific.*, lib. 4, pars 2, cap. 20, n° 3) : vide supra (756). *Tertiò* in eorum memoriam eriguntur templa et altaria, et Deo dicantur. *Quartò* in eorum honorem missæ sacrificium solemniter offertur[1]. *Quintò*, dies festi in eorum honorem celebrantur. *Sextò*, pinguntur eorum imagines additis quibusdam radiis seu lumine et cum scuto seu diademate in signum gloriæ quam habent in cœlis. *Septimus* denique honor est quòd eorum corpora et reliquiæ publicè honorentur et pretiosis thecis et capsis includantur. Ita Bened. XIV, *ibid.*, lib. 1, cap. 38, n° 1.

Per Catalogum Sanctorum de quo in *primo* dicitur, non intelligitur præcisè Martyrologium in quo conscripti sunt plures adhuc tantùm Beatificati, sed Catalogus mentalis in corde et mente Ecclesiæ existens. (*Ibid.*, n° 2.)

Martyrologium autem Romanum est Catalogus Sanctorum qui, à Romanis Pontificibus approbatus, legi solet ad Primam in officio chori; censuit autem Bened. XIV (lib. 1, pars 2, cap. 19, n° 16) neque ex nominis descriptione in Martyrologio, neque ex lectione ejus in choro, argui posse

[1] Non licet pro eis orare : « Injuriam facit Martyri qui orat pro » Martyre : unde quod in plerisque Orationibus continetur : *prosit illi* » *ad gloriam*, etc., ita debet intelligi, ut ad hoc prosit quod magis ac » magis à fidelibus glorificetur in terris. »

de præstito cultu publico; siquidem in eo nomina quorumdam sunt conscripta qui tantùm sunt beatificati; imò nec etiam beatificati à S. Sede, sed tantùm ab Episcopis, de quibus proindè nondum permissus est à S. Sede cultus publicus et imprimis universalis; ergo lectio Martyrologii in choro non habetur ut actus cultûs publici, alioquin in universali Ecclesiâ cultu publico colerentur etiam Beatificati, imò qui nondum à S. Sede beatificati fuerunt; his tamen non obstantibus non licet addere Martyrologio nova nomina Beatorum, imò et Sanctorum canonizatorum privatâ auctoritate: id enim fuit prohibitum à S. Sede per Litteras Apostolicas Gregorii XIII (*De Beatif.*, lib. 4, pars 2, cap. 18, n° 1).

4882. Non obstante quod dicitur in *quartò*, neque missa in honorem Sancti est celebranda in universali Ecclesiâ, neque officium est recitandum, nisi id S. Pontifex indulgeat vel præcipiat per Decretum peculiare (*ibid.*, lib. 1, cap. 38, n's 3 et 4): et Bullæ Canonizationis concedentes quòd de Sancto canonizato recitari valeat officium, intelligendæ sunt quoad habilitatem, non verò quoad actum; id est, significant Sanctum esse talem ut possit ipsi talis honor et cultus deferri. (*Ibid.*, n° 6.)

4883. — 4° Ad complementum materiæ hîc etiam addendum est quid à S. Sede fuerit præscriptum circa cultum Servorum Dei nondum beatificatorum. Urbanus quidem VIII de hoc plura statuit an. 1625 in duobus Decret. S. Inquis: sic habet in 1° « Volens... hujusmodi abusibus.... » occurrere...., (Sanctitas Sua) decrevit ne quorumvis hominum, cum sanctitatis seu martyrii famâ (quantacumque illa sit) defunctorum, imagines... et quodcumque aliud, venerationem et cultum præ se ferens.., in oratoriis aut locis publicis seu privatis, vel ecclesiis tam sæcularibus quàm regularibus cujuscumque Religionis, Ordinis, Instituti, Congregationis, aut Societatis apponantur, antequam ab Apostolicâ Sede canonizentur aut Beati declarentur, et, si quæ appositæ sunt, amoveantur, prout eas statim amoveri mandavit.

4884. » § 2. Ac pariter imprimi de cætero inhibuit libros » eorumdem hominum, qui sanctitatis sive martyrii

» famâ vel opinione... celebres è vitâ migraverint, gesta,
» miracula, vel revelationes, seu quæcumque beneficia
» tanquam eorum intercessionibus à Deo accepta conti-
» nentes, sinè recognitione atque approbatione Ordinarii,
» qui in eis recognoscendis theologos aliosque pios ac
» doctos viros in consilium adhibeat : et, ne deinceps
» fraus, aut error, aut aliquid novum aut inordinatum
» in re tam gravi committatur, negotium instructum ad
» Sedem Apostolicam transmittat, ejusque responsum ex-
» pectet; revelationes verò et miracula, aliaque beneficia
» supra dicta, quæ in libris horum hominum vitam et
» gesta continentibus, hactenus sinè recognitione atque
» approbatione hujusmodi impressa sunt, nullo modo ap-
» probata censeri vult, mandatque Sua Sanctitas.... (Vide
» infra, n° 4888).

» § 3. Ad horum hominum sepulchra vetuit etiam... ta-
» bellas atque imagines..., tam pictas quàm fictas atque
» sculptas, appendi..., lampades, sive alia quæcumque
» lumina accendi sinè recognitione, ab Ordinario omninò
» prout supra, faciendâ, Sedique Apostolicæ referendâ ac
» probandâ.

» § 4. Declarans quòd, per supra scripta, præjudicari in
» aliquo non vult neque intendit iis qui, aut per com-
» munem Ecclesiæ consensum, vel immemorabilem tem-
» poris cursum, aut per Patrum virorumque sanctorum
» scripta, vel longissimi temporis scientiâ ac tolerantiâ
» Sedis Apostolicæ vel Ordinarii coluntur.

» § 5...» In hoc paragrapho Pontifex supradictorum executionem præscribit singulis Ordinariis, ac hæreticæ pravitatis inquisitoribus. In paragraphis autem sexto et septimo, indicuntur variæ pœnæ contra horum transgressores infligendæ.

4885. Eodem anno promulgatum fuit aliud Decretum quo permittitur « tabellas et imagines sive pictas sive ex
» quâvis materiâ fictas atque alia quæcumque collatæ gra-
» tiæ fidem facientia, simul cum deferentis aliorumque qui
» conscii fuerunt attestationibus accipere, atque appro-
» bantibus Ordinariis, ad quos referre statim teneantur, in

» secreto aliquo, seorsum ab ecclesiâ, loco custodire, ibi-
» demque jam amota collocare et asservare, ut si quando
» Dominus talium virorum merita Beatificationis seu Ca-
» nonizationis honore in terris decorare voluerit, exstent
» ejusmodi probationes Apostolicæ Sedis judicio exami-
» nandæ. »

1886. Prodiit tandem 5 julii 1634 alia Constitutio ejusdem Pontificis incipiens *Cœlestis Jerusalem*, in quâ supra dicta confirmantur, prohibeturque ne Servorum Dei nondum beatificatorum imagines in ecclesiis aliisque locis publicis aut privatis ponantur cum laureolis aut radiis seu splendoribus; aut admittantur processus de famâ virtutum et miraculis ab Ordinario locorum conficiendis antequam signetur commissio causæ Canonizationis. Vide apud Ferraris, v° *Cultus Sanctorum*, n° 47.

1887. Ex his patet prohiberi quidem ab Ecclesiâ actus cultûs publici erga Servos Dei nondum beatificatos, non verò actus cultûs privati, qui etiam publicè fieri possunt, alioquin probari non posset fama sanctitatis Servi Dei.

Quoad venerationem Reliquiarum Sanctorum, vide dicta supra (1023-1038).

1888. Formula autem protestationis principio libri adjungendæ, juxta Decreta Urbani VIII, sequentibus verbis est exprimenda:

« Cùm Sanctissimus D. N. Urbanus Papa VIII, die 13
» martii anno 1625, in Sacrâ Congregatione Sanctæ Ro-
» manæ et Universalis Inquisitionis Decretum ediderit,
» idemque confirmaverit die 5 julii anno 1634, quo inhi-
» buit imprimi libros hominum qui sanctitate seu martyrii
» famâ celebres, è vitâ migraverunt, gesta, miracula, vel
» revelationes, seu quæcumque beneficia, tanquam eorum
» intercessionibus à Deo accepta, continentes, sinè recog-
» nitione atque approbatione Ordinarii, et quæ hactenus
» sinè eâ impressa sunt, nullo modo vult censeri appro-
» bata, idem autem Sanctissimus, die 5 junii 1631, ita
» explicaverit, ut nimirum non admittantur elogia Sancti
» vel Beati absolutè, et quæ cadunt super personam, benè
» tamen ea quæ cadunt super mores et opinionem, cum

» protestatione in principio, quòd iis nulla adsit auctoritas
» ab Ecclesiâ Romanâ, sed fides tantùm sit apud auctorem,
» huic Decreto, ejusque confirmationi et declarationi ob-
» servantiâ et reverentiâ, quâ par est, insistendo, profiteor
» me haud alio sensu, quidquid in hoc libro refero, acci-
» pere aut accipi ab ullo velle, quàm quo ea solent, quæ
» humanâ duntaxat auctoritate, non autem divinâ Catho-
» licæ Romanæ Ecclesiæ, aut Sanctæ Sedis Apostolicæ
» nituntur : eis tantummodo exceptis quos eadem S. Sedes
» Sanctorum, Beatorum aut Martyrum Catalogo adscripsit.»

4889. In fine autem libri protestatio fit modo sequenti :
« Lector, adverte, in elogiis virorum illustrium quos hoc
» libro complexus sum, nonnulla me obiter attingere
» quæ sanctitatem ipsis videantur adscribere : perstringo
» nonnunquam aliqua ab iis gesta, quæ cùm vires
» humanas superent, miracula videri possunt, præsagia
» futurorum arcanorum manifestationes, revelationes,
» illustrationes, et, si qua sunt, alia hujusmodi; beneficia
» item in miseros mortales eorum intercessione divinitùs
» collata; demùm nonnullis sanctimoniæ vel martyrii
» videor appellationem tribuere : verùm hæc omnia, ita
» meis lectoribus propono, ut nolim ab illis accipi tanquam
» ab Apostolicâ Sede examinata atque approbata, sed
» tanquam quæ à solâ suorum auctorum fide pondus obti-
» neant, atque adeo non aliter quàm humanam historiam.
» Proinde Apostolicum S. Congr. Sanctæ Romanæ et
» Universalis Inquisitionis Decretum, anno 1625 editum,
» et, anno 1634, confirmatum, integrè atque inviolatè,
» juxta declarationem ejusdem Decreti à Sanctissimo D. N.
» Urbano Papâ VIII, anno 1631 factam, servari à me,
» omnes intelligant; nec velle me, vel cultum aut vene-
» rationem aliquam per has meas narrationes ulli arrogare,
» vel famam et opinionem sanctitatis aut martyrii inducere,
» seu augere, nec quidquam ejus existimationi adjungere,
» nullumque gradum facere ad futuram aliquando ullius
» Beatificationem vel Canonizationem, aut miraculi com-
» probationem : sed omnia in eo statu à me relinqui,
» quem seclusâ hâc meâ lucubratione, obtinerent, non

» obstante quocumque longissimi temporis cursu. Hoc » tàm sanctè profiteor quàm decet eum qui Sedis Apostolicæ obedientissimus haberi filius cupit; et ab eâ, in » omni suâ inscriptione et actione dirigi. » (*De Beatific.*, lib. 2, cap. 11, nis 8 et 9.)

ART. II.

DE FESTIS SANCTORUM ET ALIIS FESTIVITATIBUS.

4890. Assertum fuit supra (4878, VII, 4881) dies festos celebrari posse in honorem Sanctorum : de his nunc et aliis festis est tractandum. Dicemus ergo : 1° de Festis in genere; 2° de Festis de præcepto; 3° de Festis Patronorum.

§ I.

De Festis in genere.

4891. « Omnes fermè gentes, inquit Devoti (lib. 2, tit. 5, » § 1), habuêre dies festos quibus suos deos honorare prosequebantur, et in quibus magnam religiosi cultûs partem » constituebant. Apud Christianos jam indè ab Apostolorum ætate festi sunt acti, et instituti dies : antiquitate » cæteros vincunt omnes dies Dominici, Pascha, Ascensio, » Pentecostes ; postmodum alii quoque accesserunt, videlicet Natalis Christi Salvatoris, solemnitates B. Mariæ » Virginis, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, aliæque complures. » Vide de his notas ejusdem Devoti (*ib.*).

4892. Illi dies festi, alii sunt mobiles, qui non eodem die quovis anno celebrantur ; alii immobiles, qui certis semper diebus hærent, ut Natalis Domini, Circumcisio, Epiphania, etc.; dierum autem festorum mobilium celeberrimus est Paschatis, à quo omnes reliqui mobiles pendent : Pascha enim antecedit jejunium *Quadragesimale* ad quod animi præparantur tribus hebdomadibus, videlicet : *Septuagesimâ*, *Sexagesimâ* et *Quinquagesimâ*. Pascha sequitur Ascensio post 40 dies; post autem 50, Pentecostes. Reliqui dies Dominici usque ad Adventum, et ab Epiphaniâ usque

ad Septuagesimam, numeris distinguuntur ab hujusmodi festis initium sumentibus, nempe à Pentecoste vel ab Epiphaniâ. Ergo in figendo Paschate præcipuè est incumbendum.

4893. Judæi in plenilunio, seu decimâ quartâ die lunæ æquinoctio verno correspondentis, Pascha celebrabant; sed ab Ecclesiâ constitutum fuit, etiam à suis primordiis, ut non ipsâ die quartâ decimâ, utpote ipsa die passionis Domini, sed in Dominicâ sequente celebraretur; et qui decimâ quartâ volebant Pascha celebrare, primùm improbati, postea tanquam hæretici sunt damnati sub nomine *Quartodecimanorum.* (Vide *Dissert. de Kalendario,* ad calcem hujus operis.)

Porrò, juxta Patres Nicænos, plenilunium Paschale debet esse decima quarta dies lunæ incidens, vel in diem 21 martii, vel in diem proximum sequentem, nunquam verò antecedens, quia dies 21 martii censebatur respondere verno æquinoctio; sed si hæc dies occurrat die Dominicâ, solemnitas Pascalis non est celebranda nisi Dominicà subsequente. Nunquam ergo celebrari potest Pascha à Christianis ante 22 martii; potest verò ab ipsis celebrari die 25 aprilis : nam plenilunium incidens post 20 martii, potest contingere die 18 aprilis; et si hæc dies sit Dominica, remittenda est solemnitas ad Dominicam subsequentem, nempe ad 25 aprilis, quod non continget ante annum 1886 [1].— Vide citatam *Dissertationem de Kalendario.*

Igitur ad inveniendum Festum Paschæ, duo detegi

[1] « Quanquam catholicorum Ecclesiæ de celebrando Paschate in die » Dominicà consentirent, non una tamen eademque erat omnium » sententia in hoc Dominico die constituendo : nam interdum eveniebat ut Ecclesiæ quædam unâ hebdomadâ vel mense citiùs quàm » reliquæ Festum illum diem agerent : et Ambrosius... testatur..., » anno 387, Pascha ter separatis temporibus celebratum fuisse; ab » aliis, XII kalendas aprilis; ab aliis XIV kalendas maias, ab aliis » VII kalendas maias. Similiter Leo Magnus tradit octo dierum inter- » vallum inter Romanorum Pascha et Pascha Alexandrinorum intercessisse : tanti hujus discriminis ratio erat, quòd non omnes uno » eodemque cyclo uterentur. » (Devoti, lib. 2, tit. 5, § 3, *in notá.*)

Post reformationem Kalendarii à Gregorio XIII factam, possibiles non videntur ampliùs diversitates circa Festi Paschatis celebrationem (Vide citatam *Dissertationem de Kalendario*, in fine istius *Manualis.*)

debent : 1° plenilunium paschale ; 2° dies Dominica : quomodo autem hæc duo inveniri valeant, dicemus infra in pluries citatâ *Dissertatione de Kalendario* (n[is] 58, 67).

4894. Duplicis generis sunt festa ; alia de præcepto etiam pro populo ; alia meræ devotionis saltem ex parte populi : nam sacerdotes et omnes officio divino astricti de iis tenentur recitare horas canonicas, et sæpe si celebrent, de iis pariter dicere missam. Cùm ea quæ specialiter sunt dicenda de festis meræ devotionis ad rubricas pertinent, ad auctores liturgicos de iis remittimus ; dicemus ergo tantùm de festis *de præcepto*, in § sequenti.

II.

De Festis de præcepto.

4895. Festi dies *de præcepto* sunt illi in quibus fideles sacrificio missæ interesse debent et ab omnibus se abstinere operibus quæ servilia dicuntur : dici tamen possunt etiam de præcepto festa in quibus fideles obligantur ad audiendam missam, licet ipsis sit permissum in iisdem vacare dictis operibus servilibus : hujusmodi erant olim festa de præcepto, et videtur quòd adhuc persistant in quibusdam regionibus. Bened. XIV (*De Beatif.*, lib. 4, pars 2, cap. 16) ; Devoti (lib. 2, tit. 5, § 5) ; Ferraris (v° *Festa*, n[is] 83, 85, 136, 137, 140).

4896. Quærit. 1° Quis in Ecclesiâ habeat potestatem instituendi dies festos de præcepto ?

Resp. Certum est 1° A solo Papâ vel à solo Concilio Œcumenico posse institui dies festos qui universalem Ecclesiam obligent, cùm nulla sit alia auctoritas quæ totam Ecclesiam possit ligare.

4897. Certum est 2° Nullum Principem laicum, nullamque potestatem sæcularem posse instituere vel indicere dies festos in Ecclesiâ : illud expressè declaravit Innocentius X, 6 octobris 1653, in suo Brevi *Cùm nuper*, quo nullum declarat Edictum emanatum à Senatu et à Gubernatore Mediolanensi quo præscripta fuerat observatio festi-

vitatis S. Dominici. — Vide Ferraris (vº *Festa*, nº 8); et S. Liguorium (lib. nº 267). — Patet tamen quòd possit, imò debeat Princeps christianus observationem Festorum procurare, etiam adjectis pœnis delicto proportionatis. Apud eumdem Ferraris (*ibidem*, nº 148).

4898. Quoad autem festos dies pro certis tantùm locis obligantes, « nemo inficiari potest, inquit Benedictus XIV » (*De Beatific.*, lib. 4, pars 2, cap. 16, nº 11), olim ab » Episcopis dies festos qui in diœcesi ritè celebrari debe- » rent, fuisse constitutos... Affirmat Cardinalis d'Ossat » (*Epist.* 181), ad suas preces jussu Christianissimi Regis » Clementi Papæ VIII propositas pro festorum diminutione » in Galliæ regno, responsum fuisse, id potissimum ad » Episcopos pertinere... » (Vide etiam D. Bouix, *De Jure Liturgico*, p. 311.)

4899. «... 12. Sed cùm ea quæ Cardin. d'Ossat cum Cle- » mente VIII agere cœperat, ad finem non fuerint per- » ducta.., pluribus deinde efflagitantibus Episcopis, S. Pon- » tifex Urbanus VIII ejusdem rei examen resumpsit, ac de » eâ Constitutionem promulgavit...in quâ singula Festa, quæ » observari omnino debent, recensentur; ideoque facilè » intelligitur nullum Episcopum, nisi nova S. Pontificis » auctoritas intercedat, posse ab eâdem Constitutione re- » cedere, indecorumque esse Apostolicæ Sedi, rem de quâ » non solùm aliquid cognovit, verùm etiam decrevit, post » præfatam Constitutionem, Episcoporum arbitrio commit- » tere. » Sic enim ait Urbanus VIII, in Constit. *Universa* cui alludit Bened. XIV : « Ne autem dies festos à locorum » Ordinariis nimiâ aliquorum facilitate, aut populorum » importunitate deinceps iterum multiplicari contingat, » iidem Ordinarii in Domino monentur ut ad ecclesiasti- » cam ubique servandam æqualitatem de cætero perpetuis » futuris temporibus ab Indictione sub præcepto novorum » festorum abstineant. »

« 13. Quamobrem, pergit Bened. XIV (*loco citato*), cùm » Parisiensis Archiepisc. De Perefixe Edictum, anno 1666, » promulgasset... nonnullosque (dies festos) in Urbani VIII » Constitutione descriptos abstulisset, et cùm Alexan-

» der VII... Christianissimo Regi suas detulisset querimo-
» nias, ipsasque iterum innovasset... Clemens IX.... ab
» eodem Parisiensi Archiepiscopo novus festorum index
» omnino Urbani VIII Constitutioni cohærens, fuit in lu-
» cem editus...

» 14. Ex quibus licet deduci possit nullum debere Episcopum, post Constit. Urbani, peculiari auctoritate, festorum numerum in suâ diœcesi præscribere, non tamen inde consequitur post Urbani Constitutionem, in Pontificis potestate non esse, festos dies, etc. »

4900. Post ergo Constitut. Urbani VIII, existimabat Bened. XIV Episcopos non ampliùs habere potestatem dies festos indicendi, quam tamen in illis agnoverat Concil. Tridentin. (sess. 25, c. 12, *de regul.*) ubi dicitur : « Dies etiam » festi *quos in diœcesi suâ servandos... Episcopus præce-* » *perit*, ab exemptis omnibus, etiam regularibus, serven- » tur. » Et pro certo haberi volebat idem Pontifex (*ibid.*, n° 15) imminutionem festorum *nequaquam fieri posse nisi S. Pontificis auctoritas intercedat*. Idem sentit D. Bouix (*De Jure Liturgico,* p. 315); et videtur quòd hæc sententia sit omnino tenenda, saltem quoad imminutionem festorum.

Plures tamen contra sentiunt, saltem quoad institutionem novorum festorum, uti est videre apud Ferraris (v° *Festa*, n° 2, 143, quamvis n° 37 allegetur decisio S. C. denegans Episcopo potestatem novos dies festos statuendi). Devoti (lib. 2, tit. 5, § 5, *nota* 1) pariter putat Urbanum VIII hortatum quidem fuisse Episcopos ut se abstinerent à novis festis indicendis, non tamen eis ademisse hanc potestatem ipsis à Tridentino concessam. Item S. Liguor. (lib. 3, 266) probabilius habet verba Urbani VIII esse *potiùs monitiva quàm præceptiva;* imò ipsemet Bened. XIV (*De Beatific,*, lib. 4, pars 2, c. 15, n° 12) asserit posse Episcopum de consensu Cleri et populi Festum instituere de præcepto, uti constat cap. *Pronuntiandum*, de Consecrat., dist. 3, et cap. *Conquestus, de Feriis ;* addit tamen, n° 13, id non expedire, nisi ad summum gravissimæ urgeant circumstantiæ.

4901. Sed quia, anno 1703, junii 23, S. Rit. Congr. consulta : « 2° An Espiscopus in suâ diœcesi, festa præ-

» dicta (scilicet suppressa ab Urbano VIII) possit confir-
» mare, adeo ut sint obligatoria, et an alia festa instituere
» de præcepto præter illa quæ in dictâ Bullâ expressa sunt..,
» S. Congr. censuit respondendum :... ad 2m *Negativè*, »
nde non videtur posse sustineri quòd Episcopi habeant nunc potestatem festa *de præcepto* instituendi, modo saltem perpetuo.

Hoc verum est, præsertim hodie, in Galliâ; post suppressionem enim factam plerorumque festorum, tempore Concordati 1801, non videtur posse sustineri quòd Episcopi valeant aut instituere novos dies festos, aut minuere paucos superstites; non *primum quidem*, cùm hoc esset annullare concessiones S. Sedis, quæ, ad petitionem Gubernii voluit, « ut status numerus festorum, isque quo contractior fieri posset, in toto Reipublicæ Gallicanæ territorio retineretur [1] »; nec *etiam secundum*, quia imminutio ad suos extremos limites extensa fuit: unde scandalosa et subversiva foret suppressio paucorum et tam commendabilium festorum quæ adhuc supersunt.

4902. Quidquid sit de præfatis, et suppositâ probabilitate sententiæ secundæ supra relatæ (4900), saltem pro regionibus in quibus nondum facta fuit tam contracta festorum imminutio, dubitatur an ad statuenda festa de præcepto Episcopi indigeant consensu Cleri et populi : affirmandum est, juxta S. Liguor. (lib. 3, n° 266) qui plures citat; notat tamen sufficiens esse si Clerus et populus non contradicant, et licet contradicant, posse Episcopum, quamvis non perpetuò, tamen pro unâ vel alterâ vice festa indicere. Imò Suarez et alii plures dicunt sufficere ex consuetudine solum Cleri consensum; sed huic contradicunt Salmantic. juxta jus antiquum (cap. *Conquestus*, *de Fer.*). Nemo est, inquit Bened. XIV, qui *excludat consensum Capituli* (*De Beatific.*, lib. 4, pars 2, c. 15, n° 12); vide etiam Ferraris (v° *Festa*, n[is] 145, 146). Modò diximus quòd ex Concil. Trident.,

[1] Artic. 41 Legis organicæ sic habet : « Aucune fête, à l'exception du Dimanche, ne pourra être établie sans la permission du gouvernement. »

regulares, etiam exempti, teneantur observare dies festos ab Episcopo præceptos.

4903. *Nota* quòd in suâ Encyclicâ 5 nov. 1745, incipiente *Ab eo tempore*, ad Episcopos Statûs Ecclesiastici directâ, Bened. XIV dicit quòd in transgressione festorum nulla valeat consuetudo, etiam immemorabilis; et die 13 1669, S. Congr. Conc. sic respondit contra mercatores Barchinonenses qui contendebant posse vendere suas merces diebus festis ob consuetudinem immemorabilem : « Id mercatoribus non licere, quâcumque consuetudine » immemorabili nequaquam obstante. » Vide alia ap. Ferraris (v° *Festa*, n° 86); et infra dicenda (4933).

4904. Quærit. 2° Quænam sint festa *de præcepto?*

Resp. Multa olim fuisse festa à populo observanda : nam præter ea quæ ab Urbano VIII præscripta sunt, certum est integram Paschatis Hebdomadam, totam Hebdomadam Majorem (cap. *Conquestus*, *de Feriis*). tres Rogationum dies, S. Martini diem (can. *Pronuntiandum*, de Consecr., dist. 3), diem quoque S. Francisci, exstitisse antiquitus festos de præcepto ; sed ab Urbano VIII ii sublati fuêre Constitut. *Universa;* quinam autem festi dies præscripti fuêre ab hoc Pontifice, diximus supra (1489).

Post hunc Pontificem, variis indultis imminutus fuit numerus festorum de præcepto in gratiam certarum regionum, instantibus illarum Episcopis aut etiam regibus; pro quibusdam verò hæc festorum imminutio constitit duntaxat in suppressione obligationis se abstinendi ab operibus servilibus in quibusdam festis, integrâ remanente obligatione missæ sacrifio interessendi; id concessit Bened. XIII pluribus Hispaniæ diœcesibus ; item Bened. XIV regnis utriusque Siciliæ (apud S. Liguor., lib. 3, n° 268); pro aliis autem, v. g. Poloniâ, solemnitas festorum, æstivo tempore, in Dominicas subsequentes translata fuit, concedente Bened. XIV (*De Beatific.*, lib. 4, pars 2, c. 16, n^{is} 26, 27); Ferraris (v° *Festa*, n° 84). Plura festa etiam Romæ suppressa fuêre à Pio VI, Decreto 23 maii 1798, tàm quoad obligationem missam audiendi quàm quoad præceptum abstinendi ab operibus servilibus : videlicet 2°

et 3ª Feriæ Paschatis et Pentecostes, omnia Festa Apostolorum (exceptis SS. Petri et Pauli et S. Joannis), Festa Inventionis S. Crucis, S. Annæ, S. Laurentii, S. Stephani, SS. Innocentium, S. Sylvestri. Vid. *Ordo Roman.* — Romæ adhuc observantur Festa S. Josephi, S. Michaelis, S. Joannis Apostoli, S. Philippi Nerii, etc.

4905. In Galliâ post Concordatum 1801, expetente Gubernio, dies festi de præcepto præter dies Dominicos à Cardinali Legato reducti fuêre ad sequentes : Nativitas D. N. J. C., Ascensio, Assumptio B. M. V., Festum Omnium Sanctorum : ita Indultum 9 april. 1802; sat tamen generaliter observatur etiam Festum Circumcisionis quod ut civile festum pariter habetur. In pluribus locis observatur quoque Festum S. Stephani et Feria secunda Paschatis: sed hæc non habentur tanquam de præcepto.

4906. In præfato Indulto Cardinalis Legati sequentia insuper decernuntur :

« 1° Voluit Sanctitas Sua ut in festis diebus, vigiliisque præcedentibus, nihil de consueto divinorum officiorum, sacrarumque cæremoniarum ordine ac ritu innovetur; sed omnia ea prorsus ratione peragantur quæ hactenus consueverunt, exceptis tamen Festis Epiphaniæ Domini, SS. Corporis Christi, SS. Apostolorum Petri et Pauli, SS. Patronorum cujuslibet diœcesis et parœciæ, quæ in Dominicâ proximè occurrente in omnibus ecclesiis celebrabuntur.

» 2° Ad honorem SS. Apostolorum et Martyrum, Sanctitas Sua præcipit ut tum in publicâ, tum in privatâ horarum canonicarum recitatione, qui ad illas tenentur, in Solemnitate SS. Petri et Pauli, omnium Apostolorum, in Festivitate S. Stephani, omnium Martyrum commemorationem faciant : quod idem in missis iisdem celebrandis agendum erit.

» 3° Pariter Sanctitas Sua mandat ut Anniversarium Dedicationis templorum in Dominicâ quæ Octavam omnium SS. proximè sequitur, in cunctis Ecclesiis gallicanis celebretur.

» 4° In diebus festis sic abrogatis..., Sanctitas Sua hor-

» tatur solùm, eos præsertim qui victum parare labore » manuum minimè coguntur, ut iis diebus missæ haud » negligant interesse. »

4907. De festis in Dominicam sequentem celebrandis, sic rescripsit Cardinalis Legatus ad Episcopum Camberiensem : « Officia Epiphaniæ, etc., recitanda erunt à Clero » tàm privatim quàm publicè in ecclesiis, et missa de » iisdem dicenda in suo proprio die...; sola Solemnitas » differtur in Dominicam sequentem, in quâ officium » quidem à Clero tam publicè quàm privatm, et missa recitabitur de Dominicâ seu de festo occurrente juxta ka» lendarium. Canetur tamen una missa solemnis de festis » illis, more votivo, cum unicâ Oratione; minimè omissâ » in Cathedralibus, aliisve ecclesiis in quibus officium » publicè agatur, et adsit sufficiens numerus ecclesiastico» rum, aliâ missâ conventuali de Dominicâ, vel festo » occurrente [1].

» Si in unam eamdemque Dominicam incidat Solemni» tas translata, tum Anniversarii Dedicationis, tum Pa» troni, ea Solemnitas celebranda erit de digniore, scilicet » de Dedicatione, translato minus digno, id est festo Patroni » ad primam Dominicam non impeditam.

» Si Dominica ad quam... transferenda esset Solemnitas » Patroni, sit dies propria S. Joannis, tunc solemnitas » Patroni transferenda erit ad primam Dominicam non im» peditam, juxta rubricas. » Vide Rit. Bellic., tom. 2, p. 217.

Modò dicta sequuntur occurrentiæ festorum regulam : porrò in occurrentiâ festorum ejusdem ritûs, et aliàs quomodocumque parium, ordo servandus, est ut primum

[1] « An autem officium etiam vespertinum Dominicæ occurrentis, si » fiat de eâ, cantandum est solemniter seu cum pompâ, servato tamen » ritu semiduplici, ratione Solemnitatis translatæ : Resp. : *Posse.* » Decretum 23 maii 1835, apud Gardellini, n° 4596, q. 14 : « Missæ » solemnes, et partes divini officii quæ in choro persolvuntur possuntne » esse de ipsis Solemnitatibus ad Dominicas translatis ? Resp. : *Affir-* » *mativè*, sed qui ad horas canonicas tenentur, privatim recitare adi» guntur partes illas officii occurrentis. »
Ita responsum fuit ad Episcopum Lemovicensem, 4 aug. 1853. Vide *Revue des sciences ecclés.*, n° 34, p. 356.

locum habeat officium ecclesiæ particularis; secundum Ordinis seu Religionis, tertium Diœcesis; quartum Ecclesiæ universalis. S. R. C., 22 apr. 1741.

In translatione verò festorum priùs fieri debet de officio in kalendario priùs descripto, nullo habito respectu quòd officium sit Ecclesiæ universalis, Nationis, Ordinis, vel Ecclesiæ particularis (S. Congr. Rit., 5 maii 1736). Vide *Ordinem Valentin.*, *pro anno* 1861.

4908. Quoad primam ex sanctionibus Indulti Cardinalis Legati supra memorati (4906), idem Cardinalis, expetente Gubernio ægrè ferente quòd in quibusdam Provinciis reviviscerent festa suppressa, ad Episcopos sic rescripsit, 6 jul. 1806 : « Puisqu'on s'est aperçu que les annonces des » fêtes supprimées occasionnaient des équivoques dont » il pouvait résulter des abus, il paraît expédient que les » curés et autres ecclésiastiques s'abstiennent d'en faire » les annonces; de les indiquer la veille par le son des » cloches, et d'en faire célébrer l'office avec la pompe et » l'appareil extérieur qu'on doit employer aux fêtes con- » servées... Ils peuvent se borner à annoncer les fêtes » conservées et à en recommander aux fidèles l'observation » la plus exacte. »

4909. Quærit. 3° Quomodo observanda sint festa de præcepto?

Resp. Ad sanctificanda festa de præcepto, quædam esse facienda, quædam verò omittenda.

I. *De operibus faciendis in festis de præcepto* : diebus Dominicis et Festis est obligatio sub gravi assistendi, morali modo, sacrificio missæ : id constat ex cap. *Omnes fideles*, et cap. *Missas*, de Consecr., dist. 2; unde damnata est ab Innocentio XI, 2 mart. 1679, propositio sequens : «...52. Præceptum servandi Festa non obligat sub mortali, » seposito scandalo, si absit contemptus. »

4910. Imò peccatum esset mortale, juxta sententiam quam S. Liguor. vocat probabiliorem, si quis omitteret missam usque ad Epistolam inclusivè, quamvis non improbabilem judicet aliorum Doctorum opinionem qui dicunt tunc solùm peccatum esse grave quando omittitur missa

usque ad Offertorium exclusivè. Quænam autem aliarum missæ partium omissiones judicandæ sint graves, vide apud eumdem, lib. 3, n° 310.

1911. Diximus assistentiam missæ debere esse moralem seu humano modo; unde præcepto non satisfaceret qui dormiendo missæ interesset; item sacro non assistit qui à longè manet, etsi templum, altare, turbam videat, quia ex usu communi is dici nequit adesse moraliter : spatium autem 30 passuum à turbâ assistentium non impedit quominus quis sit sacrificio præsens : ita P. Gury, tom. 1, n° 341; id tamen non ab omnibus admittitur. Vide S. Liguor. (lib. 3, 312). — Assistentia insuper debet esse religiosa saltem externè : præceptum enim non impleret qui notabili tempore confabularetur. Utrum verò etiam attentio interna requiratur ad impletionem præcepti, controvertitur; probabilior tamen est sententia affirmans, juxta S. Liguor. (lib. 3, n° 313), qui nihilominus improbabilem non judicat sententiam negantem. Ad præcepti autem impletionem non requiritur oratio, sed sufficit assistentia religiosa (*ibid.*). Valde verò dubium est an impleret præceptum qui, missæ tempore, se confiteretur; absolutè tamen Croix id admittit, casu quo obligati ad missam, essent famuli in peccato mortali existentes, qui aliter non confiterentur (*ibid.*, 314).

1912. Quæri hîc solet an præceptum audiendi missam sit necessariò implendum in ecclesiâ parochiali? — Nemo diffitetur hoc esse saltem congruum, imò hoc videtur fuisse olim præceptum, et plures, in Galliâ præsertim, volunt hoc præceptum adhuc vigere in pluribus diœcesibus, ita ut in eis teneantur fideles saltem semel in mense assistere missæ parochiali, vulgò *prône,* et id non obstantibus decisionibus Sedis Apostolicæ contrarium pronuntiantibus; sed omninò dicendum est non ampliùs hodie vigere obligationem hujusmodi : et illud constat : 1° *auctoritate :* sic legitur in Constit. *Licet debitum*, Pauli III, 1 nov. 1549 : « Omnibus » Christi fidelibus, cujuscumque conditionis, qui verbi Dei » prædicationibus in templis ejusdem Societatis (Jesu) in- » terfuerint, concedi, ut ibidem missas audire et sacra-

» menta recipere liberè et licitè valeant, neque ad id ad
» parochiales ecclesias accedere teneantur. »

Idem confirmat Clemens VIII, 22 Decembr., anno 1592, his verbis : « Præsenti nostro Decreto sancimus licere sæ-
» cularibus, Christique fidelibus universis, missas diebus
» Dominicis et Festis aliis majoribus audire in ecclesiis
» tam Fratrum Prædicatorum quàm aliorum Mendican-
» tium, necnon etiam Collegii Societatis Jesu, juxta eorum
» privilegia et antiquas consuetudines, dummodo id in con-
» temptum parochialium ecclesiarum non faciant. »

Unde S. Congr. Conc. decrevit « non posse Ordinarium
» mulctis et pœnis cogere ad audiendam missam vel con-
» cionem in propriâ parochiâ, etiam in casu negligentiæ. »
Ap. S. Liguor., lib. 3, n° 322.

Constat 2° Ex *consuetudine* universali quam abolere nequeunt Ordinarii : vide Bened. XIV (*De Syn.*, lib. 11, cap. 14, n° X), ubi dicit : « Quæ hactenus diximus, solam
» adstruunt libertatem rem divinam quâlibet anni die au-
» diendi in ecclesiis regularium; quid autem dicendum
» quoad alias ecclesias nullo privilegio, hâc in re, à Sede
» Apostolicâ donatas? — Integrum hodie omnibus esse
» in quâlibet ecclesiâ, modò non sit... oratorium priva-
» tum, sacris myteriis interesse, quia contrariâ consuetu-
» dine, in toto Christiano Orbe receptâ, derogatum est
» præcepto audiendi missam parochialem, docent Sylves-
» ter..., Navarrus..., etc..., addentes insuper non posse
» hodie Episcopum præcipere suis subditis ut se sistant
» missæ parochiali, quia non potest delere consuetudi-
» nem, quæ cùm vigeat in toto Orbe, jam induit naturam
» juris communis... » In hoc sensu pronuntiavit S. C. Concilii, et Statutum Episcopi Midensis hanc obligationem renovans fuit ab ipsâ improbatum tanquam nimis severum (*ibidem*).

Unde Concil. Trid. (sess. 22., *decret. de observ.*) non decernit ut Episcopi præcipiant, sed ut tantùm « moneant...
» populum, ut frequenter ad suas parochias saltem diebus
» Dominicis et majoribus festis accedant. » Vide etiam P. Gury (tom. 1, n[is] 352, 353).

4913. Quoad autem verbum Dei, videtur esse obligatio illud audiendi in propriâ parochiâ ex verbis Concil. Trid. (sess. 24, c. 4): « Moneat Episcopus populum diligenter » teneri unumquemque parochiæ suæ interesse, ubi com- » modè id fieri potest, ad audiendum verbum Dei. » Sed præterquam hæc posteriora verba *ubi commodè fieri potest* satis indicant hanc obligationem non esse rigorosam, dicendum est cum pluribus DD., inquit Bened. XIV, illam « ablatam nunc esse per contrariam consuetudinem, cùm » passim viri pii et docti aliò se conferant ad sacros au- » diendos oratores; ac proindè, inquit Zerola, S. Congr. » Conc. sæpius declaravit, non posse Ordinarium mulctis » et pœnis subditos adigere ad concionem auscultandam in » parochiâ » (*ib.*, n° XIII).

4914. An saltem sit obligatio alicubi audiendi verbum Dei singulis Dominicis, aut Vesperis interessendi, vel alia pia opera aut preces faciendi: præter auditionem missæ nulla invenitur lex saltem generalis quæ ad hujusmodi obliget; attamen ignorantes necessaria ad salutem tenentur audire conciones, et inprimis catechesi interesse, præsertim si alio modo de iis edoceri nequeant, sed ea addisci possunt etiam extra dies dominicos aut festivos. (P. Gury, tom. 1, n[is] 338, 339; S. Liguor., lib. 3, n° 269.)

4915. — II. *De operibus à quibus est abstinendum diebus dominicis et festivis.*

Diebus Dominicis et festivis, à mediâ nocte ad mediam noctem abstinendum est ab operibus servilibus, id est ab operibus quæ per corpus præsertim exercentur et immediatè ordinantur ad corporis utilitatem, ut fodere, suere, etc.; constat ex cap. 8, *De Feriis*, et ex consuetudine. Ideo hujusmodi opera dicuntur *servilia* quia à servis seu domesticis fieri solent: inter hujusmodi opera non sunt propriè numeranda peccata, proinde specialem deformitatem seu malitiam propter diei sanctitatem non induunt.

4916. Nihil refert ad servilitatem operis quòd fiat ex lucro vel ex recreatione, cum defatigatione et labore vel non. S. Liguor. (lib. 3, n[is] 272-274).

Itineratio pedibus, equo, vel curru communiter non ha-

betur ut opus vetitum diebus festivis ; controvertitur an in iisdem liceat ducere currus si jam fuerint onusti, vel jumenta onusta : et sententiam affirmantem S. Liguor. (lib. 8, n° 176) vocat probabiliorem, præsertim ob hodiernam consuetudinem universalem. Propter eamdem rationem licet etiam molere (*ib.*, n° 277) et ferrare equos itinerantium, aut eorum qui crastinâ die summo mane sunt egressuri ad laborandum aut itinerandum ; illorum reficere vomeres, etc. (*ib.*, n° 300).

4917. Opus servile non est scribere aut transcribere, docere, etc. ; controvertitur an idem sit dicendum de picturâ, et improbabilis non est sententia affirmans. Plures etiam excusant puellas acu pingentes ut addiscant, sed alii hoc opus habent ut servile. Ars autem sculptoria communiter habetur ut servilis. (S. Liguor., lib. 3, n[is] 278-280.)

4918. Excusari posse videntur in typographiis litterarum collocatores, quando post divina collocant neglectum pensum : imprimere tamen servile habetur (*ib.*, n° 287).

4919. Controvertitur an venatio, aucupatio et piscatio sint opera in festis vetita : probabilior et communior est sententia negans ea esse prohibita, etsi fiant causâ lucri, et quidem ob consuetudinem, modò hæc fiant sinè magno labore : aliàs frustra SS. Pontifices dispensassent in piscatione halecum. Cap. *Licet*, *De Feriis* (*ib.*, n° 283).

Etsi servilia non sint dicenda opera forensia, prohibentur tamen in diebus festivis, ut judicia et strepitus omnis judicialis, id est, actiones quæ ad decisionem causarum, tàm civilium quàm criminalium, tàm sæcularium quàm ecclesiasticarum ordinantur, nisi adsit necessitas aut pietas. Cap. *Conquestus* 5, *De Feriis* (*ibid.*, n° 284).

4920. De his verò sic habet lex civilis in Galliâ (*Code pénal*) : « Art. 25. Aucune condamnation ne pourra être » exécutée les jours de fêtes nationales ou religieuses, ni » les dimanches. »

In Codice verò *de Procédure civile* dicitur : « Art. 63. Aucun exploit ne sera donné un jour de fête légale, si ce » n'est en vertu d'une permission du Président du tribunal. » ... Art. 781. Le débiteur ne pourra être arrêté.., 2° les

» jours de fête légale. »—Vide exceptiones, art. 828, 1037.

« Si l'échéance d'une lettre de change est à un jour ferié » légal, elle est payable la veille. » (*Art. 134, Code de Commerce.*)

Festa legalia eadem sunt apud nos ac ecclesiastica, superaddito tamen Festo Circumcisionis ex decis. Consilii Statûs, 20 mart. 1810.

In articulo autem 57 Legis Organicæ, dicitur : « Les » dimanches et fêtes légales sont les jours fixés pour le » repos des fonctionnaires publics. »

Prodiit insuper 18 nov. 1814 lex prohibens opera servilia; sed etsi non habeatur ut abrogata, pessimè tamen observatur etiam à Gubernio. (Vide Lequeux, n° 1023.)

4921. « Nundinæ universales ex consuetudine jam per» mittuntur, et alicubi etiam nundinæ particulares in quâvis » hebdomadâ. » (S. Liguor., *ib.*, n° 284.)

» Emptiones mercium certè sunt vetitæ à jure canonico; » at ubi est contraria consuetudo, excusantur : consuetudo » enim in hoc magnâ ex parte legem abrogavit (cap. *Omnis* » 1, *De Feriis*). Hinc notant Salmant. permitti in festis » vendere poculenta et esculenta, etsi ad gulositatem.... ; » item vendere calceos, candelas et similia, quorum pre» tium jam æstimatum sit; item vendere domum, equum, » merces, etiam præsentes, et quamvis in hoc multum » tempus impendatur : tum quia sic fert timoratorum usus, » tum quia Ecclesia tantùm venditionem in publicis offi» ciis prohibuit ratione scandali. » (S. Liguor., *ibid.*)

Controvertitur quidem an in diebus festis confici possint publica instrumenta venditionum aut aliorum contractuum; sed hodiè ubique videntur permissi omnes actus publici qui non requirunt strepitum judicialem. (S. Liguor., *ibidem.*)

4922. Quærit. 1° Quænam excusent tàm ab auditione Sacri quàm ab obligatione se abstinendi ab operibus servilibus ?

Resp. 1° Ab auditione Sacri « excusat quævis causa me» diocriter gravis, scilicet quæ involvit notabile aliquod

» incommodum, aut damnum, in bonis animæ vel cor-
» poris, proprii vel proximi. Ita communiter. » S. Liguor. (*ib.*, n° 324.)

4923. Sic excusantur infirmi, quando prudenter timent non leve damnum vel moram notabilem ad convalescendum: « Si dubium sit an incommodum sit leve vel sufficienter » grave, standum est consilio medici, aut Superioris, aut » parochi vel alius viri prudentis et etiam suo judicio po- » test acquiescere infirmus, si prudenter ita judicet. Sed » quid, si adhuc consilio petito, maneat dubius? » Si non possit obtineri dispensatio, « judicandum est Matrem » Ecclesiam in tali casu non obligare. Est valde probabile. » (S. Liguor., *ib.*, n° 325.)

4924. Excommunicatus vel interdictus non peccat omittendo missam, et idem est dicendum de incarcerato, etiamsi negligant absolutionem vel libertatem, modò ex proposito non negligant ne teneantur ad missam, vel nisi, sicut probabiliùs plures dicunt, de facili possent absolutionem aut libertatem obtinere: quia quisque tenetur cum levi incommodo tollere impedimenta ut gravi præcepto satisfaciat. (S. Liguor., *ibid.*)

4925. Sic excusantur custodientes domos vel greges; at si sint plures custodes et una dicatur tantùm missa, debent alternatim eam audire; pariter in simili casu vir non potest cogere mulierem ut semper domi maneat, cùm sit socia non famula, quæ è converso cogi posset; sed etiam dominus potest quandoque manere domi ut famula missam audiat; pari modo excusantur ab audiendo sacro matres quæ non habent domi cui relinquant parvulos sinè periculo, et non possent eos deferre in ecclesiam sinè notabili astantium perturbatione.

Excusatur pariter qui nequit missam audire quin relinquat infirmum sinè assistentiâ; vel etiam si infirmus putaret illius assistentiam sibi esse necessariam, et aliàs gravem pateretur tristitiam. (S. Liguor., *ib.*, n° 326.)

4926. Excusantur famuli, quando eorum ministerium est communiter necessarium; debent tamen majorem adhibere diligentiam ut missam non omittant. Dominus

certè peccat si famulos impediat missam audire quando illorum ministerium sibi non est necessarium: ipsi autem famuli tenentur tunc audire, contra domini jussum, nisi gravem indignationem timerent, vel nisi statim et de facili non possent alium dominum invenire.

Pariter excusatur uxor, si ex accessu ad ecclesiam timeat gravem indignationem viri iracundi vel zelotypi; secus si levem. Ex justâ causâ posset pater detinere filium vel filiam, domi clausum vel clausam in pœnam, etsi missam non audiat. (S. Liguor., *ib.*, nº 327.)

4927. Excusat gravis difficultas eundi ad ecclesiam ob distantiam; quænam verò sufficiat distantia, hoc judicandum est ex circumstantiis personæ, temporis, etc.: ordinariè excusat distantia leucæ sive trium milliarium id est unius horæ iter pedibus agentis [1], et minus si esset molestia nivis, imbris, vel alia causa, ut debilitas ætatis vel sexûs in iis qui itinerationi non sunt assueti, ut solent esse nobiles (S. Liguor., *ib.*, nº 329). Non excusarentur tamen tunc nobiles si possent curru duci ad ecclesiam.

Excusantur viduæ, filiæ et sorores, ratione luctûs (non tamen ultra mensem), nisi à domo jam egressæ fuissent propter alias causas.

Benè excusantur mulieres non habentes vestes decentes juxta suum statum, vel famulum aut famulam, sinè quibus magno rubore suffunderentur: nisi valde mane aut in ecclesiâ non frequentatâ possent missam audire.

Excusaretur etiam puella inhonestè prægnans, nisi in aliquo loco occultè et sinè notâ posset missæ interesse.

4928. Excusantur puellæ quæ ab ecclesiâ exeunt quando fiunt proclamationes pro earum matrimonio, etsi ideo omittant sacrum, si ob id notabilem verecundiam pati debeant, saltem ubi adest talis consuetudo. Pariter consuetudo excusat puerperas domi se continentes post partum per aliquod tempus, v. g., per sex hebdomadas, etiam postquam convaluerint. (S. Liguor., lib. 3, nº 330.)

[1] Nescio cur P. Gury dicat hanc distantiam non excusare, cùm tamen sententiam S. Liguorii dicat se exprimere. (Vide tom. 1, nº 354.)

Posset etiam puella omittere Sacrum, sciens se ab aliquo turpiter concupisci : et hoc saltem ut probabile haberi debet, sed probabile pariter est, imò probabilius quòd ad hoc non teneretur nisi bis vel ter. (S. Liguor., *ib.*, n° 331.)

4929. Disputatur an amissio notabilis lucri excuset ab auditione Sacri : sat probabilis est opinio affirmans, et Gobat excusat pauperem, etiam ob lucrum unius ducati, et duorum alium tenuis fortunæ. Vide infra (4940).

4930. Excusantur aurigæ qui nequeunt Sacrum audire quin vecturam relinquant cum notabili jacturâ. Idem est dicendum de tabellariis et de custodibus gabellarum, de nautis, de præpositis viis ferreis. Valde probabiliter excusatur qui ob missam audiendam omittere deberet negotium cum damno gravi.

4931. P. Gury, n° 355, excusat aliquando milites qui, si missæ adessent, gravissimas irrisiones et exprobrationes vel etiam extraordinaria ludibria experiri deberent : quidquid de eo sit sentiendum, meritò certè excusantur milites si ab impiis ducibus, toto ferè matutino tempore, militaribus exercitiis occupentur, ut sæpe accidit.

Probabiliter excusaretur qui missam omitteret pro se confitendo, si aliàs deberet aliquandiù permanere in statu peccati mortalis; et idem dicendum est de eo qui aliàs non posset impedire blasphemias, rixas, furta. Ita S. Liguor., lib. 3, n° 332, apud quem etiam alia quædam sunt legenda à n° 324 usque ad n° 332.

4932. Resp. 2° Ab obligatione se abstinendi ab operibus servilibus in diebus festivis excusant :

1° *Dispensatio* ab auctoritate competenti concessa : nempe à S. Pontifice pro totâ Ecclesiâ et pro omnibus festivitatibus; ab Episcopo, vel Capitulo seu ejus Vicario, Sede vacante, pro diœcesi; et à Superioribus regularibus pro eorum subditis et domesticis.

Possunt quidem Episcopi dispensare in festis communibus seu quæ observantur in totâ Ecclesiâ; sed si in eis dispensent sinè causâ, non solùm mortaliter peccant, sed invalida est dispensatio; secus si dispensent in festis synodalibus seu particularibus diœcesis vel alicujus parochiæ,

si alicubi existant talia festa. Vicarius Generalis potest etiam dispensare, sed tantùm ex speciali mandato : nam ex generali regulâ, ei non committuntur ea quæ gratiam sapiunt (S. Liguor., lib. 3, n° 288). Diximus supra quid possint parochi in hâc materiâ (1437).

Urgente necessitate, sufficit etiam dispensatio præsumpta, si dispensator adiri nequeat. S. Liguor. (*ibid.*).

4933.—2° *Consuetudo tolerata :* et ob hanc causam excusantur nundinæ, præparationes deliciarum non necessariarum; item ii qui in areâ vertunt et separant segetes, hortulani qui olera irrigant, barbitonsores qui tondent, sutores novos calceos calceantes ; sed ex dictis supra (4903), necessarium videtur quòd consuetudo sit positivè approbata vel tolerata : consensus legalis Superioris sufficiens esse non videtur.

In dubio de consuetudine possidet quidem præceptum, sed si probabilis sit consuetudo sufficit ad excusandum : probabilis autem haberi potest ex dicto unius doctoris eximii etiam moderni. (S. Liguor., lib. 3, n'' 289, 290.)

4934. — 3° *Pietas* in Deum, per quam licent opera quæ proximè (non quæ remotè) spectant ad cultum divinum, ut pulsare campanas, circumferre cruces et imagines in supplicationibus, etc. Dubitatur an etiam liceat verrere templum, coquere hostias, ornare altaria, tabulata erigere ad festivitatem, etc. : sat verò probabiliter affirmatur hæc esse licita, etsi in prævigilio fieri potuissent; et hoc videtur confirmari praxi generali; de se tamen esset mortale scienter præparare tabulata in die festo ad videndam processionem : sed si pridie non essent præparata, licitè fierent in die festo. (S. Liguor., lib. 3, n'' 291, 292.)

4935. Disputatur pariter an etiam liceat in festis laborare ob solam pietatem sinè actuali necessitate, v. g. ad conficiendas vestes pro pauperibus, vehere lapides et ligna ad ecclesiam ædificandam; certò probabilior videtur S. Liguorio sententia negans, nisi sit actualis necessitas, vel adsit dispensatio Episcopalis : quia altioris ordinis est cultus divinus, prout est abstinentia ab operibus servilibus, quàm sunt opera pietatis : liceret autem extruere ecclesiam, si ipsa sit

adeo paupercula ut aliunde sibi providere non valeat. item liceret pro ipsâ conficere vel reficere ornamenta necessaria. S. Liguor., lib. 3, n° 293.

4936. — 4° *Charitas:* sic licet subvenire pauperibus, et ab iis emere vel iis vendere qui aliis diebus impediuntur: unde mercatores excusantur si clausis tabernis quædam vendant, cùm præsumere possint ea emptoribus esse necessaria, nec aliàs commodè emere posse. (S. Liguor., lib. 3, 303.)

4937. — 5° *Necessitas* propria vel aliena, corporis vel animæ: sic excusantur famuli coacti à domino ad laborandum in die festo; sed si possint sinè gravi incommodo hujusmodi dominos deserere, ad id tenentur, nisi sint addiscentes artem fabrilem, vel obligati ad famulandum usque ad certum tempus. Eadem decisio filiis et uxoribus est applicanda, si non possint renuere opus servile sinè timore gravis damni, aut gravis indignationis patris aut mariti laborem indicentis. (S. Liguor., *ib.*, n^is^ 295, 296).

4938. Item excusantur qui suas vestes aut filiorum reficiunt, cùm aliis diebus facere nequeant; item pauperes, privatim sinè scandalo laborantes, si se vel suos sustentare aliter nequeant.

Non tantùm licet præparare cibos, diebus festis, sed etiam animalia occidere, si pridiè commodè fieri non potuerit, ut solet evenire in magnis civitatibus, non autem in oppidulis, nisi sit tempore æstivo, vel nisi concurrant plura festa. (S. Liguor., *ib.*, n° 298.)

Ex consuetudine, licet diebus festis colligere fructus, etiam non necessarios ad usum diei, ut integriores serventur, præsertim quando est periculum ne ab aliis surripiantur, vel à pluviâ contaminentur: unde usu receptum est multis in locis colligere in die festo olivas, uvas integrè servandas, etc.

Nulla est difficultas quoad opera necessaria ad usum quotidianum, ut sternere lectos, verrere domum, lavare utensilia culinaria et similia. (S. Liguor., *ib.*, n° 298.)

4939. Quidam dicunt pistores non posse diebus festis panem conficere, si die antecedente præparare valuissent.

nisi interveniret pluralitas festorum, aut emptorum multitudo, aut utilitas populi; sed alii dicunt hoc esse licitum quia semper adest causa excusans, et talis adest Romæ et fortè ubique consuetudo; hæc autem consuetudo non excusat alios præter pistores : unde generaliter non licet panem conficere diebus festis, nisi esset necessarius ad usum diei, vel nisi concurrerent plura festa. (S. Lig., *ib.*, n° 299.)

Licitum est coquere calcem vitrum, saponem, quia talium coctio plures requirit dies, et hæc etiam possunt inchoari die festo, ad vitandum grave damnum.

4940. Disputatur an occasio magnum lucrum faciendi excuset ab operibus servilibus exercendis : sententia affirmans *fortè magis probabilis* vocatur à S. Liguor., modò agatur de lucro extraordinario, non verò de mercede diurnâ; et idem probabiliter sentit quoad auditionem missæ. S. Liguor., *ib.* — Vide supra (4929).

4941. Disputatur pariter an sufficiens sit ratio otii vitandi : circa quod probabiliter dicunt plures hanc rationem excusare eum qui aliter esset in probabili periculo peccandi; sed, juxta S. Liguor, raro adest talis necessitas laborandi (*ib.*, n° 302).

4942. Excusantur instauratores fontium, viarum publicarum et similium quæ moram non patiuntur; sartores in operibus necessariis pro funeribus, nuptiis, pro advenis qui carent vestibus decentibus, etc. (S. Liguor., *ib.*, n° 303.)

Item agricolæ ad cavendum damnum, ut si, ob pluviam imminentem, segetem vel fœnum congregent.

4943. — 6° *Utilitas :* propter quam licitum esse constat, ob publicam lætitiæ causam, puta ob victoriam, adventum vel ortum Principis, etc., conficere vestes, theatra et similia : dummodo talia in die profesto præveniri non potuerint : ad hæc omnia sufficit probabilis necessitas, aut probabilis consuetudo. (S. Liguor., *ib.*, n° 304.)

4944. Quænam autem requiratur quantitas seu potiùs duratio operis ut peccatum sit mortale : non consentiunt DD. : juxta Croix, communior et probabilior nunc est sententia non esse mortale nisi laboretur saltem multùm

ultra duas horas, puta per duas horas cum dimidiâ. (S. Lig., lib. 3, n° 305 · vide alia *ibidem.*)

§ III.

De festis Patronorum.

4945. Patroni hîc dicuntur Sancti qui eliguntur ut protectores alicujus Nationis, Provinciæ, Diœcesis, Ordinis, civitatis aut alterius loci seu populi.

Patroni etiam dicuntur Sancti quorum nomini dedicatur aliqua ecclesia et à quo nomen accipit; sed ejusmodi patroni *Titulares* propriè vocantur; imò nomen *Patroni* non semper Titularibus convenit : quando enim ecclesiæ sub nomine alicujus Mysterii, v. g., in honorem SS. Trinitatis, S. Spiritûs, Sanctiss. Cordis Jesu , etc., dedicantur , Titularis tunc *Patronus* nuncupari nequit, ut satis patet.

4946. Titulares ergo ecclesiarum sunt Mysteria vel Sancti sub quorum nomine ipsæ dedicatæ fuêre.

4947. Duplicis generis sunt Patroni et Titulares : *Principales* nempe, et *minus præcipui*, qui etiam *secundarii* vocantur.

Patroni et titulares *principales* sunt illi quibus præcipuè commendati fuêre populi et loci, vel quibus dedicatæ fuêre ecclesiæ; cæteri sunt duntaxat Patroni vel Titulares *secundarii.*

Patroni alii sunt Nationis, alii Provinciæ, Diœcesis vel Ordinis; alii tandem sunt alicujus civitatis, pagi ; vel alterius loci.

4948. Discrimen Patronos aut titulares principales inter et secundarios est quòd festa illorum sub ritu duplicis 1 classis cum Octavâ sint celebranda, dum istorum fieri non possunt, absque speciali Indulto, nisi sub ritu duplicis majoris aut etiam duplicis minoris, si talis adsit consuetudo. « De Patronis principalibus, inquit S. R. C. (n° 2155, » *Barriensis*), tàm officium quàm missa, uti de duplici » 1 classis; et ideo lectiones primi nocturni, si non adsint » propriæ sumi debent de communi; de Patronis minus » principalibus, de duplici majori per annum. »

Ex eâdem S. C. (n° 3098), in missâ *Credo* non dicitur

nisi in festis Patronorum aut Titularium principalium : anno autem 1751, 26 junii, S. C. declaravit observandam esse consuetudinem cujusdam loci, ubi Patroni Secundarii nonnisi ritu duplici minori celebrantur. (Vide *Analecta*, 4e liv., col. 853.)

4949. Duplici autem modo festa Patronorum principalium distinguuntur à festis Titularium principalium : ratione nempe modi quo instituuntur, et ratione modi quo obligant :

1° Titulares ecclesiarum instituuntur à Papâ, si illas v. g. erigat in Cathedrales, Metropolitanas, etc.; in Decreto enim hujusmodi erectionum, solet S. Pontifex designare Titulares harum ecclesiarum, et si Titularis ab ipso designatus differat à Titulari jam hujusmodi ecclesiis præstito, tunc istæ ecclesiæ duos æquè præcipuos habent Titulares quorum festa sub ritu duplici 1 classis sunt celebranda cum Octavâ : ecclesiæ inferiores Titularem communiter accipiunt ab Ordinariis quando ab ipsis benedicuntur vel consecrantur. In hoc etiam casu possunt esse plures Titulares æquè principales, si in eorum honorem per modum unius eæ ecclesiæ dedicentur. Vide apud De Herdt (pars 5, n° 34 6°) Decis. S. R. C., 23 febr. 1839, n° 4703.

4950. Econtra Patroni sive Nationis sive Provinciæ, sive Diœcesis, sive Civitatis, etc., eligi primùm debent ab incolis sive Nationis, sive Provinciæ, sive Diœcesis, etc., in quo consentire debent earum tùm clerus sæcularis et regularis cùm Episcopus vel Episcopi; deinde eorum electio ad S. R. C. defertur quæ, re diligenter examinatâ, approbat vel rejicit. Sed Sancti non sunt habendi ut Patroni, nisi post confirmationem factam à S. R. Congregatione: ita statuit ead. S. Congr. anno 1630, approbante Urbano VIII Si agatur de eligendo Patrono pro toto regno, omnes regni civitates convocandæ sunt ; delegati autem Civitatum vel Provinciarum non possunt validè dare suffragium pro electione Patroni, nisi à civibus speciale ad hoc acceperint mandatum. (Idem Decretum.)

4951. Eligi in Patronos nequeunt nisi qui in Ecclesiâ universali habentur ut Sancti ; nec sufficit quòd ut Beati colantur (idem Decret.). Vide *Analecta* (33e livr., col. 1759).

Cum iisdem formalitatibus eligendi sunt Patroni Secundarii (*Analecta*, 4e liv., col. 864, 865): electio Patronorum aliter facta est nulla ipso jure juxta Decis. 21 aug. 1640; excipiendi sunt Patroni habiti uti tales ante Decretum Urbani VIII. S. R. C., 6 apr. 1734. Vide De Herdt (pars 5, n° 34, 3°).

4952. — 2° Licet Festum Titularium Principalium sit celebrandum sub ritu duplici 1 classis cum Octavâ, prout celebrari debet Festum Patronorum principalium, attamen hæc est differentia in modo obligandi illorum, festorum quòd festa Titularium Principalium non sint de præcepto respectu fidelium; sed solùm Clerus ecclesiæ adscriptus tenetur illorum officium recitare, et missa ab ipso est celebranda sub ritu duplici 1 classis; si autem ageretur de Titulari Diœcesis à S. Pontifice assignato, totus Clerus diœcesanus teneretur officium illius celebrare sub eodem ritu duplici 1 classis cum Octavâ, non tamen fideles deberent illius festum observare nisi esset Patronus (Vide *Analecta*, 4e livr., col. 859, 865): etenim S. R. C. consulta à quodam Directore seminarii Aquensis, anno 1741, *an deberet fieri in totâ diœcesi officium cum Octavâ Titularis Ecclesiæ Cathedralis, aut Patroni:* respondit: *Affirmativè.* (Vide *Analecta*, *ibid.*, col. 866.)

4953. Econtra festa Patronorum Principalium fideles sive totius Nationis, sive Provinciæ, sive Diœcesis, sive Civitatis obligant ad auditionem missæ et ad abstentionem ab operibus servilibus, nisi per Indultum speciale in iis dispensentur prout hodie in Galliis: præterea non solùm ad recitationem illorum officiorum cum Octavâ tenetur Clerus, sed insuper ad applicationem missæ pro populo obligantur ii omnes quibus incumbit animarum cura.

4954. Regulares autem observare debent omnia festa populo præcepta; proinde tenentur ad officium Patronorum Principalium loci, Diœcesis, Provinciæ vel Regni, sed sinè Octavâ; item celebrare debent Festum Titularis Cathedralis, pariter sinè Octavâ. Ita S. R. C., anno 1838, in Responsione ad consultationem presbyterorum SS. Redemptoris, ap. Gardell., n° 4696. Vide *Analecta* (4e livr.,

col. 856, 867). — Anno 1834, S. R. C. consulta à Clero Dubliniensi declaravit « teneri regulares ad officium præci» pui Patroni loci, sub eodem ritu (ac Clerus sæcularis) » sed sinè Octavâ. » — Per Patronum loci intelligi debet etiam Patronus pagi si in eo sit specialis Patronus, non verò Patronus parochiæ matricis: id deducitur ex aliâ Decisione S. R. C., ap. Gardell., n° 4762. Vide *Analecta* (*ibid.*, col. 874, 875); et De Herdt (pars 4, n° 7).

4955. Obligationi divini officii non satisfaceret qui manens extra patriam, Patronorum illius officium recitaret. Ita S. R. Congr., apud Gardellini, 2642. Vide *Analecta* (*ib.*, n° 857).

4956. Haud possunt haberi plures Patroni Principales in Regno vel Provinciâ vel Diœcesi, etc., absque speciali Indulto Sedis Apostolicæ: Urbanus enim VIII in Constit. *Universa*, ubi enumerantur Festa de præcepto, sic habet: « Atque unius ex principalioribus Patronis in quocumque » Regno, sive Provinciâ, et alterius pariter principalioris, » in quâcumque civitate, oppido, vel pago ubi hos Patro» nos haberi et venerari contigerit. » Ex quo patet duo tantùm festa Patronorum Principalium celebrari posse tanquam de præcepto, nempe 1° Patroni Regni, vel Provinciæ, vel Diœcesis, et insuper 2° Patroni loci. Id confirmatum videtur ex Decis. S. R. C., anno 1764, pro diœcesi Calaguritanâ, et Calcedonæ in Hispaniâ. Vide *Analecta* (4° livr., col. 857).

Quando autem existit Patronus regni, non est celebrandum Festum patronale diœcesis, nisi in parochiis quæ non habent proprium Patronum. Ita S. R. Congr., apud Gardell., n° 1736 : vide *Analecta* (*ib.*, col. 867). Imò loca quæ non habent Patronum possunt facere Festum patronale Civitatis, etsi non sit Festum totius Diœcesis, ut consta ex Decis. 28 sept. 1658 pro *Calaguritanâ:* « Ad instantiam » Episcopi et Capituli Calaguritanæ Cathedralis, S. R. C. » declaravit festum SS. Emetherii et Celidonii Patronorum » Principalium Civitatis, à Clero sæculari Civitatis cele» brandum esse cum Octavâ; à regularibus sinè Octavâ. » In Diœcesi autem ubi non adsit proprius loci Patronus,

» similiter cum Octavâ; at ubi colitur Festum peculiaris » Patroni, nihil de Patrono Civitatis, vel attentâ consue- » tudine sub duplici majori tantùm sinè Octavâ. » Apud Gardell., nº 1786.

4957. An autem « diœcesani teneantur vacare ab operi- » bus sub præcepto die Principalis Patroni : responsum » fuit à S. R. Congr. diœcesanos non teneri ab operibus » vacare die Solemnitatis Patroni Civitatis, tum præsertim » si peculiarem Patronum habeant. » Vide Gardell., nº 1871. — Et ad hanc observationem non astringuntur diœcesani, etiamsi adesset immemorabilis consuetudo illa festa observandi, ut constat aliâ Decis. S. R. C., 12 nov. 1806. Vide *Analecta* (4ᵉ livr., col. 868).

4958. Quando adest Patronus Regni, et simul pro omni Diœcesi electus fuit Patronus à populo et Clero, Episcopo consentiente, eligi nequeunt in singulis locis Diœcesis nisi Patroni secundarii : id concluditur ex verbis supra relatis Const. *Universa* Urbani VIII (4956). Vide *Analecta* (*ibid.*, col. 875).

4959. Ex dictis Clerus alicui ecclesiæ adscriptus recitare debet officium Titularis ejusdem : per Clerum autem ecclesiæ adscriptum intelligi debent parochus, vice-parochus et vicarii, non verò cæteri sacerdotes sive sæculares sive regulares etiam in parochiâ commorantes, et munus confessarii vel aliud ministerium sacrum in dictâ ecclesiâ exercentes : ita S. R. Congr. : consulta enim à redactore Xalendarii Diœcesis Mechliniensis, anno 1844, an hujusmodi sacerdotes possent officium Titularis recitare, respondit : « Juxta aliàs decreta : *Negativè* : non enim censeri, » sed revera esse debent adscripti stricto servitio ecclesiæ » ut parochus et vice-parochi. » (Gardell., nº 4829, ad 1.) Nomine autem parochi intelligendi sunt etiam pastores amovibiles et verisimillimè etiam coadjutores parochi infirmi aut senis. Vide *Analecta* (4ᵉ livr., col. 878); juxta tamen eadem (col. 879, etc.), possent rectores ecclesiarum subjectarum recitare officium Titularis ecclesiæ matricis, sed non sub eodem ritu ac Clerus huic ecclesiæ adscriptus.

4960. Totus autem Clerus loci tenetur ad officium Patroni localis canonicè electi.

4961. S. R. Congr. consulta : « An Festum Titularis capellarum publicarum quæ existunt *in ædibus episcopalibus, seminariis, hospitalibus, domibus regularium*, domibusque privatis, celebrari debeat sub ritu duplici 1 classis cum *Credo et Octavâ* : — Respondit : *Negativè*, 12 nov. 1831. » Sed vide infra n° 4965.

4962. Festum Titularium altarium intra ecclesiam non est celebrandum per recitationem officii nisi in breviario præscriptum sit : ita S.R.C., 28 aug. 1628 (Gardell., n° 632). Missa tamen, juxta Gavant. et alios, de eo dici potest die ipsomet Festo, si hoc die missæ votivæ liceant, et agatur de Sancto canonizato, vel cujus nomen Martyrologio inscriptum sit : imò licet in eâ addere *Gloria in excelsis*, unde ut merè votiva non est habenda. Vide *Analecta, ibid.,* col. 881, etc.; De Herdt, pars 5, n° 34, 10°.

4963. Quidquid sit de antiquâ disciplinâ, hodie Ordines regulares speciales habere possunt Patronos : sic Ordini Minimorum S. Michael concessus fuit Patronus; sic Bened. XIV Fratribus Minoribus Conventualibus Patronum dedit S. Josephum; et sic de aliis pluribus Ordinibus religiosis.

4964. Præter festum Patronorum Ordinum, regulares celebrare debent etiam Festum Titularis ecclesiarum seu monasteriorum in quibus commorantur : et quidem sub ritu duplici 1 classis cùm Octavâ. Unde sic resumenda sunt Festa Patronorum à regularibus celebranda : 1° Festum principalis Patroni Regni, aut Provinciæ, aut Diœcesis sub ritu duplici 1 classis sinè Octavâ; 2° Festum Titularis Cathedralis Diœcesis intra quam situm est monasterium, sub eodem ritu duplici 1 classis sinè Octavâ; 3° Festum Patroni localis, non verò Titularis ecclesiæ loci, sub eodem ritu; 4° Festum Patronorum Ordinis sub ritu duplici 1 classis cum Octavâ, si sint Patroni principales, vel duplici majori si de Patronis secundariis agatur; 5° Festum Titularis propriarum ecclesiarum vel monasteriorum; insuper 6° celebrandum est Festum Fundatoris si sit cano-

nizatus et festum à competentibus Prælatis præcipiatur. Vide *Analecta* (4e livr., col. 882-884).

4965. 1 apr. 1852, responsum fuit à S. R. C., quoad oratoria Maristarum (quæ supponuntur quidem competenter benedicta, perpetuo cultui deputata, ostium habentia in viâ publicâ), festum tituli eorum esse celebrandum; ac ipsius commemor. et suffragium esse facienda ab iis tantùm qui habitant domos quæ prædicta oratoria habent annexa : quæ decisio applicanda esse videtur cæteris oratoriis in simili conditione positis, ut in hospitiis, seminariis, etc. Vide *Rev. des scienc. eccl.*, nº 48, p. 558, et nº 57, p. 271 et 272. Unde dicta supra (4961) sunt intelligenda solùm de oratoriis in ædibus conclusis. Sed de his v. opus : *Commun. à vœux simples*, nº 733, etc.

Nec Titulares nec Patroni strictè dicti debent mutari absque gravi causâ, quæ est approbanda à S. R. C. saltem si agatur de Patronis propriè dictis. Vide *Analecta* (*ib.* col. 851, 875) quæ allegant decis. S. R. Congr. in causâ *Fundanâ*, ap. Gardellini, nº 1734 ; et De Herdt, p. 5, nº 34, 7º.

DE COMMEMORATIONE PATRONORUM.

4966. Multùm inter se discrepant liturgistæ circa interpretationem rubricæ breviarii quâ indicitur commem. facienda de *Patrono vel Titulari* ecclesiæ, et circa Patronum nominandum in missâ dum recitatur oratio *A cunctis*, etc. — Disputant enim : 1º An per Patronum hìc sit intelligendus alius quàm Titularis ; et posito quòd ita sit tenendum ; 2º An de uno tantùm et de quo sit facienda commem., aut an de utroque ; 3º An possit aut debeat fieri commem., non tantùm de Patrono loci, sed etiam diœcesis, vel regni, etc.

Hujus dissonantiæ causa est quidem, saltem ex parte, quòd non benè discernatur, in præfatâ rubricâ, an particula *vel* sit adhibita in sensu disjunctivo, aut solùm explanativo, pro locutione nempe *id est* ; sed etiam videtur processisse ex varietate respons. S. R. C., quarum aliæ loquuntur solùm de unicâ commem. Titul., ut 23 sept. 1848, in causâ *Vapinc.*, nº 4980, quæ sic se habet : « An quoties in divino officio » locum habent commem. commun. seu suffr. SS. fieri debeat » commem. de Patr. loci ? an de Titul. eccl. ? an de utroque ? »

Resp. S. C. : « Serventur rubricæ et decreta. Cùm enim » in breviarii romani rubricis, tit. 35, habeatur quòd fa- » cienda sit commem. de *Titulari vel Patrono* ecclesiæ, li- » quidò apparet nil faciendum de Patrono loci, nisi in casu » quo insimul sit ecclesiæ Titularis, quod pluries sacra ipsa » Congregatio definivit, ac præsertim de anno 1690[1]. »

Aliæ mentionem faciunt de pluribus, etiam de Patrono loci, 12 sept. 1840, n° 4750; aut Religionis, 1 sept. 1607, n° 208, 2; et hoc tanquam necessarium, ut 7 jun. 1721, n° 3797; dum ex aliis hoc *esset ad libitum*, 8 apr. 1656, n° 1642, et 17 jun. 1679, n° 2747, 2. Vide *Anal.*, 8° livr., col. 1410, etc.

Tutius videtur esse adhærendum seq. dec. 22 jul. 1855, n° 5221, q. 6 : « Festum Corporis Christi est festum patro- » nale capellæ maj. seminarii Brioc., omnibus patentis fide- » libus... Aliunde festum S. Brioci est festum Titul., nec- » non Patroni urbis et diœc. Brioc. Igitur quær. : 1° Utrùm » professores, necnon seminaristæ, in major. constituti or- » dinibus, teneantur ad commem. festi Corp. Christi inter » suffragia ad Vesp. et Laudes, in diebus semi dupl. et » infra ? 2° Utrum iidem teneantur inter eadem suffr. ad » commem. S. Brioci... ?—Resp. quoad 1am quæst. : *affirm.* » si agatur de ecclesiâ publicâ. Quoad 2am quæst. : *affirm.* » *Rev. des sciences*, n° 57, p. 271. Ad ulteriores verò commem. faciendas non videtur esse obligatio.

Quoad autem missam, in orat. *A cunctis*, nominandus est Titul. eccl., si ecclesia sit publica; vel Patronus loci si missa celebretur in oratorio Titul. non habente. S. R. C. n° 4669, q. 31, et n° 4897, q. 2. Vide alias dec. *Rev. des sc.*, *ib.*, p. 275

4967. « Generaliter dicendum est, ait De Herdt, p. 4, n° » 69, III, 2°, eam comm. fieri ab iisdem à quibus officium » Festi.... tituli recitatur : hæc enim sunt correlativa ; et » rubricæ æquè obligant ad utrumque. Adeoque comm... » tituli ecclesiæ tantùm fieri potest et debet ab adscriptis » ecclesiæ, juxta dec. 4 sept. 1745, n° 4027, 8; et proinde » nulli eccl. adscriptus, vel omittit illam commem., vel » illam facere potest de Patr. loci, et si adsit consuetudo.

[1] Titularis enim ecclesiæ vocatur etiam *Patronus* quando est sanctus: si verò sit mysterium, dicitur tantùm *Titularis*.

» eamdem etiam facere tenetur juxta dec. 12 sept. 1840,
» n° 4750, 3. » Imò ex dec. modò dictâ pro seminario Brioc., ad eam videtur teneri seclusâ consuetudine.

Alumni seminariorum Titularis ecclesiæ seminarii commemorationem facere debent, juxta dicta (4965).

4968. Non tenentur quidem regulares comm. facere Patron. localium; sed eam facere debent de Patronis principal. suæ Religionis et Titul. ecclesiæ. Vide dec. 16 febr. 1781, n° 4252, 22, 23 et 17 jun. 1843, n° 4818.

4969. An idem sit dicendum de Congregat. in quibus vota fiunt tantùm simplicia ? Negant *Anal.*, 8° livr., col. 1418, ob dec. seq. : « Cùm fratres dictæ Congreg. (Jesu et Mariæ)
» sacr. ordin. initiati addunt in suffragiis comm. de sacro
» Corde Jesu et de S. Josepho, Patrono peculiari ejusdem
» Instituti : 1° tenenturne, ex rubr. citatâ, ad aliam com-
» mem. alicujus Patroni principalis loci, sive Titul. eccles.
» cath., sive protectoris civitatis ? 2° Similiter in orat. *A*
» *cunctis*, cùm subjungi debeat nomen Patroni vel Titul.
» eccl. nom. SS. Apost., in his vocibus *Atque Beato N.*,
» tenenturne ad addendum nomen vel Patroni principalis
» loci, vel Titul. eccles. cathedralis, vel protectoris civi-
» tatis, cùm jam in prædictâ oratione præmittant Apostolis
» nomen S. Joseph Patroni totius Congreg. ? 3° Possuntne
» præterea in orat. *A cunctis*, subjungere nomen Patroni
» Capellæ propriæ si habeat? — S. Congr. rescripsit : Quoad
» 1^am^ quæst., tenentur ad commem. Patroni, vel Titul. ut
» supra (et *supra* S. Congr. dixit hujusmodi religiosos obs-
» trictos esse ad officium Patroni diœcesis vel civitatis).
» Quoad 2^am^ quæst., ut ad 1^am^ ; quoad 3^am^, *negativè*. Die
» 13 sept. 1840. » Gardell., n° 4762, 3.

Quoad ultim. quæst., observandum est quòd S. C. non videatur supponere capellam, de quâ agitur, esse verè publicam.

4970. Quærit. an, post suppressionem Ecclesiarum Cathedralium vel parochialium post Concord. 1801 factam, subsistant in Galliâ veteres Patroni locorum aut Titul. ecclesiarum?

Resp. Ad solutionem hujus dubii observandum est quòd per suppressionem diœceseon vel parochiarum, videantur quidem fuisse necessariò suppressi Patroni diœceseon vel

parochiarum sicubi isti extiterint; sed non ideo per dictas suppressiones, sublati necessariò sunt censendi Patroni Titulares ecclesiarum sive Cathedralium sive parochialium: nam supprimendo diœceses vel parochias, S. Sedes non intendit sanè supprimere ecclesias quatenus ecclesias seu loca publica cultui divino consecrata: illæ ergo ecclesiæ sic permanenter cultui divino consecratæ, servare debuerunt suum unaquæque Titularem; insuper S. Sedes novas diœceses instituendo determinavit quinam habendi forent earum Titulares, ut videri potest in elencho annexo Bullæ executoriæ Concordati, *Qui Christi Domini* etc.: unde responsio ad supra dictam quæstionem nullam habet difficultatem quoad Titulares ecclesiarum, quorum tamen festum, ut supra diximus, non est de præcepto pro populo, sed quorum clerus iis ecclesiis adscriptus facere debet commemorationem diebus in rubricâ indicatis; quoad verò Patronos diœceseon vel Civitatum aut aliorum locorum, responsio non ita liquet: nam Bulla *Qui Christi*, determinando Titulares Patronos novarum Ecclesiarum Metropolitanarum aut Cathedralium, non ideo videtur assignasse diœcesibus Patronos propriè dictos: unde, nisi Patroni propriè dicti fuerint rursus electi pro singulis novis diœcesibus, ipsæ diœceses non videntur habere Patronos propriè dictos, cùm veteres Patroni necessariò fuerint suppressi cum diœcesibus, ac proinde parochi non sunt adstricti in talibus Festis ad applicationem missæ nisi sit dies Dominica.

Quoad autem parœcias, si præter Titulares Ecclesiarum aut Patronos locales, alicubi habeant speciales Patronos, tales suppressi necessariò videntur cum ipsis parœciis, sed non ideo suppressi necessariò fuêre Patroni locales: unde urbes et alia loca quæ olim habebant Patronos propriè dictos, tenentur illorum Festorum adhuc celebrare; non tamen tenentur fideles ad auditionem missæ vel ad abstentionem ab operibus servilibus, cùm in iis in Galliâ fuerint dispensati, sed eorum solemnitas est celebranda Dominicâ Festum subsequente, et die quo cadunt tenetur parochus ad applicationem missæ pro populo: illorum officium fieri debet sub ritu duplici 1 classis cum Octavâ à toto clero loci, etsi in eo plures parochiæ reperiantur.

(*Analecta*, 4ᵉ livr., col. 875, 876.) — De Herdt autem (pars 5, nº 34 7º) concedit quidem non fuisse suppressos Patronos locales, sed asserit suppressos fuisse Titulares ecclesiarum; sed non videtur quo solido fundamento id dicat: ex eo enim quòd suppressæ fuêre diœceses et parochiæ, non sequitur, ut modò dicebamus, suppressas fuisse ecclesias quæ olim erant Cathedrales aut parochiales; porrò si ecclesiæ non fuerunt suppressæ, nec eorum Titulares suppressi fuerunt.

ART. III.

DE JEJUNIIS.

§ I.

Quid et quot sint dies Jejunii.

4971. Præter dies festivos sunt etiam dies *Jejunii*, seu dies in quibus sumitur unica refectio post certam et statam horam, et abstinetur à carnibus.

Hujusmodi dies sunt: 1º *Tempus quadragesimale* in Ecclesiâ vigens à tempore Apostolorum: quod à pluribus sæculis incipit à die Cinerum usque ad Festum Paschæ, etsi quædam Ecclesiæ, ut Mediolanensis, retinuerint usum illud incipiendi duntaxat à primâ Dominicâ Quadragesimæ exclusivè. — Non tamen jejunatur diebus Dominicis Quadragesimæ, sicut nec in aliis Dominicis, sed in Dominicis Quadragesimæ abstinentia præcipitur: cap. *Consilium, de observant. jejuniorum.*

4972. « Quamvis, inquit S. Liguor. (lib. 3, nº 4), ex
» cap. *Sacerdos*, causa 26, q. 7, vetetur jejunare in die
» Dominicâ, ad extirpandam hæresim Manichæorum ne-
» gantium resurrectionem Christi Domini, qui tamen mor-
» tificationis causâ jejunaret, non peccaret, ne leviter
» quidem, ut ait Viva...; imò mereretur, cùm talem hære-
» sim jam Ecclesia aboleverit, etsi Salm... dicant meliùs
» esse abstinere à tali jejunio..., et ideò communiter docere
» DD. quòd jejunium promissum in die Dominicâ possit
» in Sabbato adimpleri : et si quis voveret jejunare per
» mensem non teneri in die Dominicâ, nisi expressè in-
» tenderit. »

4973. — 2° *Jejunium Quatuor temporum :* 1° videlicet in primâ hebdomadâ Quadragesimæ; 2° in hebdomadâ Pentecostes; 3° in hebdomadâ septembris cujus feria IV sequitur festum Exaltationis S. Crucis; 4° in hebdomadâ quæ præcedit festum Natalis Domini. De his sic habet S. Leo Papa (*sermo* 8) : « Quæ jejunia, ex doctrinâ Spiritûs Sancti, » ita per totius anni circulum distributa sunt ut lex ob- » servantiæ omnibus sit adscripta temporibus : siquidem » jejunium vernum in Quadragesimâ, æstivum in Pente- » coste, autumnale in mense septimo, hyemale autem in » decimo celebramus» : observatur ergo jejunium quater in anno, et toties fit quartâ, sextâ feriâ simul et sabbato.

4974. — 3° *Jejunium plurium vigiliarum*, nempe Natalis Domini, Pentecostes, Assumptionis, Beati Joannis Baptistæ, singulorum Apostolorum (quibusdam tamen exceptis), et Omnium Sanctorum. De his hæc leguntur in cap. *Consilium* 2, *de observ. jejun.* : « Omnium Apostolo- » rum vigiliæ sunt observatione jejunii celebrandæ, præter » vigilias Apostolorum Philippi et Jacobi et B. Joannis » Evangelistæ, quoniam ipsorum Solemnitas, intra Solem- » nitatem Paschatis, istius autem intra Natalem Domini » celebratur... Sanctorum quoque vigiliæ, quorum festi- » vitates oportet secundâ feriâ celebrari, in præcedenti » sunt sabbato jejunandæ. De festivitate verò B. Bartholo- » mæi Apostoli, de cujus celebratione dubietas oritur apud » quosdam, respondemus quòd in hoc consuetudinem tuæ » regionis observes. »

4975. In cap. autem *Ex parte* 1, ejusd. tituli, Innocent. III statuit quòd si Nativitas Domini, aut Assumptio B. Mariæ, vel festivitas aliquorum Apostolorum incidat feriâ II, jejunium fieri debeat sabbato præcedenti; et in cap. *Explicati* 3, ejusd. tituli, Honorius III decernit : « Quòd illi qui nec voto nec regulari observantiâ sunt » astricti in feriâ VI, si festum Nativitatis Dominicæ die » ipso venire contigerit, carnibus, propter Festi excellen- » tiam, vesci possunt, secundùm consuetudinem Ecclesiæ » generalis. »

Non tamen fuit olim perfecta unanimitas in hujusmodi

jejuniis observandis : in quibusdam enim diœcesibus non observabatur jejunium quarumdam vigiliarum Apostolorum; imò in certis locis omittebatur jejunium vigiliæ Pentecostes. (Lequeux, n[is] 1003 - 1009.)

4976. In Galliâ eodem Decreto quo sublatæ fuêre pleræque Festivitates de præcepto, pleraque etiam vigiliarum jejunia fuerunt sublata : « Sanctitas Sua..., inquit Cardin.
» Caprara (in suo Indulto pro reductione Festorum, 9
» april. 1802), nobis injunxit ut de Apostolicæ potestatis
» plenitudine, Festorum dierum, qui iidem Dominici non
» sint, numerum ad eos tantùm in universo Galliarum
» Reipublicæ territorio contractos esse declararemus, quos
» ad calcem Indulti hujus enumerabimus, ita ut posthac
» in reliquis festis diebus, omnes ejusdem incolæ, non
» solùm à præcepto audiendi missam, vacandique ab ope-
» ribus servilibus, sed à *jejunii etiam obligatione in diebus*
» *qui festa hujusmodi proximè præcedunt*, prorsus absoluti
» censeantur et sint. »

4977. Unde suppressa fuêre jejunia quæ præcedunt Festa S. Joannis Baptistæ et Apostolorum. An autem suppressum fuerit etiam jejunium vigiliæ SS. Apostolorum Petri et Pauli? plures suppressum autumârunt, inter quos Episcopi Bellicensis (*Rituel de Belley*, tom. 1, n° 264), Bisuntinus, Suessionensis, Aquensis (D. Boissonnet, *Dict. des décrets*, v° *Jeûne*, § 3); André (*Cours de Droit canon*, v° *Jeûne*); secus tamen plures alii opinati sunt, et jam 15 junii 1802, Archiepiscopus Parisiensis DD. Du Belloy præscripserat hoc jejunium pro sabbato quod præcedit Dominicam, ad quam Solemnitas SS. Apostolorum Petri et Pauli est remittenda, juxta supradictum Indultum. Idem peregerat DD. Becherel Episcopus Valentinensis, qui, 23 sept. 1803, in Instructione pastorali sic aiebat : « Les
» abstinences et les jeûnes qui avaient lieu les veilles des
» fêtes transférées, sont également renvoyés aux samedis
» veilles de ces fêtes. »

Re quidem verâ, in supra dicto Indulto supprimuntur jejunia vigiliarum festorum suppressorum; sed cùm inter illa festa sint quædam quæ non sunt omnino suppressa,

sed solùm eorum Solemnitas sit remissa ad Dominicam subsequentem, illa suppressio jejunii intelligi quidem debet quoad vigiliam diei in quam cadunt festa hujusmodi, si non sit Dominica; sed non ideò necessariò intelligi debet de vigiliâ diei ad quam Solemnitas eorum remittitur. Hìc enim agitur de derogatione faciendâ juri communi; porrò in his verba sunt strictè intelligenda. Et reverà sic suum Indultum interpretatus est ipsemet Cardinalis Legatus: consultus enim à Vicario Generali Archiepiscopi Mechliniensis, sic respondit, 21 junii 1804: « Jejunium vigiliæ » SS. Apostolorum Petri et Pauli observabitur in sabbato » ante dominicam Solemnitatis dictorum SS. Apostolo- » rum. » Et hanc decisionem confirmasse videtur S. Sedes: etenim 22 sept. 1838, postulantibus Episcopis Belgicis ut in posterum jejunium vigiliæ SS. Petri et Pauli observaretur in Belgio, die 28 junii, prout fiebat antiquitùs, Sanctitas Sua tantùm eis concessit ut sic fieret quando dictum Festum sabbato incidebat, ne jejunaretur ipsomet die Festo. (D. Boissonnet, *Dict. des décrets*, v° *Jeûne*, § 2.)

Jam anno 1833, S. Congr. Inquis. eamdem responsionem dederat Episcopis Belgii: « In Congregatione Generali » S. Romanæ et Universalis Inquisitionis, habitâ in con- » ventu S. Mariæ supra Minervam..., propositâ supra » scriptâ instantiâ, et præhabito voto DD. Consultorum, » iidem Eminent. et RR. rescribi mandaverunt: — *Jeju-* » *nium in pervigilio Festivitatis SS. Apostolorum Petri et* » *Pauli esse servandum* » (ap. *Prælect. S. Sulpitii*, n° 484). Per illud autem *pervigilium Festivitatis* intelligunt sanè Eminentissimi *pervigilium* Solemnitatis: alioquin contradicent decisioni 22 sept. 1838 supra relatæ.

Attamen legitur apud D. Boissonnet (*ibid.*, § 1) responsio S. Sedis facta Episcopo nostro Valentinensi, ubi dicitur: « Sanctissimus... nihil innovari mandavit quoad » vigiliæ jejunium, sed permanere debere die assignatâ » 28 junii. » At videtur existimasse S. Sedes consuetudinem fuisse, in diœcesi Valentinensi, jejunandi 28 junii: quæ consuetudo reverà non vigebat, sed introducta fuit, in dictâ diœcesi, post præfatam responsionem, donec fuit

sublata à RR. DD. Lyonnet qui jejunium remisit in sabbatum Solemnitatem præcedens.

Ex concessione autem Sedis Apostolicæ jejunium præfatum non obligat in quibusdam diœcesibus, v. g., in Diœcesi Aquensi.

4978. Præter dies jejuniorum, sunt etiam alii dies in quibus à carnibus est abstinendum, nempe dies veneris et sabbati in singulis hebdomadibus, excepto tamen casu quo Nativitas Domini iisdem diebus accideret, ut constat ex cap. *Explicat.* 3, *de abst. jejun.*

§ II.

De observatione Jejuniorum.

4979. Præceptum jejunandi obligat sub gravi omnes fideles qui 21 annum attigerunt, nec habent rationem quâ possint ab eo excusari. Ita communiter.

Tria autem requiruntur ad ejus adimpletionem : 1° ut fiat unica tantùm comestio in die in ordine ad nutritionem; 2° ut abstineatur ab esu carnium, imò, in quibusdam jejuniis, ab esu ovorum et lacticiniorum; 3° ut nonnisi certâ horâ, id est circa meridiem, fiat illa refectio.

4980. — I. *Requiritur unica refectio*, à mediâ nocte ad mediam noctem sequentem : unde prandium non debet interrumpi moraliter ; quænam verò interruptio moralis sit censenda, ita ut refectio jam ampliùs non sit una? non omnino in hoc concordant DD.; procul dubio, inquit S. Lig. (lib. 3, n° 1020), per horam interrumperetur : casu tamen quo negotium intercederet, juxta probabilem plurium sententiam, nec etiam per duas horas fieret moralis interruptio respectu illius qui non sufficienter se refecit; imò Croix, cum aliis quibusdam, adhuc probabiliter asserit posse eum ad prandium redire, quantumcumque sit serò, dummodo retinuerit intentionem redeundi ; meritò autem S. Liguorius putat posse ad prandium redire eum qui non sufficienter se reficit, etiamsi non habuerit intentionem

redeundi, si non posset tolerare jejunium sinè magno incommodo.

Qui surrexit à mensâ animo non ampliùs comedendi, probabiliter potest iterum ad eam redire si convivæ adhuc comedant, vel si in mensâ aliud apponatur ferculum quod ille ignorabat afferendum.

Non rectè autem dicitur à quibusdam quòd is, qui causâ itineris mane jentaculum sumpsit, non tenetur ad jejunandum si postea non proficiscatur, nisi is non posset reliquo die commodè jejunare; nam aliàs, cùm essentia jejunii non adhuc sit destructa, utique tenetur jejunare. (S. Liguor., lib. 3, 1020.)

1981. Probabiliter DD. asserunt posse prandium usque ad duas horas protrahi; imò quidam dicunt posse sumi cibos leviores (*dessert*) si post duas horas apponantur; maximè si postea vesperi omittatur refectiuncula : sed de hoc S. Liguorius dicit : *Nec approbo, nec reprobo* (*ib.*, q. V). Probabiliter etiam excusantur qui aliquid sumunt, ne vires deficiant quando differre debent prandium ultra solitam horam. (S. Liguor., *ib.*, n° 1019, *in fine.*)

1982. Potus quidem sumi potest extra prandium, juxta axioma : *liquidum non frangit jejunium*, et ne potus noceat, sumi potest aliquid, v. g., 5 vel 6 amygdalæ, vel quid simile, dummodo non in fraudem jejunii et rarò fiat (S. Liguor., *ib.*, 1017). Disputatur tamen an liceat vinum potari : sed etsi antiqui christiani à vino se abstinerent diebus jejunii, hodie certè potio hæc non est interdicta, etiam extra comestionem, si sumatur ad sedandam sitim, vel ad digestionem juvandam : et patet ex cap. *Denique*, dist. 3. Dubitatur an etiam sit licita, si sumatur ad sedandam famem : sententia quæ affirmat probabilior vocatur à S. Liguor., quia finis legis non cadit sub præcepto (*ib.*, n° 1022). — Secus est dicendum de lacte, jusculo et similibus, quia sumuntur non ad potum, sed principaliter ad nutriendum; idem à fortiori dicendum de uvis, et etiamsi quis solum succum deglutiat; et idem de peponibus (*pastèques*) et malis aureis (*oranges*). S. Liguor. (*ib.*, n° 1021). Sed certè non frangit jejunium potus cervisiæ ex hordeo et cerasis

confectæ, aut aquæ mixtæ saccharo et succo cinnamomi, vel mali cedrini vulgò *limonade*, modò parva quantitas sacchari in magnâ aquæ quantitate misceatur (S. Liguor., *ib.*, n° 1022); idem dic de usu cafeti.

4983. Quærit. 1° An liceat sumere aliquid cibi ante potum ne iste noceat?

Resp. Quidam dicunt id licere *toties quoties* libuerit sinè fractione jejunii : meritò tamen id negant alii qui nihilominus communissimè asserunt idipsum licere si non fiat frequenter, sed semel aut iterum in die. (S. Lig., *ib.*, 1018; *Homo apostolic.*, tract. 12, n° 11.)

4984. Quærit. 2° An electuaria frangant jejunium?

Resp. Certè jejunium non frangunt potiones *cafeti* et herbarum vulgò *thé* nuncupatarum. Quoad verò electuaria quæ ex saccharo et junipero aut aliis rebus conficiuntur et dicuntur vulgò *conserves*, majus est dubium : S. Thomas dicit ea non solvere jejunium « nisi fortè aliquis in » fraudem electuaria in magnâ quantitate assumat per » modum *cibi*. » Sed disputant DD. an hæc sententia sit admittenda, quando electuaria sumuntur ob solam delectationem; quidam affirmant; negat verò S. Liguor., quia ideo electuaria licitè sumuntur in parvâ quantitate eò quòd. cùm assumantur ut medicamentum, adest sufficiens causa excusans à veniali; si verò sumantur ob delectationem, deficit causa ; neque valet paritas vini ab adversariis opposita: nam vinum per se habet rationem potûs et non cibi, quam per se habent electuaria. (S. Lig., lib. 3, n° 1019.)

4985. Quærit. 3° An potio chocolatûs jejunium frangat?

Resp. Auctores non concordare circa solutionem hujus dubii, et communiter in Italiâ, etiam Romæ, chocolatum sumi mane diebus jejunii etiam à viris piis et religiosis. Vide S. Liguor. (*ib.*, n° 1023), qui asserit hoc esse licitum præsertim ob consuetudinem, et posse sumi unam chocolatûs unciam cum dimidiâ sacchari in quantitate aquæ quæ de more solet in usualibus cyathis adhiberi. P. Gury etiam licitum putat, modò non excedatur pondus duarum unciarum : scilicet semiuncia panis, uncia chocolatûs, et semiuncia sacchari (tom. 1, n° 510); sed cùm dicta consuetudo

non vigeat apud nos, licitum non videtur hujusmodi potionem sumere in Galliâ diebus jejunii, nisi quis ægrè vel difficilè posset aliàs jejunare, quia est cibus et non potus.

1086. Quærit. 4° Quid sentiendum sit de cœnulâ seu refectiunculâ vespertinâ vulgò dictâ *collation*.

Resp. « Antiquitùs, ait S. Liguor. (*ib.*, 1025), præter » unicam comestionem nulla alia refectio permittebatur. » Tractu temporis introductum fuit aliquid parum sumere » fructuum, herbarum, aut dulciarium ad medicinam, ne » potus noceret, ut testantur D. Antonin. et Cajetan. de » suo tempore. Postmodum consuetudo obtinuit, etiam ad » nutriendum sumere aliquid panis et fructuum, usque » ad tres vel quatuor uncias, ut aliqui DD. dicebant, vel » quatuor uncias ut alii putabant. Recentiorum autem, » quoad quantitatem pertinet, alii... dicunt ex consuetu- » dine permitti jejunantibus quartam partem cœnæ... » meliùs alii communiter asserunt permitti in collatiun- » culâ octo uncias cibi..: justâ ex causâ poterit esse ma- » joris ponderis...; quapropter cùm censeant Salmantic., » etc., duas uncias in refectiunculâ non reputari excessum » gravem, consequenter tenere debent eum à culpâ excu- » sari, qui majori indiget nutrimento, et per duas tan- » tùm uncias cœnulam excedit. Cæterùm quantitas octo » unciarum ita hodie usu recepta est, ut indistinctè per- » mittatur, etiam iis qui cum illâ ad satietatem reficiuntur; » ut dicunt Sporer..., Croix.., cum communi. » Addit insuper S. Liguor. quòd ex consuetudine, quantitas duplo major permittatur in vigiliâ Nativitatis Domini, nisi quis in meridie antevertat refectiunculam, ut probabiliùs tenet Sanchez. In suo opere *Homo Apostolicus* (tract. 12, n° 16) 16 uncias permittit, etiamsi vigilia Nativitatis incideret in sabbato Quatuor Temporum, quando nempe Festum accidit Feriâ II. Idem non est dicendum de vigiliâ Paschæ et Pentecostes, licet Viva et Sanchez in eâ permittant decem vel undecim uncias, ob consuetudinem. (S. Liguor., *ib.*, n° 1025.)

1087. Quærit. 5° An in collatiunculâ indifferenter sumere liceat quoslibet cibos diebus jejuniorum non vetitos?

Resp. Posse certè comedi panem, fructus, oleas, herbas et dulciaria.

Quidam dicunt quòd, attentâ modernâ consuetudine, non est attendenda qualitas ciborum, sed tantùm quantitas : unde in collatiunculâ sumi possunt legumina, etiam pisces et ova, diebus quibus eis vesci licitum est; huic autem opinioni non est universè acquiescendum, juxta S. Liguor. (lib. 3, nº 1027) : nam ex consuetudine ova rejiciuntur : tantùm, præsertim in regionibus frigidioribus, à pluribus permittitur sumere parum casei vel butyri; imò quidam hæc indiscriminatim ubiquè permittunt, modò non sumatur plus quàm uncia casei, vel ad summum una cum dimidiâ. Idem ait Palaus de biscoctis cùm ovis, vel butyro confectis, modò eorum non sumatur plus quàm una vel altera uncia; sed ex responsione S. Pœnitentiariæ à S. Liguor. relatâ, et Bullâ Clementis XIII *Appetente*, 20 decembr. 1759, hæc illicita sunt in collatiunculâ, diebus quibus vetita sunt ova et lacticinia. S. Liguor. (*ib.*, nº 1027; et *Homo apostol.*, tr. 12, nº 19). P. Gury, nº 516, dicit quòd generatim in Galliâ uti liceat caseo in cœnulâ, et in variis locis butyro, ob hodiernam consuetudinem. Vide etiam DD. Gousset, *Théologie morale* (tom. 1, nº 296).

Quoad pisces ex modernâ consuetudine permittuntur in modicâ quantitate, nempe duæ vel tres unciæ piscis etiam majoris. (S. Liguor., *ib.*, nº 1028.)

Etsi comedi possint octo unciæ panis, tamen dubitatur an comedi possint si coquantur cum aquâ et oleo, et juxta S. Liguor. cum pluribus aliis, sententia negans est sola admittenda : tum quia tale ferculum non est consuetudine admissum, tum quia per decoctionem cum aquâ et oleo, panis fit substantia major : non improbat tamen S. Liguorius, si sumerentur quinque unciæ panis cocti ; et idem dicendum de leguminibus aquâ decoctis (*Homo apostolicus*, tr. 12, nº 18). Si comedantur herbæ vel legumina cum condimento aceti et olei, in pondus sunt computanda oleum et acetum, quia non habent rationem potûs, sed cibi.

4988. Circa cœnulam nota quòd essentialiter jejunium non frangatur si collatio intervertatur, et fiat meridie vel circa decimam horam; proinde peccatum non esset mortale, si sinè causâ justâ id fieret; imò ex consuetudine hodiernâ hoc videtur esse licitum.— P. Gury (tom. 1, n° 522).

4989. Quærit. 6° Quænam requiratur quantitas cibi ut peccatum sit mortale quando comeditur ultra prandium et cœnulam in diebus jejunii?

Resp. Si comedatur caro, peccatum habetur ut mortale si comedatur media uncia; imò, juxta Salmanticenses, si comedatur ultra octavam partem unciæ. « Il nous » paraît, inquit Cardin. Gousset (*Théolog. mor.*, t. 1, » n° 301), que celui qui mangerait une portion ordinaire » d'un plat de jardinage ou de légumes assaisonnés au » lard ou à la graisse, s'il n'en mangeait qu'une fois dans » la journée, ne pécherait que véniellement (contra præ- » ceptum abstinentiæ); il en serait de même, à notre avis, » pour celui qui mangerait de la soupe grasse. »

4990. Si alii cibi permissi sumerentur, peccatum non esset mortale, si solùm comederentur duæ unciæ; sed grave esset si æquivaleret collatiunculæ, imò, juxta plures, quatuor unciis (P. Gury, n° 512) : circa quod attendenda est propositio 29 ab Alexandro VII damnata, quæ sic habet : « In » die jejunii qui sæpius modicum quid comedit (etsi nota- » bilem quantitatem in fine comederet) non frangit je- » junium. »

4991. *Nota* quòd juxta sententiam quæ à S. Liguor. (*ib.*, n° 1030) dicitur probabilior, ille qui jam bis, saltem culpabiliter, comedit in notabili quantitate, die jejunii, non ampliùs peccaret, saltem graviter, iterum comedendo: quia post binam comestionem, jejunium jam observari nequit, cùm consistat in unicâ comestione, proinde cessat præceptum illud observandi. Aliter est dicendum de eo qui pluries comedit cibos vetitos : toties enim quoties comedit in hoc casu peccat. (*Homo apost.*, tract. 12, n° 20.)

4992. — II. Requiritur ad jejunium abstinentia ab esu

carnium, *et*, saltem si agatur de Quadragesimâ, requiritur abstinentia ab esu ovorum et lacticiniorum : et quidem ab omnibus admittitur quòd hæc abstinentia requiratur *sub gravi*, si de carnibus sit quæstio : communis est etiam sententia vetitam esse sub gravi comestionem ovorum et lacticiniorum in Quadragesimâ : undè damnata est ab Alexandro VIII propositio sequens : « 32. Non est evidens quòd » consuetudo non comedendi ova et lacticinia in Quadragesimâ obliget. » Plures autem contendunt hanc comestionem non esse vetitam diebus Dominicis Quadragesimæ ; sed ex cap. *Denique*, distinct. 4, constat etiam dies Dominicas esse comprehendendas in prohibitione : et hæc sententia est tenenda, juxta S. Lig. (lib. 3, n^is^ 1003-1007).

4993. Diximus *saltem si agatur de Quadragesimâ*, quia in aliis jejuniis, controvertitur an sit abstinendum ab ovis et lacticiniis : imò communis sententia cui S. Liguorius et plures alii adhærent, tenet non vetari hujusmodi cibos in aliis jejuniis præterquam in Quadragesimâ, quia cap. *Denique* loquitur de solâ *Quadragesimâ*. Romæ tamen ab iis abstinetur diebus jejunii quæ ubique obligant.

4994. Nota quòd dispensatus quoad carnes etiam lacticiniis et ovis possit vesci, non autem vice versâ. Busembaum, ap. S. Liguor., lib. 3, n° 1005.

In longâ inediâ per plures dies in quâ aliud quàm panis haberi non potest, licitum est, juxta plures, non solùm vesci lacticiniis, sed etiam carnibus. Sententiam Sanchesii qui non excusat pauperes qui oleo carentes, herbas larido præparant rigidam æstimat S. Liguorius, si carentia olei in Quadragesimâ per notabile tempus, nempe per hebdomadam duraret (*ib.* n° 1008). Imò plures volunt usum laridi assimilandum esse usui lacticiniorum; sed S. Liguorius cum communi hanc sententiam non approbat; addit tamen (*ib.*, n° 1010, *in fine*) : « Si verò adsit in aliquo loco diversa » consuetudo, hanc servandam esse dicit Busembaum. »

4995. Asserit autem S. Liguorius (*ib.*, n° 1008, 3°) rusticos qui non habent ad vescendum nisi panem, herbas aut legumina, minimè teneri ad unicam comestionem; et idem dicit de eo qui mane non haberet prandium sufficiens

ad se pro totâ die sustentandum, vel si in die præcedenti inediam sit passus.

4996. Quærit. 1° Quorumnam animalium carnes censendæ sint vetitæ diebus abstinentiæ?

Resp. « S. Thomas (2, 2, q. 147, art. 8) ait interdici » carnes omnium animalium in *terrâ nascentium* et *respi-* » *rantium*...; sed magis... attendenda est communis æsti- » matio fidelium, ac judicium medicorum, si reputent » carnes vel pisces...; hinc dicunt Tambur..., Concina... » non vetari carnes limacum, testitudinum, ranarum, » locustarum et concharum : ratio quia hujusmodi anima- » lia... æquiparantur piscibus, cùm vix habeant sangui- » nem, vel sanguinem frigidum, vel nutriuntur piscibus, » aut in aquis ad instar piscium...; idem aiunt Milante, etc., » de viperis..., idem Elbel... de lutris, castoribus, fibris » et anatibus cujusdam generis...; aves tamen..., licet » aliquæ nutriantur in aquis, habentur ut veræ carnes » prout sunt fulicæ, corvi marini et similes. » S. Liguor. (*ibid.*, n° 1011). « Cependant sur cet article, inquit DD. » Gousset (*Théol. morale.*, tom. 1, n° 294 *in fine*), comme » sur plusieurs relatifs au jeûne, on doit suivre l'usage » des lieux et des diocèses où l'on se trouve : circa absti- » nentiam diversæ consuetudines existunt apud diversas » quas quisque observare debet, secundùm morem eorum » inter quos conversatur. S. Thom. *Sum.* pars 2, 2, q. 147, » art. 8. » — « Apud nos, inquit Lequeux (n° 1024), tolerari » videntur ardeæ (*les hérons*); fulicæ (*les poules d'eau*) » corvi aquatici (*les macreuses*); non verò tolerati repu- » tantur anates, anseresve feri qui naturâ non differunt à » domesticis. »

4997. Quærit. 2° An dispensati ad carnes possint simul edere carnes et pisces diebus prohibitis?

Resp. Negativè : prout constat Encycl. Ben. XIV *Non ambigimus*, et præsertim altera ejusdem Encycl. *Si fraternitas* quæ initio Theologiæ S. Liguor. leguntur. Imò ex resp. S. Pœnitenti. 16 junii 1834, prohibitio hæc comprehendit etiam casum quo pisciculi sale siccati, harengi, cancri (écrevisses) ostreæ (huîtres), aliaque testacea marina.

præfatis diebus simul cum carne ederentur; et hoc pariter ad limaces et ranas extendit Gury, in suo opere : *Casus conscientiæ*, t. 1, nº 489.

Prohibitio autem est intelligenda, non solum de epulis publicis, sed etiam de privatis (S. Lig. l. 3, 1014, et *Homo Apost.* tr. 12, nº 7). Ibidem dicitur quod ex C. *Fraternitas* deduci potest Pontificem non interdixisse pisces dispensatis quoad ova et lacticinia tantum.

Nota non esse prohibitum ei qui in una refectione carnes comedit, edere pisces in alia in qua carnes non eduntur, modo a jejunio legitime sit dispensatus (Gury., *ib.*, nº 488).

4998. Idem Ben. XIV, in Encycl. *Libentissime*, 10 junii 1745, plura dubia solvit, nempe : 1º quod duo prædicta præcepta de unica comestione et de non permiscendis epulis obligent sub gravi; 2º quod pro dispensatis ad carnes licitæ sint etiam carnes insalubres, saltem extra Statum Roman.; interdicti vero pisces si simul apponerentur; 3º quod præceptum de dictis epulis non permiscendis, dominicas Quadragesimales comprehendat et dies jejunii extra quadragesimam; sed juxta præfatam S. Pœnit. non est extendendum ad dies quibus abstinentia sola præcipitur. (Gury, *ibid.*, nº 488.)

4999. Ex præfata declar. S. Pœnitentiariæ et sententia plurium DD., dispensati ad carnes vesci possunt, non tantum ovis et lacticiniis, sed etiam piscibus, si comedant duntaxat pulmentum carnium jure decoctum : quia tunc non miscentur carnes cum piscibus, et prohibitio Pontificis est stricte intelligenda (S. Lig., l. 3, 1015).

An vero naturaliter circa legem jejunii et abstinentiæ dispensatus, possit licite pisces carnibus admiscere, controvertitur, juxta Gury. De hoc interrogata S. Pœnitentiaria respondit : *Consulat quisque probatos auctores.* (Ibid.)

5000.—III. Requiritur ad jejunium certa hora refectionis, scilicet circa meridiem, nisi aliud loci consuetudo fuerat. Id tamen non mathematice computandum, sed moraliter.

Primitus quidem hora refectionis erat vespertina post

solis occasum ; deinde anticipata est ad horam nonam seu tertiam post meridiem : verùm à sæculo XIV, mos introductus fuit ut refectio ad horam sextam seu ad meridiem sumeretur.

5001. Disputatur an sit mortale notabiliter sinè causâ anticipare prandium diebus jejunii : sententia quæ tenet esse tantùm veniale, communior et probabilior vocatur à S. Liguor., in suâ *Theologiâ Morali*, quia hora non est de essentiâ jejunii; sed in suo opere *Homo Apostolicus* (tr. 12, n° 31), re meliùs investigatâ, non ampliùs probabilem existimat hanc sententiam ; porrò communiter ut notabilis non habetur anticipatio quæ non esset ultra horam ; Theologia Tolosana vocat notabilem anticipationem quæ esset trium horarum ante meridiem (tom. 5, *app.* 3, art. 3, § 2, 3°). « Cæterùm, inquit S. Liguor., omnibus » licitum est anticipare infra horam, etiam sinè causâ » (*ib.*, lib. 3, n° 1016).

§ III.

De causis à Jejunio excusantibus.

5002. Quatuor sunt causæ à jejunio excusantes : 1° dispensatio ; 2° impotentia ; 3° labor ; 4° pietas.

Prima igitur causa excusans est *dispensatio*, quæ dari potest : 1° à S. Pontifice pro universâ Ecclesiâ, validè etiam sinè causâ quamvis illicitè : in hoc sat probabiliter dicitur à pluribus S. Pontificem peccare tantùm venialiter, modò scandalum aut aliud damnum grave non adsit. *Nota* quòd casu quo generalis datur dispensatio ex causâ sufficienti, non peccent eâ utentes, etsi singuli non habeant rationem quæ fuit causa dispensationis : vide *Manuel d'un jeune prêtre* (tom. 2, p. 221) ; modò adimpleant ea quæ fuerint imposita, v. g., detur eleemosyna pro seminariis, etc.

5003. — 2° Ab Episcopis cum suis subditis pro casibus occurrentibus, sed nonnisi ex justâ causâ ; aliàs dispensatio esset nulla. Vide dicta supra (968, 975, 977), ubi diximus ex Bened. XIV Episcopos, etiam cum causâ, non posse

generaliter dispensare in lege jejunii; nec posse in hâc provinciâ Avenionensi allegari consuetudinem ad legitimandam hujusmodi potestatem. Vide etiam *Homo apostolic.* (tract. 12, n° 22). Vicarii autem Generales indigent speciali facultate ut possint dispensare vel dare facultatem dispensandi in lege jejunii. Cf. App. XXVI.

5004. — 3° A parochis, etiam præsente Episcopo, juxta sententiam quam S. Liguor. vocat *valde probabilem;* et etiam à vicariis, nisi parochus expressè repugnet: vide dicta supra (1437); — non tamen à confessariis, nisi sint privilegiati, quia non habent jurisdictionem in foro externo (S. Liguor., *ib.*, 1031).

5005. — 4° Possunt etiam dispensare cum suis subditis, et adhuc cum semetipsis omnes Prælati religiosorum, etiam inferiores, atque Vicarii superiorum localium: quia veram habent jurisdictionem in subditos suos.

5006. Non est idem dicendum de Abbatissis, aliisque Superiorissis monialium, quia jurisdictionem spiritualem non habent: sed possunt in aliquo casu declarare subditas suas ad jejunium non teneri. S. Liguor., lib. 3, n° 1022.

5007. In casibus recursûs ad Superiores pro obtinendâ dispensatione, maximè est advertenda regula data à S. Thomâ (2, 2, q. 147, art. 4): « Si causa sit evidens, » per seipsum licitè potest homo Statuti observantiam » præterire, præsertim consuetudine interveniente, vel si » non posset de facili recursus ad Superiorem haberi; si » verò causa sit dubia, debet aliquis ad Superiorem recur» rere, qui habet potestatem in talibus dispensandi. »

5008. *Secunda* causa excusans à jejuniis est *impotentia*, quæ *physica* potest esse vel *moralis.*

1° Ex impotentiâ *physicâ* excusantur infirmi, quibus ex jejunio timendum est notabile damnum, quales sunt qui febre tertianâ vel quartanâ laborant, aut qui ab eâ immediatè convaluerunt; debiles qui unâ vice alimentum sufficiens sumere nequeunt; prægnantes, lactantes quibus aliquando etiam permittuntur carnes: imò prægnantes peccarent, si pluries jejunarent.

Diximus supra (4995) excusari à jejunio pauperes qui

non habent prandium sufficiens ad se sustentandum, vel qui alios non habent cibos præter prohibitos. (S. Liguor., lib. 3, n° 1031.)

5009. — 2° Ex impotentiâ *morali* excusantur ii qui jejunium observare non possunt sinè magno incommodo : hinc non tenentur jejunare ii quibus jejunium affert gravem capitis dolorem; qui non possunt noctu calefieri, vel notabiliter somno privantur : nec isti videntur teneri cœnulam mane sumere, quia hoc eis afferret ordinariè grave incommodum : de hoc tamen controvertitur inter DD.

5010. Excusantur milites : quoad officiarios estne idem dicendum? « Les officiers français le croient, inquit Card. Gousset, se fondant sur l'usage généralement suivi » parmi nous, depuis environ 50 ans : nous n'approuvons » point cet usage, mais nous ne le condamnons pas. Nous » le tolérons et nous pensons que les confesseurs doivent » le tolérer. » (*Théol. morale*, n° 313.)

5011. Excusantur mulieres quæ aliàs jejunando magnam paterentur indignationem à viris suis, modò jejunium à viris non prohibeatur in contemptum religionis vel præcepti Ecclesiæ; item excusantur adolescentes ante 21 annum, etsi sint robusti, quia indigent frequentiori cibo ad augmentum corporis. Cf. App. XXI.

5012. Communiter DD. docent sexagenarios excusari à jejunio in dubio de validitate virium. Disputatur autem an teneantur jejunare si certè sint robusti : sat verò probabilem S. Liguorius habet sententiam quæ dicit illos, etiam tunc ad jejunium non teneri, sive quia talis est consuetudo, sive quia in tali ætate, licet robusti nonnulli videantur, eorum tamen robur est de facili illusivum; et si deficiant, difficile est postea ut convalescant : hinc commune adagium : *senectus ipsa morbus est*. In hoc autem periculo licet sequi sententiam probabilem, etsi lex posset dici in possessione, eodem modo ac infirmus in dubio excusatur à recitatione officii si prudenter timeat grave incommodum. Controvertitur an sufficiat ut annus sexagesimus sit inceptus, et probabiliter plures affirmant. (S. Liguor., lib. 3, n° 1037.)

5013. Licet plures DD. velint applicare præfatam solutionem jejuniis ex voto persolvendis, verior tamen sententia tenet sexagenarios non esse absolutos à jejuniis hujusmodi, nisi adveniat specialis ratio debilitatis, et quidem saltem quando jejunium votum fuerit pro toto vitæ tempore, vel usque ad mortem : nam si quis voverit absque tali expressione, dici potest quòd intenderit tantùm se obligare quatenus obligat Ecclesia. Eadem videntur posse dici de jejuniis in Religione præscriptis, etsi etiam hoc controvertatur : obligant enim post 60 annum, si promissa fuerit observantia religiosa usque ad mortem ; secus si observantia fuerit promissa sinè tali expressione. (S. Liguor., lib. 3, n^{is} 1038, 1039.)

Quoad jejunium subrogatum voto castitatis, vide S. Liguor. (*ib.*, n° 1040) qui consulit in casu recurrere ad dispensationem.

5014. Dubitatur tandem an feminæ quinquagenariæ excusentur : S. Liguorius nec improbare, nec probabilem dicere audet sententiam quæ affirmat (*ib.*, n° 1030).

5015. *Tertia* causa excusans à jejunio est *labor* : in quo attendenda est propositio ab Alexandro VII damnata, sic se habens : « 30. Omnes officiales qui in Republicâ corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii : nec debent se certificare, si labor sit compatibilis cum jejunio. » Damnata fuit hæc propositio ob suam generalitatem. Porrò omnes artes quæ exerceri nequeunt sinè ingenti corporis agitatione excusant à jejunio, ex communi sententiâ : tales dicuntur fossores, agricolæ, lapicidæ, figuli, textores, lanarii, fullones, bajuli, aurigæ, nautæ, remigantes, fabri lignarii, ferrarii et murarii, secantes lapides, cursores, sutores qui calceos conficiunt, non verò qui coria scindunt ; furnarii, pistores, coqui plures dapes et multis personis præparantes si ferè per totum diem laborent, secus si pauca fercula parent, vel tantùm præsideant inferioribus ministris ; typographi prælum versantes, non verò typos componentes ; famuli qui vehementer totâ die incumbunt majoribus laboribus, non verò ancillæ lanam aut linum nentes aut similia levia servitia domûs

exhibentes; percursantes urbem ad vendendas merces; ornantes templa scalas circumferendo: non tamen prædicti laborantes excusantur, si non laborent per majorem diei partem, quippe non sufficeret laborare per duas vel tres horas.

5016. Item excusantur iter pedibus facientes per magnam diei partem, ut muliones, agasones, mulas et asinos ducentes, si saltem iter sic faciant per 4 aut 5 horas. Si autem via esset tam ardua, vel tempus tam asperum, aut itinerans tam debilis, vel itineri tam parum assuetus ut non posset jejunare sinè magnâ difficultate, tunc excusari posset à jejunio, etsi iter esset tantùm duarum horarum, vel etiam minus. Item excusatur famulus pedester comitans dominum suum qui per totam diem equitaret per urbem, etc. (S. Liguor., lib. 3, 1047.)

5017. An autem excusentur iter facientes equis vel rhedis: damnata fuit ab Alexandro VII propositio sequens: « Excusantur absolutè à præcepto jejunii omnes illi qui » iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamsi iter » necessarium non sit, et etiamsi iter unius *diei* conficiant. » Cæterùm DD. communiter excusant sic itinerantes per plures dies, nisi sinè magno incommodo possent jejunare, quod raró accidit, quando iter est longum, v. g. octo dierum. Insuper plures docent posse excusare iter unius etiam diei, si agendum esset cum magnâ defatigatione, ut evenit cursoribus, vel si equitans sit debilis, aut tempus sit asperum, vel iter arduum aut extraordinarium, quale non esset iter octo vel decem leucarum. Vide S. Liguor. (lib. 3, nº 1047). Si quis eorum completo itinere, et aliâ refectione non sumptâ priùs, cibum quantum satis sit accipiat, tunc secundam refectionem sumere nequit, nisi sequenti die esset prosecuturus. Vide *Homo apostolicus* (tract. 12, nº 28).

5018. Barbitonsores non excusantur nisi nequirent artem exercere propter jejunium: v. g., quia jejuni manu tremulâ tonderent: item ordinariè non excusantur sartores nisi per magnam noctis partem laborare cogerentur; nec pictores, scribæ, nisi ob jejunium impedirentur laborare:

neque horologiarii, nisi magna horologia cum multo labore conficiant.

Molitores excusantur si nequeant suam artem jejuni exercere. S. Liguorius (*ibid.*, nº 1041).

5019. Controvertitur quidem an artifices divites, qui ex officio exercent artes laboriosas, peccent si in die jejunii laborem assumant : sed sententia communis negat illos peccare, et probatur ex oraculo vivæ vocis Eugenii IV : « Artifices laboriosas artes exercentes, et rustici, sive di- » vites sint sive pauperes, non tenentur jejunare sub » præcepto peccati mortalis; et quòd absolvi possunt et » induci ad eleemosynas et alia bona opera facienda. » Dicunt quidam hoc oraculum esse apocryphum, sed minimè probant : ratio autem hujus sententiæ videtur esse quòd valde Reipublicæ interest ne, causâ jejunii, operarii intermittant suas exercere artes. (S. Liguor., lib. 3, nº 1042.)

5020. Controvertitur pariter an artifices ad jejunium teneantur casu quo sinè gravi incommodo valent jejunare: sententia affirmans speculativè probabilior videtur S. Liguorio, sed in praxi, inquit, vix unus reperitur qui ex hujusmodi labore graviter non relaxetur (*ibid.*, nº 1043).

5021. Quærit. 1º An excusentur à jejunio artifices diebus quibus vacant à labore?

Resp. « Si manifestè ipsi grave incommodum ex jejunio » non sustinerent, tenerentur jejunare, inquit S. Liguor. » (*ib.*, nº 1044); secus si non manifestè : in dubio enim » excusantur, quia ex communiter contingentibus, præ- » sumptio stat pro necessitate alimenti, ut vel reficiantur » à labore exercito, vel idonei reddantur ad laborem exer- » cendum » : hoc præsertim est verum quando vacatur à labore uno tantùm aut altero die.

5022. Quærit. 2º An qui laborem assumit ut eximatur à jejunio, excusetur à culpâ?

Resp. Non videtur dubitandum illum excusari postquam est graviter defatigatus : sed dubitatur an peccavit apponendo scienter impedimentum : S. Liguorius dicit esse omninò affirmandum cum sententiâ communi, quia omnis

lex obligat, ne quid fiat, datâ operâ, ut lex eludatur (*ib.*, lib. 3, nº 1045); imò S. Liguorius (*ib.* nº 1046) putat idem omnino esse tenendum de eo qui sinè causâ laborem scienter assumit à jejunio excusantem, quamvis non in fraudem præcepti : quia qui tenetur ad finem, tenetur non apponere impedimenta ad illum consequendum : motivum tamen aliquod lucrum extraordinarium faciendi, sufficeret ad excusandum, non verò causa oblectamenti, vel simplicis recreationis. « Notat autem Sanchez... quòd si quis non ad » recreationem, sed ad finem utilem, licet non necessa- » rium, assumat laborem, non peccet contra præceptum » jejunii, si postea non jejunet. Idem ait... de itinerante » ex aliquâ causâ honestâ, etsi non necessariâ, puta ad » invisendos propinquos vel patriam, ad venandum, ad » ludendum pilâ : tunc enim semel vel iterum excusat. » Sed his (addit S. Liguorius) non universè acquiesco, præ- » sertim si, solâ delectationis causâ, iter vel alius labor sus- » cipiatur » (*ibid.*).

5023. *Quarta* causa excusans à jejunio est *pietas*, si nempe peragendum sit opus charitatis aut religionis majoris momenti quàm jejunium : et hoc probabiliùs, etiamsi opus non ex necessitate, sed sponte suscipiatur, modò ex justâ causâ fiat et non possit differri. S. Liguor. (lib. 3, nº 1048). Hinc excusantur qui pluribus infirmis, cum magno labore, inserviunt in hospitalibus aut monasteriis.

Excusantur peregrinantes ad loca sacra, si peregrinatio versetur in magnum Dei honorem, vel magnam ædificationem communem, vel in magnam ipsius peregrini utilitatem; si verò peregrinatio simplicis devotionis causâ suscipiatur, non excusat à jejunio : differri autem deberet semper ac commodè differri posset ; quando verò jam est suscepta, si dies jejunii occurrat, non est obligatio intermittendi eam ut jejunium servetur. *Homo apostolicus* (tract. 12, nº 34).

5024. Excusantur concionatores qui prædicant quotidie, sive frequenter in Quadragesimâ, licet deceat ut quantùm fieri potest satagant jejunia observare, ut exemplo

prædicent simul et verbo : quidam dicunt excusari qui ter in hebdomadâ prædicant; meliùs alii dicunt hoc pendere ex circumstantiis personæ et generis prædicationis. (Vide *Homo apostol.*, *ib.*)

Excusantur cantores qui jejunando non possent suum officium implere.

5025. Item excusantur lectores scientiarum qui magno studio et labore docent, etsi doceant per unam horam tantùm; non verò qui dictant lectiones jam priùs ordinatas; item lectores grammaticæ, si doceant per quinque horas: alii dicunt hujusmodi lectores non teneri jejunare plus quàm tribus diebus in hebdomadâ si doceant per quatuor horas. S. Liguorius (lib. 3, n° 1049, 5°); Gury (tom. 1, n° 529).

Excusantur advocati, qui cum jejunio non possunt satisfacere suis clientibus propter studium quo indigent; idem dicitur de judicibus, si magno egeant studio ad ferendas sententias; idem de medicis et confessariis si etiam magnum studium adhibere debeant ut suis infirmis vel pœnitentibus satisfaciant.

Confessarii communiter non excusantur ob susceptionem confessionum, nisi pœnitentes audirent per totam diem, puta per septem vel octo horas; sed meliùs alii ultra laborem extraordinarium requirunt ut confessarii sint ita debiles ut non possint cum jejunio satisfacere frequentiæ pœnitentium.

5026. *Nota* quòd prædicti lectores, cantores, advocati, medici et confessarii non per se, sed solùm per accidens à jejunio excusentur, nempe si suis officiis jejunando non possint satisfacere : quod maximè est advertendum in hàc materiâ : ubi enim labor excusat per se, in dubio præsumptio stat pro exemptione jejunii; secus si labor excuset tantùm per accidens : tunc enim in dubio præsumptio stat pro obligatione jejunii.

5027. Dicit Busembaum, ap. S. Liguor. (lib. 3, n° 1031, *in fine*) : « Charitas vel etiam urbanitas, secundùm quos» dam, excusat etiam à veniali eum qui die jejunii rogatus » ab amico modicum cibi sumit... vel qui ad excitandum

» infirmorum appetitum comedit parum, etiam carnis. »

5028. Cæterùm, inquit S. Liguor. (*ibid.*, n° 1049, *in fine*) : « Si quis non habeat causam absolutè sufficientem » ad eum excusandum à jejunio quadragesimali, et aliqua » ratio ipsi probabilis et justa appareat, quâ tantùm bis » vel ter in hebdomadâ jejunet, non est urgendus ad jeju- » nandum, etiamsi causa illa non omninò sufficiat, sed » relinquendus est in suâ bonâ fide, ne ipse fortè deinde » omnia jejunia culpabiliter omittat. »

5029. An autem possint dari carnes in eleemosynam diebus vetitis? Hoc pendere potest à variis circumstantiis : videtur enim certè ipsas posse dari iis qui alium cibum non habent, ab his qui aliam eleemosynam commodè elargiri nequeant ; si verò aliam eleemosynam commodè dare possent, casus dubius mihi videtur quoad pauperes qui alium cibum non habent : quoad verò eos qui alium habent, vel de facili habebunt, non debent eis præbere carnes in eleemosynam, si prævideant ab ipsis esse manducandas diebus prohibitis, quippe hujusmodi pauperes abstinere se debent à comestione carnium prout cæteri, quando non carent cibis quadragesimalibus : nihil autem inveni in auctoribus circa illam quæstionem.

CAPUT XV.

DE JURE LITURGICO ET IMPRIMIS DE OFFICIO DIVINO.

5030. Vox *Liturgiæ* venit à duobus vocibus græcis, *ministerium publicum* significantibus : videlicet à λειτον (*publicum*), εργον (*ministerium*).

Per hanc vocem designatur *Forma cultûs externi in Ecclesiâ catholicâ instituti.* Dicendum nobis est : 1° de potestate ad quam spectat statuere et ordinare liturgiam ; 2° de statu liturgiæ ante S. Pium V ; 3° de liturgiâ à tempore ejusdem Pontificis ; 4° de recitatione horarum canonicarum, seu divini officii.

ART. I.

DE POTESTATE AD QUAM SPECTAT LITURGIAM STATUERE ET ORDINARE.

5031. Somniârunt Protestantes ad Principes sæculares pertinere jus liturgiam statuendi vel moderandi : sive quia Principes possident in suo respectivo territorio, non solùm temporalem, sed etiam, ut aiunt, spiritualem potestatem; sive quia illa potestas fuit eis concessa, propter necessitatem, à communitate fidelium : unde dum catholicos irrident, contemptim eos nomine papistarum vocitantes, ipsimet non verentur Cæsarem papam agnoscere, turpiter illi se submittentes contra verbum Dei. Vide Bouix, *De Jure Liturgico*, p. 80-89.

5032. Qui apud nos dicuntur *Gallicani Parlamentarii*, eamdem tribuunt potestatem Principi sæculari, eò quòd *disciplina ecclesiastica sit pars integrans politiæ generalis cujusque nationis christianæ, et Princeps habeat jus sibi cavendi, seu sese præmuniendi contra excessus Potestatis ecclesiasticæ*;—vel quia : *In externis actionibus, quo divina jura propagantur et in Republicâ administrantur, Sacerdotium Imperio civili est subjectum*; vel quia Princeps est sacrorum canonum protector: ita Genovesi (in suo libro, *De jure et officiis*), Simon Vigor, Neapolitanus Giannone, quidam sacerdotes Aurelianenses, anno 1730, Dupin (*aîné*) in suo opere *Manuel du droit ecclésiast.*, Durand de Maillane (*Dictionnaire*, v° *Discipline*). Sic autem legitur in art. X, libertatum Gallicanarum : « Les rois très-chrétiens ont » de tout temps, selon les occurrences et nécessités de » leur pays, assemblé ou fait assembler Synodes ou Con- » ciles Provinciaux, Nationaux, esquels, entr'autres choses » importantes à la conservation de leur état, se sont aussi » traitées les affaires concernant l'ordre et la discipline ec- » clésiastique de leur pays, dont ils ont fait faire règles, » chapitres, lois, ordonnances et pragmatiques-sanctions, » sous leur nom et autorité. Et s'en lisent encore aujour- » d'hui plusieurs ès recueils des décrets reçus par l'Église

» universelle, et aucunes approuvées par Conciles géné-
» raux. »

5033. Juxta Gallicanos Parlamentarios, Episcopi nequeunt liturgiam moderare nisi dependenter à Regis auctoritate; apud Regem proinde residet, juxta ipsos, suprema potestas legislativa quoad liturgiam : « C'est un droit
» des Evêques et même une obligation, inquit Durand de
» Maillane (*Dictionn.*, v° *Livre*), d'examiner attentivement
» les livres d'Église... et de réformer ce qui s'y trouve de
» défectueux ; mais ils ne sauraient dans ce royaume inno-
» ver aucune chose en l'exercice et célébration du service
» divin sans l'autorité du Roi. » Vide etiam Héricourt, 3e part., p. 122 et 123.

5034. Adeo usque procedere non videntur cæteri Gallicani : attamen cùm teneant ambas potestates, spiritualem nempe et civilem, à se invicem esse independentes, asserere coguntur, casu quo hæ potestates inter se non consentiunt circa res mixtas, nullam ex iis posse prævalere; proinde eas omnino annihilant quoad jus imperandi negotia hujusmodi.

Insuper Gallicani tribuunt Episcopis potestatem ordinandi liturgiam in suâ respectivâ diœcesi, absque facultate Romani Pontificis, quod ad effectum olim reduxêre plures Galliæ Antistites, mutando liturgiam diœcesi propriam contra prohibitionem S. Sedis; imò eò usque devenêre nonnulli ex ipsis, ut sub pœnis canonicis prohiberent recitare officium S. Gregorii VII, licet sit ab Ecclesiâ præceptum. (Vide Bouix, *De jure Liturg.*, p. 97.)

5035. Contra illos errores dicimus : 1° Certum est Principem sæcularem nullum habere jus in liturgiam, nisi ei ab Ecclesiâ fortè fuerit concessum : quia liturgia est res sacra, ad cultum divinum pertinens ; porrò res sacræ, Ecclesiæ, non verò principi sæculari fuerunt à Deo commissæ : vide supra, de S. Pontifice (698-700). Nec ad principem sæcularem deferri potest hæc potestas per communitatem fidelium : nam, potestas spiritualis non venit à communitate sed à Deo, qui illam dedit, non communitati fidelium sed pastoribus ipsi præpositis : istis enim, non meris fideli-

bus Christus dixit : « Pasce agnos meos, pasce oves meas »; et adhuc : « Euntes docete omnes gentes... docentes eos » servare omnia quæcumque mandavi vobis » (S. Joann., c. 21, v. 17 et 18; S. Matth., c. 28, v. 19). Non super populos Christus suam Ecclesiam ædificavit sed super Petrum.

5036. — 2° Certum est supremum jus in liturgiam ad Romanum Pontificem pertinere : nam de fide est Romanum Pontificem plenam habere à Christo potestatem Ecclesiam gubernandi universam. Ita enim fuit definitum à Concilio Florentino. Vide supra (675-677).

5037. — 3° Certùm est Episcopos posse jus habere in liturgiam ex concessione S. Sedis : ratio patet ; porrò ad id minimè necessaria est commissio expressa : eò enim ipso quòd S. Pontifex leges in hâc materià non tulerit, aut nonnisi partes aliquas liturgiæ suis Decretis determinaverit, cætera censetur reliquisse ab Episcopis determinanda, servatis tamen generalibus Ecclesiæ regulis. (Bouix, *De Jur. Liturg.*, p. 149.)

5038. — 4° Certum est jus Episcoporum circa liturgiam esse necessariò dependens à Romano Pontifice, cùm et ipsi ab eo dependeant : quippe S. Pontifex non solùm in fideles habet jurisdictionem, sed etiam in Episcopos qui etiam sunt oves erga ipsum. Vide supra (675).

An autem de facto aliquando habuerint aut etiam nunc Episcopi habeant potestatem legislativam in liturgiam, expendemus in articulis sequentibus. Vidimus supra (773), quænam potestas fuerit data à S. Sede S. Rit. Congregationi circa res liturgicas.

ART. II.

DE STATU LITURGIÆ ANTE S. PIUM V.

5039.— Non est dubitandum quin ab Ecclesiæ exordiis aliqua exstiterit liturgiæ forma; sacrificium enim missæ, sacramenta celebrari vel administrari non potuerunt nisi determinatis quibusdam ritibus : Paulus enim (1 Cor., c. 11, v. 34), statutis quibusdam circa Eucharistiam, sic addit: *Cætera cùm venero disponam.* De Baptismo sic habet Tertul-

lianus (*De coronâ militis*, c. 3) : « Denique ut à Baptismate » ingrediar, aquam adituri, ibidem, sed et aliquando » priùs in Ecclesiâ sub Antistitis manu contestamur nos » renuntiare diabolo et pompæ et angelis ejus. Dehinc ter » mergitamur, ampliùs aliquid respondentes quàm Domi» nus in Evangelio determinavit. Inde suscepti, lactis et » mellis concordiam prægustamus... Eucharistiæ Sacra» mentum, etc. » Vide ap. D. Bouix, *De Jure Liturgico,* p. 158 etc. Ergo ab Ecclesiæ primordiis exstitit liturgia.

5040. Primitùs hæc liturgia varia videtur fuisse in accidentalibus pro diversitate locorum; potestatemque legislativam circa hujusmodi accidentalia Præsules possederunt usquè ad sæculum quintum; sed versùs hanc epocham, introduci cœpit unitas Metropolitana, ut pluribus constat ap. D. Bouix (*ib.*, p. 168) : sufficiat referre verba Concilii Milevitani in Africâ, anno 416 : « Placuit etiam et illud, ut preces » vel Orationes seu missæ quæ probatæ fuerint à Concilio, » sive præfationes, sive commendationes seu manûs im» positiones, ab omnibus celebrentur. Nec aliæ omninò » dicantur in Ecclesiâ nisi quæ à prudentioribus tractatæ, » vel comprobatæ in Synodo fuerint : ne fortè aliquid con» tra fidem, vel per ignorantiam, vel per minus studium » sit compositum. » Similia leguntur in Conciliis Venetensi (Vannes) anno 461 ; Agathensi, anno 506 ; Gerondensi eodem anno; . , anno 563, Toletano, anno 633. In alio Concilio Toletano, anno 676, sic legitur, c. 3 : « Placuit » Concilio ut Metropolitanæ Sedis auctoritate coacti, unius» cujusque Provinciæ cives, rectoresque ecclesiarum, » unum eumdemque in psallendo teneant modum quem in » Metropolitanâ Sede cognoverunt institutum, nec aliquâ » diversitate cujusque ordinis vel officii à Metropolitanâ se » patiantur Sede disjungi... » Decret. Gratiani, dist. 12, c. 13.

5041. Etsi ante sæculum VIII SS. Pontifices sæpe hortati fuerint Ecclesias Occidentales ad sequendam liturgiam Romanam, ut videre est in epistolis Siricii, Cœlestini, Innocentii I, à D. Bouix relatis (*ib.*, p. 172), attamen nunquam illam liturgiam strictè obligatoriam fecerunt, ut

pariter constat ex respons. S. Gregorii ad S. August. Angliæ Apostolum, à D. Bouix citatâ (*id.*, p. 175). Sed octavo sæculo sublata fuit antiqua Ecclesiarum Galliæ liturgia [1], et Romana ibidem fuit introducta, et in toto Romano Imperio confirmata; legitur enim in Capitularibus Aquisgrani confectis, anno 789 : « Dùm à primis temporibus... (nos» træ partis Ecclesia) ab eâ (Ecclesiâ Romanâ) paulò dis» taret (quod tamen contra fidem non est), in officiorum » celebratione, venerandæ memoriæ Genitoris nostri illus» trissimi Pipini Regis curâ et industriâ, sive adventu in » Gallias sanctissimi Viri Stephani, Romanæ Urbis An» tistitis, est ei etiam in psallendi ordine copulata, ut non » esset dispar ordo psallendi quibus erat compar ordo cre» dendi; nec sejungeret officiorum varia celebratio quos » conjunxerat unicæ fidei pia devotio. »—Non videtur tamen fuisse tunc Episcopis prohibitum corrigere, addere, vel immutare quæ ad substantiam liturgiæ non pertinebant; et sic, labentibus sæculis, evenit ut in Galliis liturgia sat discrepabat à Romanâ. (Bouix, *ib.*, p. 176, etc.)

5042. Pariter à Gregorio VII sublata fuit ex Hispaniis liturgia *Mozarabica* [2] ut introduceretur Romana, ut constat ex litterâ quam hic Pontifex direxit ad Alphonsum, et Sanciam Hispaniæ reges, et simul ad Episcopos eorumdem ditionis, ap. Labbe, tom. 12, p. 283. (Bouix, *ibid.*, p. 183.)

Jam autem à tempore S. Gregorii Magni vigebat in Angliâ eadem liturgia Romana, ut constat ex Concilio Cloveshoviensi (Bouix, *ib.*, p. 185). Unde in toto generaliter Occidente, admissa fuit à tempore S. Gregorii VII.

5043. In omnibus præfatis locis relicta fuerat, usque ad Pium V, facultas mutandi ea quæ ad substantiam liturgiæ

[1] Hæc liturgia ab Oriente orta vulgò habetur, sed eam priscæ Romanæ fuisse similem probat Marchesi, in opere : *L'Antica Liturgia gallicana.* Hoc liturgiæ Gallicanæ erat proprium quòd post nonam lectionem in nocturnis addebatur responsorium, sicut etiam in vesperis festorum solemnium, etc. Vide Lequeux, n° 1033.

[2] Quæ vocatur *Gothica* à Gothis qui illam ab Oriente in Hispaniis induxerant, quinto sæculo quando has regiones invaserant.

non pertinebant; nunquam verò nec in Oriente integram liturgiam tollendi, et aliam novam introducendi. Frustra objiceretur introductio liturgiarum Orientalium et imprimis S. Basilii, nam non constat illas liturgias fuisse omnino novas et ab antiquis substantialiter dissimiles.

5044. Ex his D. Bouix concludit (*ib.*, p. 189) jus liturgicum sic posse exponi ante S. Pium V, « nempe : 1° regu-
» lares ad liturgiam in suâ regulâ seu Instituto præscriptam
» fuisse adstrictos; 2° item clericos sæculares intitulatos
» ad certam Ecclesiam, debuisse officio hujus Ecclesiæ sese
» conformare; 3° singulas Ecclesias generatim loquendo
» debuisse sequi liturgiam Metropolitanæ Ecclesiæ, juxta
» can. *De iis* et can. *Placuit,* dist. 12; » Huic obsecundat Synodus Trident. sess. 25, c. 12., *de ref.*, dicendo : *cætera quæ ad debitum in divinis officiis regimen spectant, deque congruâ in his canendi seu modulandi ratione, de certâ lege in choro conveniendi... et permanendi... et si qua hujusmodi : Synodus Provincialis pro cujusque provinciæ utilitate et moribus, certam cuique formulam præscribet. Interea verò Episcopus non minus quàm cum duobus Canonicis, quorum unus ab Episcopo, alter à Capitulo eligatur, in iis quæ expedire videbuntur poterit providere :* « videtur tamen
» liberum fuisse Ecclesiis suffraganeis sequi ritum Romanæ
» Ecclesiæ, relicto ritu Metropolitanæ proprio; — 5° antiquas
» et laudabiles cujusque consuetudines præcipuam fuisse
» in totâ hâc re ordinandâ, regulam; 6° potuisse aliquid
» corrigi et immutari, tùm à Concilio Provinciali pro totâ
» Provinciâ, tùm ab Ordinario in Ecclesiâ quæ propriam
» habebat liturgiam, supponunt auctores et monumenta
» Concilio Tridentino anteriora; 7° an autem cuilibet
» Episcopo, vel etiam Concilio Provinciali fuerit licitum
» liturgias substantialiter novas conficere et introducere,
» non vidi ab auctoribus disputatum; et videtur persuasio
» contraria generaliter viguisse. » (Bouix., *ib.*)

ART. III.

DE LITURGIA QUALIS FUERIT ORDINATA A TEMPORE S. PII V.

5045. « Divini officii formula, inquit S. Pius V, in Const.
» *Quod à Nobis* (capiti Breviarii præinserta), cùm diuturni-
» tate temporis ab antiquâ institutione deflexisset, neces-
» saria visa res est quæ ad pristinam orandi regulam
» conformata revocaretur. Alii enim præclaram veteris
» Breviarii constitutionem, multis locis mutilatam, alii
» incertis et advenis quibusdam commutatam deformârunt:
» plurimi specie officii commodioris allecti, ad brevitatem
» novi Breviarii à Francisco Quignonio tituli *Sanctæ Crucis*
» *in Jerusalem* presbytero Cardinali compositi, confugerunt:
» quin etiam, in provincias paulatim irrepserat *prava illa*
» *consuetudo* [1] ut Episcopi in Ecclesiis quæ ab initio com-
» muniter cum cæteris veteri Romano more horas cano-
» cas dicere ac psallere consuevissent, privatum sibi quis-
» que Breviarium conficerent, et illam communionem
» uni Deo, unâ et eâdem formulâ preces et laudes adhi-
» bendi, dissimillimo inter se ac penè cujusque Episco-
» patûs proprio officio discerperent. Hinc illa tam multis
» in locis divini cultûs perturbatio : hinc summa in Christo
» ignorantia cæremoniarum ac rituum ecclesiasticorum ut
» innumerabiles Ecclesiarum ministri, in suo munere
» indecorè, non sinè magnâ piorum offensione, versaren-
» tur. »

Observat deinde Pontifex hanc orandi varietatem emendare voluisse S. Pontificem Paulum IV, sed cùm è vitâ decessisset, opere nondum absoluto, negotium fuit à Successore ejus Pio IV ad Concilium Trident. delatum; sed instante conclusione Concilii, denuò fuit remissum ad auctoritatem et judicium Romani Pontificis. Unde post sedulam indagationem et maximum virorum peritorum

[1] Ergo illicitus erat usus illarum Provinciarum, cùm S. Pontifex dicat illarum consuetudinem esse *pravam*.

studium, Breviario correcto, et ab ipso probato, sic pergit S. Pius V :

5046. « Itaque ut divini hujus operis effectus reipsâ con- » sequatur, auctoritate præsentium tollimus imprimis et » abolemus Breviarium novum à Francisco Cardinale præ- » dicto editum... Ac etiam abolemus quæcumque alia » Breviaria vel antiquiora, vel quovis privilegio munita, » vel ab Episcopis in suis diœcesibus pervulgata, omnem- » que illorum usum de omnibus orbis ecclesiis, monas- » teriis, etc..., etiam exemptis..., illis tamen exceptis quæ » ab ipsâ primâ institutione, à Sede Apostolica approbatâ, » vel consuetudine, quæ vel ipsa institutio ducentos » annos antecedat, aliis certis breviariis usa fuisse consti- » terit : quibus, ut inveteratum illud jus dicendi et psal- » lendi suum officium non adimimus, sic eisdem, si fortè » hoc nostrum, quod modò pervulgatum est, magis pla- » ceat, dummodo Episcopus et universum Capitulum in » eo consentiant, ut id in choro dicere et psallere possint, » permittimus... Omni itaque alio usu quibuslibet, ut dic- » tum est, interdicto, hoc nostrum Breviarium, ac pre- » candi psallendique formulam in omnibus universi Orbis » ecclesiis, monasteriis, Ordinibus et locis, etiam exemp- » tis, in quibus officium ex more et ritu dictæ Romanæ » Ecclesiæ dici debet, aut consuevit, salvâ prædictâ insti- » tutione vel Consuetudine prædictos ducentos annos supe- » rante, præcipimus observari : statuentes breviarium nullo » unquam tempore, vel totum, vel ex parte mutandum, vel » ei aliquid addendum, vel omnino detrahendum esse; ac » quoscumque, qui horas canonicas, ex more et ritu ipsius » Romanæ Ecclesiæ, jure vel consuetudine dicere vel psal- » lere debent, propositis pœnis... constitutis in eos qui divi- » num officium quotidie non dixerint, ad dicendum et » psallendum posthac in perpetuum horas... ex hujus Ro- » mani Breviarii præscripto... omnino teneri; neminem- » que... nisi hâc solâ formulâ satisfacere posse... »

5047. Similia dicuntur in Bullâ *Quo primùm tempore* ejusdem Pontificis initio Missalis præfixâ, ubi etiam legitur : « Huic Missali Nostro nuper edito, nihil unquam ad-

» dendum, detrahendum, aut immutandum decernendo, » sub indignationis nostræ pœnâ, statuimus et ordina- » mus. »

5048. A tempore ergo S. Pii V, Liturgia Romana correcta ita in toto Occidente, salvis duntaxat quibusdam exceptionibus, præscripta est, ut jus liturgicum Sedi Apostolicæ fuerit omnino reservatum : sic communiter theologi et canonistæ, ut videre est apud D. Bouix (*De Jure Liturgico*, p. 207-237).

5049. Diximus *salvis quibusdam exceptionibus :* nempe 1° Ecclesiâ Mediolanensi in quâ observabatur ritus Ambrosianus[1]; 2° capellis Toletanis in quibus permissus erat ritus Mozarabicus; 3° quibusdam aliis Ecclesiis in quibus vigebat liturgia ducentis annis antiquior. Sic evenit quod hodie diversa habeantur breviaria apud Ordines religiosos, videlicet : 1° discipuli S. Benedicti retinuêre ritum à Fundatore traditum qui dicitur *monasticus communis*, à quo in nonnullis discrepant, at cui in plurimis conveniunt ritus Cistercensium, Trappensium et Carthusianorum; 2° Canonici Præmonstratenses servârunt ritus romanos quales vigebant sæculo XII; 3° ferè similis erat ritus Dominicanorum; 4° Carmelitæ, qui ab Oriente circa sæculum XII venerant, in pluribus servaverunt ritus Ecclesiæ Hierosolymitanæ. (Lequeux, n° 1033, *in notis.*)

5050. Patet ex gravitate materiæ, et constat omnium consensu præfatas Constitutiones S. Pii V obligare sub gravi, ita ut qui aliter officium recitaret quam præscribit hic Pontifex, muneri suo non satisfaceret, ex tenore ipsiusmet Bullæ.

Porrò illæ Constitutiones vim obligandi habent etiam in Galliâ : nam 1° sunt universales quoad Ecclesias adstrictas liturgiæ quæ tempore S. Pii V Romana dicebatur; 2° receptæ fuerunt in Galliâ, nempe à Provinciâ Rothomagensi

[1] Ritus Ambrosianus putatur antiquior Sancto Ambrosio : à quibusdam adscribitur S. Barnabæ; sed ignoratur vera illius origo, et dicitur Ambrosianus quia S. Ambrosius multas curas adhibuit, ut illum emendaret ac perficeret, ditando illum plurimis hymnis, orationibus et missis (*Prælect. S. Sulpit.*, n° 487.)

in Concilio 1581; à Provinciâ Turonensi, in Concilio 1583; à Provinciâ Remensi et Burdigalensi in Conciliis ejusdem anni; à Provinciâ Bituricensi in Concilio 1584; à Provinciâ Aquensi in Concilio 1585; à Provinciâ Tolosanâ, in Concilio 1590; à Provinciâ Auxitanâ, ut constat per Statutum Capituli Lascariensis; à Provinciâ Narbonensi in Concilio 1609. Constat insuper breviarium et missale S. Pii V fuisse recepta in Provinciis Avenionensi, Arelatensi et Ebredunensi, proinde in duodecim Galliæ Provinciis recepta fuit, saltem ex maximâ parte, liturgia S. Pii V, quamvis in pluribus ex iisdem ecclesiis retineri potuisset liturgia propria utpote antiquior ducentis annis; quoad autem tres alias quæ supererant provincias, nempe Lugdunensem, Viennensem et Senonensem, in iis quidem non fuit recepta dicta liturgia, sed non ideo ab ipsis rejectæ fuerunt præfatæ Constitutiones, cùm juxta earumdem Bullarum tenorem poterant, ob possessionem ducentis annis antiquiorem, sua breviaria et missalia retinere: imò in hâc Diœcesi Valentinensi, quæ olim pars erat Provinciæ Viennensis, recepta fuit, anno 1617, reformatio S. Pii V, et conservata usque ad annum 1787.

5051. Non autem ab Ecclesiâ Orientali adoptata fuit liturgia à dicto Pontifice reformata : siquidem non fuit præscripta nisi pro Ecclesiis *in quibus officium ex more et ritu.... Romanæ Ecclesiæ dici debet aut consuevit* (Bulla *Quòd à Nobis*); imò Ecclesiis Orientalibus ita præscripta est liturgia ipsis propria ut, jam à multo tempore, ipsis ablata fuerit potestas legislativa in ipsam, et sit Sedi Apostolicæ omnino reservata : sic habet Bened. XIV Constit. *Demandatam :* « De ritibus igitur et moribus Ecclesiæ » Græcæ illud imprimis generatim statuendum decrevimus, » nemini licuisse aut licere quovis titulo et colore, et quâ- » cumque auctoritate aut dignitate, etiamsi Patriarchali » aut Episcopali præfulgeat, quidquam innovare, aut ali- » quid introducere, quod integram exactamque eorum » observationem imminuat. »

In Bullâ autem *Etsi pastoralis* ejusdem Pontificis, Italo-Græcis prohibetur ne aliis ecclesiasticis libris, in sacra-

mentorum administratione et missis divinisque officiis celebrandis utantur, nisi iis qui *per Congregationem à S. Sede Apostolicâ emendationi librorum hujusmodi deputatam, correcti typisque impressi fuerint.*—Vide alia ap. D. Bouix (*De Jure Liturg.*, p. 202-206.)

5052. Ex præfatis Constit. S. Pii V, Ecclesiæ observantes ritum quidem Romanum, sed mutatum in partibus non essentialibus, à ducentis annis habebant jus suam peculiarem liturgiam conservandi, nec poterant illam relinquere ad aliam amplectendam, nisi ex mutuo Episcopi et Capituli consensu admitterent breviarium et missale S. Pii V : et in hoc casu ipsis ampliùs non licet ad veterem derelictam redire liturgiam, etiam ex mutuo Episcopi et Capituli consensu. Ita S. R. Congreg. : « Usus Missalis et » Breviarii Romani semel introductus in Ecclesiâ aliquâ » quæ habebat particulare missale et breviarium, confirman» dus est, nec licet redire ad usum antiqui missalis et bre» viarii » : 15 martii 1608 (Gardellini, tom. 7, p. 60). Quamvis in Bullâ dicatur de *consensu Capituli universi*, communiter tamen DD. sentiunt sufficere consensum majoris partis : ita inprimis Suarez et Cavalieri, apud D. Bouix (*ib.*, p. 247).

5053. Ex dictis liquet duplicem esse distinguendam liturgiam Romanam : *Ante-Pianam* nempe, quæ in toto Occidente vigebat ante S. Pium V, si Ambrosianam tamen exceperis et Mozarabicam; *Post-Pianam* quæ in eodem Occidente à tempore ejusdem Pontificis generaliter viget.

Hoc est discrimen inter Ecclesias quæ legitimè observant liturgiam Romanam *Ante-Pianam* et eas quæ liturgiâ *Romanâ Post-Pianâ* utuntur, quòd in prioribus remaneat facultas aliqua non substantialia in breviario et missali corrigendi et immutandi absque Sedis Apostolicæ facultate, salvâ tamen prohibitione Kalendario nova officia addendi, et obligatione celebrandi officia universaliter et sub præcepto ab Apostolicâ Sede concessa (*Prælect. S. Sulpitii*, tom. 2, n° 494). Exstabat enim dicta facultas corrigendi aut immutandi in non substantialibus ante Pium V, ut diximus supra (5043); porrò non fuit sublata per hunc Pontificem;

ergo adhuc remanet; secus autem est dicendum, ut supra vidimus, de ecclesiis quæ utuntur liturgiâ *Post-Pianâ:* ipsi nihil addere vel in eâ immutare valent. Communiter docent auctores quòd in dictis modo diœcesibus, Ordinarius posset prohibere etiam Romani breviarii et missalis usum (Bouix, *ib.*, p. 266): hæc tamen locum non habent in Ecclesiis quæ illegitimâ liturgiâ utuntur, ut satis patet.

5054. Ut verò breviarium et missale integra semper conserventur, sinè additione, imminutione aut quâcumque immutatione, sancitum fuit à Clemente VIII, per Decretum *Cùm in Ecclesiâ*, et ab Urbano VIII, per Decretum *Divinam psalmodiam*, quòd Romæ breviarium non imprimatur nisi in typographiâ Vaticanâ, et extra Urbem, nonnisi juxta exemplaria in Vaticanâ typographiâ impressa[1] et quòd breviarium et missale non possint imprimi absque Inquisitorum vel Ordinariorum licentiâ; item quòd « ipsi... Inquisi- » tores seu Ordinarii locorum, antequam hujusmodi » licentiam concedant breviaria imprimendi (et idem dic » de missalibus) et postquam impressa fuerint, cùm hoc... » diligentissimè conferant..; et quòd omnino concordent » manu propriâ attestentur; cujus licentiæ copia initio vel » in calce cujusque breviarii semper imprimatur. Quòd si » secus fecerint, Inquisitores privationis suorum officio- » rum..., Antistites verò et Ordinarii locorum suspensionis » à divinis ac interdicti ab ingressu ecclesiæ, eorum verò » Vicarii privationis officiorum et beneficiorum suorum, » ac præterea excommunicationis absque aliâ declaratione » pœnas incurrant. » De his censuris silet C. *Apost. Sedis.*

5055. Ita Clemens VIII; Urbanus verò VIII hæc addit: « Sub iisdem etiam prohibitionibus et pœnis comprehendi » intendimus et volumus ea omnia quæ à *Breviario* » *Romano* ortum habent, sive ex parte sive in totum; cu-

[1] « Depuis le Décret de la Congr. des Rites du 26 avr. 1834 » (apud Gardell., n° 4581) « les imprimeurs de Rome sont obligés de présenter » leurs éditions des livres liturgiques à la Sacrée Congrég. des Rites... » Les éditions de Rome peuvent alors servir d'exemplaire authentique » aux éditeurs des autres pays. » *Analecta*, 12e livr., col. 1847. — Post Urbanum VIII, quædam partiales emendationes contigerunt. (*Ibid.*, col. 1851.)

» jusmodi sunt missalia, diurna, officia parva B. Virginis, » officia Majoris Hebdomadæ, et id genus alia quæ deinceps non imprimantur nisi præviâ illorum et cujuslibet » ipsorum in dictâ typographiâ... impressione, ut omnino » cum Breviario de mandato nostro edito concordent. »

5056. Quoad verò breviaria (aut missalia) quæ imprimerentur sinè dictâ licentiâ, sic disponit Clemens VIII : « Et » nihilominus eorumdem breviariorum.., de cætero absque » hujusmodi licentiâ imprimendorum aut vendendorum » usum ubique locorum et gentium, sub eisdem pœnis (ex- » communicationis latæ sententiæ) perpetuò interdicimus » et prohibemus. » Concessum tamen fuit tam à Clemente VIII quàm ab Urbano VIII quòd vendi et in usum deduci possint breviaria, missalia, etc., quæ jam fuerant impressa. Vide citatas Bullas. De his pœnis silet C. *Apost. Sedis.*

5057. Constitutiones autem illas in *suo robore* permanere constat variis Decisionibus S. R. Congr., scilicet responsione ad Cardin. Episcopum Novariensem 7 april. 1832, et Decreto generali 26 apr. 1834 : ad dubium : « An liceat » uti breviariis, missalibus, aliisque hujus generis libris » qui non præ se ferunt requisitas à Pontificiis Constitu- » tionibus Ordinariorum attestationes, perinde ac si per » præscriptionem in contrarium, memoratæ Constitutiones » censeri debeant non ampliùs in suo robore permanentes? » S. Congr... rescribendum edixit : *servetur generale De-* » *cretum diei* 26 *aprilis* 1834.... Die 18 februarii 1843 » (Gardell., n° 4811). Eadem responsio data fuit pro diœcesi Brixiensi, 27 feb. 1847 (Gard., n° 4913).—Bouix (*ib.*, p. 253).

5058. *Nota* quòd consuetudo nequeat prævalere contra Decretum S. R. Congr., anni 1628, ab Urbano VIII approbatum, initioque Breviariorum insertum in quo dicitur : « Non potuisse nec *posse* locorum Ordinarios tam sæculares » quàm regulares addere Kalendariis etiam propriis Sanc- » torum officia, nisi ea duntaxat quæ Breviarii rubricis, » vel S. Rit. Congreg. vel Sedis Apostolicæ licentiâ conce- » duntur. » Ratio est quia illa consuetudo declaratur abusiva : in fronte enim allegati Decreti sic legitur : « S. Rit. » Congreg. ad *tollendos abusus* qui variis in locis irrepse-

» runt, etc. » Porrò consuetudines quæ à lege declarantur abusivæ, non possunt haberi ut legitimæ. Vide alia in eodem citato Decreto, apud Bouix (*ib.*, 254-257).

5059. Ex dictis meritò deducitur illegitimas esse liturgias in Galliâ novissimo sæculo adinventas : manifestè enim contra tenorem Bullarum S. Pii V fuerunt invectæ, nec unquam hujusmodi innovationibus consensit S. Sedes, ut patet ex supradictis Decisionibus S. R. Congreg.; et insuper Decisione datâ ad D. Lottin Canonicum Cenomanensem, die 10 jan. 1852, ubi legitur : « Utrum licita » fuerit, annis 1748 et 1749, innovatio breviarii, missalis Cenomanensium, à ritu Romano prorsus alienorum, amotis priùs veteribus ad formam Romanam correctis breviario et missali, solâ Episcopi et Capituli Ecclesiæ Cenomanensis auctoritate, et inconsultâ Sede » Apostolicâ, facta aut probata? — Responsum est : *Negativè* [1]. » Porrò quod declaratum fuit pro diœcesi Cenomanensi, applicandum est cæteris diœcesibus ubi similes mutationes contigerunt, propter paritatem rationis. Vide similem aliam Decisionem pro diœcesi Bellovacensi à Cardin. Lambruschini S. R. Congreg. Præfecto datam, 22 augusti 1851, apud Bouix, *ib.*, pars 5, p. 4.

5060. Nec dicas hujusmodi liturgias legitimas evasisse per præscriptam consuetudinem : nam de liturgiâ ejusdem diœcesis Cenomanensis consulta : « Utrum saltem hujus» modi liturgia vi præscriptionis seu consuetudinis sæcu» laris facta sit legitima, ita ut quilibet sacerdos Cenoma» nensis possit eam tutâ conscientiâ servare? S. Rit. Con» gregatio respondit : *Negativè.* » Unde Ecclesia nunquam consensit in hujusmodi consuetudinibus. Ratio autem cur Ecclesia non consensit est vel quòd hujusmodi consuetudo *prava sit*, ut loquitur Suarez (*De Relig.*, tom. 2, lib. 4, cap. 23, n° 10), vel quòd semper permanet motivum quod impulit ad legem Pianam ferendam. Vide Bouix (*ib.*, p. 277-280, et pars 5, cap. 2, p. 5).

[1] Vide integram responsionem apud Bouix (*De Jure Liturgico*, ad calcem Operis). Idem constat ex recenti respons. Card. Patrizi ad Card. D. Bonald.; vide *Rev. des sciences eccl.*, 20 avril 1863, p. 384.

5061. Nec objici potest Breve Gregorii XVI anni 1842, ad Remensem Præsulem, in quo dicitur : « Nobis quidem » idipsum tecum unâ dolentibus nihil optabilius foret, Venerabilis Frater, quàm ut servarentur ubique apud vos » Constitutiones S. Pii V... Ita igitur in votis esset, Venerabilis Frater. Verùm tu quoque probè intelligis quàm » difficile arduumque sit morem illum convellere, ubi » longo apud vos temporis cursu inolevit : atque hinc » Nobis, *graviora inde dissidia reformidantibus*, abstinendum *in præsens* visum est, nedum à re pleniùs urgendâ, » sed etiam à peculiaribus ad dubia quæ proposueras responsionibus edendis. Cæterùm, etc. » : nam hujusmodi verbis minimè Pontifex illatas apud nos contra Constitutionem Pii V liturgias, approbat; sed ad summum ex iis concludi potest illas duntaxat momentaneè tolerare propter metum *graviorum inde reformidandorum dissidiorum*. Vide Bouix (*ib.*, pars 5, p. 6).

5062. Quærit. 1° An beneficiarii suos faciant fructus per recitationem breviarii contra dispositiones Bullarum S. Pii V apud nos introducti?

Resp. S. Pium V, ut supra retulimus (n° 5046, *in fine*), in suâ Constit. *Quod à Nobis,* apertè declarasse : « Neminem ex iis quibus hoc dicendi psallendique munus necessariò impositum est, nisi hâc solâ formulâ satisfacere » posse. » Unde cùm ii qui alio breviario illegitimo utuntur, manifestè non satisfaciant, non possunt fructus beneficii facere suos, etiamsi in bonâ fide essent. Cùm tamen hujusmodi beneficiarii hæc Breviaria recitantes, soleant esse in bonâ fide, dicendum est eos ad restitutionem non teneri nisi quando non consumpserunt fructus beneficii permanentes in bonâ fide, vel nisi exinde ditiores evaserint. Insuper, licet hujusmodi fructus non consumpserint, meritò præsumitur quòd condonationem facilè obtinerent à S. Sede ad quam, in hoc casu, opus est recursum habere. Vide apud Bouix (*De Jure Liturgico*, p. 5, 9 et 10).

5063. Quærit. 2° An in diœcesibus liturgiâ illegitimâ utentibus, clerici breviario adstricti teneantur, invito Episcopo, liturgiam Romanam Post-Pianam amplecti?

Resp. Vel agitur de recitatione privatâ, vel de publicâ. In *priori casu* indubiè videtur teneri talem clericum vel sacerdotem ad recitationem breviarii romani Post-Piani, cùm sit obediendum legibus Ecclesiæ, quando id fieri potest sinè magno incommodo : et non videtur esse ullum grave incommodum in recitatione privatâ breviarii romani, aut celebratione privatæ missæ in missali romano : consultu enim à D. Lottin Cenomanensi Canonico : « ...3° An quilibet sacerdos Cenomanensis, etiam Canonicus et parochus, statim teneatur in conscientiâ tum et horas canonicas persolvere, missamque celebrare juxta ritum romanum, quando scilicet privatim recitat et celebrat, tum, etc.. » Emin. et RR. Patres sacris tuendis ritibus præpositi..., » rescribendum censuerunt : — ad 3^m Consulat conjunctim utramque Constitutionem S. Pii V, videlicet illam » quæ incipit *Quod à Nobis*, 7 Idus julii 1568, et aliam » quæ incipit *Ex proximo* 12 kal. oct. 1571. » Non benè ergo P. Gury putat sacerdotes privatos debere in hoc se committere sapientiæ et prudentiæ Prælatorum suorum (tom. 2, n° 29, editio 5ª).

In *posteriori casu*, attentâ solâ S. Pii lege, tenerentur præfati clerici Romanam liturgiam adhibere : ast in hoc casu obligationem suspendit lex ordinis superioris, necessitas nempe vitandi graves animorum commotiones, jurgia et scandala quæ ex tali mutatione ritûs publici sinè concursu diœcesanæ auctoritatis orirentur : non enim ad privatum sacerdotem sed ad Episcopum pertinet judicare an circumstantiæ sint opportunæ ad reducendam legitimam liturgiam; imò, Sede Apostolicâ inconsultâ, nihil esset agendum, etiamsi manifestè sinè ullâ causâ justâ Episcopus obstinatè nollet unquam permittere reditum ad ritum romanum. Vide Bouix (*ibid.*, pars 5, p. 14). Attamen, inquit Cardin. Gousset (*Exposition des principes*, etc., n° 440) : « Un Évêque ne pourrait... s'opposer à ce que les Chanoines et autres prêtres du diocèse, où l'on n'a pas encore établi le rit romain, suivissent exactement les » Constit. de S. Pie V, tant pour la récitation de l'office » divin que pour la célébration de la messe. »

5064. Quærit. 3° An Episcopi Galliæ in quorum diœcesibus viget liturgia illegitima, possint romanam inducere, inconsultis Canonicis, parochis et aliis sacerdotibus quibuscumque ?

Resp. *Affirmativè* quia liturgia Romana in talibus casibus obligat independenter à Capitulo et Clero : et Episcopi nullius egent consilio ut valeant procurare observationem legum certè obligantium : prudenter tamen agent si cum suis Capitulis et Clero sedulò inquirant media opportuniora ad abolendam pacificè illegitimam liturgiam et legitimam introducendam.

5065. Quærit. 4° An sit obligatio recitandi et canendi hymnos prout fuerunt correcti ab Urbano VIII ?

Resp. Si agatur de Ecclesiis ritui Romano adstrictis, quæ non habebant liturgiam propriam ducentis annis antiquiorem, adest obligatio recitandi et canendi hymnos ab Urbano VIII correctos, ut constat ex Bullâ *Cùm aliàs* 27 apr. 1643, in quâ dicitur : « De Apostolicæ potestatis plenitu- » dine..., in omnibus et singulis... Ecclesiis, prædicti » hymni..., non autem ampliùs antiqui... recitentur ac de- » cantentur.., præcipimus et mandamus. »

Si autem quæstio sit de Ecclesiis quibus permissum fuit retinere proprium Breviarium et Missale, patet ipsas non teneri ad recitandos aut decantandos hymnos reformatos, cùm ipsis liceat suam servare liturgiam. Vide Bouix, *De Jure Liturg.*, p. 283.

5066. Quærit. 5° Quid statuerit S. Pius V quoad officium B. Mariæ Virginis ?

Resp. Sequentia sancita fuisse à S. Pontifice in Bullâ *Superni :*

1° Omnibus sinè exceptione fidelibus esse interdictum cujuscumque officii B. Virginis vulgari linguâ conscripti usum, imò et officiorum etiam latinè scriptorum quibus insertæ fuerint Orationes in linguâ vulgari : quæ prohibitiones sub gravi obligare videntur.

2° Adstrictos recitationi officii B. Mariæ Virginis posse recitare officia linguæ latinæ quæ essent ducentis annis antiquiora in suis propriis ecclesiis ; iisdem verò præcipitur

recitare dictum officium juxta formulam à S. Pio V publicatam, si in eorum ecclesiis non esset officium B. Mariæ Virg. ducentis annis antiquius. Officio B. M. à Pio V publicato applicanda sunt ea quæ superiùs diximus de Breviario, quoad correctionem, immutationes, etc.

3° Quoad eos qui ad recitationem officii B. M. Virginis non obligantur, non prohibetur ulla hujusmodi officii formula, modò sit latina : eos tamen vehementer hortatur Pontifex ut solâ formulâ à se correctâ utantur. Vide D. Bouix (*ib.*, p. 285-287).

5067. Quærit. 6° An ecclesiæ non adstrictæ liturgiæ Post-Pianæ teneantur adhibere in officio saltem *Martyrologium romanum*, sinè mutatione, additione, aut detractione ?

Resp. Affirmativè, et constat ex Constit. *Emendato* Gregorii XIII in quâ dicitur: « Mandamus igitur omnibus Patriar-» chis... Episcopis, Abbatibus cæterisque Ecclesiis... sive » sæcularibus quibuscumque præfectis, ut in peragendo in » choro divino officio, omni alio Martyrologio amoto, hoc » tantùm nostro utantur, nullâ re additâ, mutatâ, ademptâ; » si quos alios habuerint Sanctos in suis ecclesiis aut locis » celebrari solitos, eos in hunc librum ne inserant, sed » separatim descriptos habeant, eumque illis locum atque » ordinem tribuant qui regulis hîc descriptis traditur... » Datum Romæ... 14 januarii 1584. » Hæc verba sunt generalia, nec ulla apponitur exceptio; ergo, etc. Idem constat ex decis. S. Rit. Congreg., 10 januarii 1852, ad quartam interrogationem D. Lottin Canonici Cenomanensis.

5068. *Nota* quòd *Martyrologium* fuerit à Bened. XIV correctum, et sit hodie obligatio utendi exemplaribus correctæ ab hoc Pontifice editionis, nec ampliùs liceat in choro adhibere martyrologia antiquiora. In novis tamen imprimendis inseri debent Sancti ab ultimâ editione canonizati, quibus hæc prærogativa à S. Sede fuit concessa, non verò ii qui solummodo Beati fuerunt declarati. Ita S. R. Cong., 31 aug. 1680 (Gardell., n° 2778). Vide Bouix (*ibid.*, p. 287-290).

5069. Quærit. 7° An modò dictum de *Martyrologio Romano* quòd ab omnibus Ecclesiis sit adhibendum, pariter dici debeat de *Pontificali*?

Resp. Affirmativè : sic enim habet Clemens VIII in suâ Constit. *Ex quo :* « Motu proprio et ex certâ scientiâ ac de » Apostolicæ potestatis plenitudine omnia et singula *Pon-* » *tificalia* in hunc usque diem... impressa et approbata... » supprimimus, eorumque usum in posterum universis » ecclesiis... interdicimus et prohibemus : et hoc nostrum » *Pontificale* sic restitutum et reformatum in omnibus uni- » versi terrarum Orbis ecclesiis, monasteriis, Ordinibus » et locis etiam exemptis... recipi et observari præcipimus: » statuentes *Pontificale* prædictum nullo unquam tem- » pore in toto vel in parte mutandum vel ei aliquid adden- » dum aut omnino detrahendum esse, ac quascumque per- » sonas quæ pontificalia munera exercere, vel alia quæ in » dicto *Pontificali* continentur facere aut exequi debent, ad » ea peragenda, ex hujus *Pontificalis* præscripto et ratione » teneri, neminemque ex iis quibus ea exercendi et faciendi » munus impositum est, nisi formulis quæ hoc ipso *Ponti-* » *ficali* continentur servatis, satisfacere posse. » Ita Urbanus VIII in suâ Bullâ *Quamvis alias*, in quâ insuper decernit non posse imprimi *Pontificalia* nisi de licentiâ Inquisitorum vel Ordinariorum, eamque licentiam concedi non debere nisi postquam, collatione factâ, certò constiterit de perfectâ cum Romanâ editione conformitate : idque sub pœnis gravissimis in eâdem Constit. enumeratis. Vide etiam Declarat. S. R. Congr., 10 jan. 1852, ad D. Lottin directam.

5070. Quærit. 8° Quid sit specialiter dicendum de *Cæremoniali Episcoporum*.

Resp. *Cæremoniale Episcoporum* primùm, anno 1600, à Clemente VIII ordinatum pro universâ Ecclesiâ, correctum fuit deindè ab Innocentio X, et novissimè, anno 1727, à Bened. XIII, sacrorum rituum peritissimo.

Hoc *Cæremoniale* obligat omnes Ecclesias ritûs latini, iis etiam non exceptis quæ propriis Breviario et Missali utuntur : idque constat ex Bullis *Cùm novissimè* Clementis VIII, *Etsi aliàs* Innocentii X, in quibus omnes ritûs latini Eccle-

siæ sinè exceptione comprehenduntur. Constat insuper ex Declarat. S. R. Congreg. 16 jul. 1605, in *causâ Salernitanâ* in quâ dictum fuit : « Omnes Ecclesias Metropolitanas, » Cathedrales et Collegiatas dictum librum *Cæremonialem* » in omnibus ad unguem servare debere, præterquam in » illis quæ de antiquâ et immemorabili consuetudine, alio » vel diverso modo ab eo quo in *Cæremonali* præscribitur, » observatur » (Gardell., n° 124). Vide insuper Ferraris (v° *Canonicatus*, art. 6, n^is^ 28 et 29).

Ad dubium : « An pro eximendis dictis Canonicis ab » observantiâ præscriptorum in eodem *Cæremoniali*, suf- » ficiat dicere quòd non sit receptum in Hispaniâ ? — » S. R. Congreg. respondit : *Non sufficere.* » — Gardell., n° 3012, ad 4.

5071. Per prædictum *Cæremoniale* non tolluntur laudabiles contrariæ consuetudines, modò sint immemorabiles, nam de iis mentio non fit in supradictis Constitut. Clementis VIII et Bened. XIII : porrò immemorabiles consuetudines non tolluntur nisi exprimantur. Ita insuper fuit pluries decisum à S. R. Congr., ut videre est ap. D. Bouix (*ib.*, p. 296, etc.); unam ex hujusmodi decisionibus modò retulimus, nempe 16 julii 1605 : approbata tamen fuit à Gregorio XVI, anno 1832, Decisio S. R. Congregat. contra quasdam consuetudines Ecclesiæ Pisanæ ob motivum quòd « *Cæremonialis Episcoporum* lex à SS. Pontificibus » Clemente VIII, Innoc. X et Bened. XIV lata et confir- » mata, hujusmodi indolis sit, *ut nullâ contrariâ consue-* » *tudine* abrogari valeat. » *Prælect. S. Sulpitii*, n° 496. Vide Gardellini (n° 4523, *nota* ad 1^m^, p. 126 et 127).

5072. Quærit. 9° An et quatenus sit obligatio observandi præscripta *Ritualis Romani* [1] ?

Resp. 1° Saltem licere cuilibet uti hoc Rituali : nam sic habet Paulus V, in Brevi quo illud promulgavit : « Horta- » mur in Domino... Patriarchas, Archiepiscopos, Episco-

[1] *Rituale Romanum* jussu Pauli V fuit publicatum : in eo autem perficiendo præcipuas partes habuit Cabbutius Ordinis Clericorum Regularium S. Pauli, vulgò *Barnabitarum*.

» pos.., Abbates, parochos universos et alios ad quos spec-
» tat ut in posterum... Ecclesiæ Romanæ auctoritate consti-
» tuto Rituali in sacris functionibus utantur : et in re tanti
» momenti quæ Catholica Ecclesia et ab eâ probatus usus
» antiquitatis statuit, inviolatè observent » ; porrò cuilibet est licitum obtemperare hortationibus S. Pontificis : ergo, etc.

In hoc sensu pronuntiavit S. R. Congr., 12 mai 1841 : Petrus enim Noselcy parochus civitatis *Bar-sur-Aube* petiverat : *An in administrandis sacramentis, Rituali Romano uti posset :* nota quòd in suâ diœcesi, Trecensi nempe, aliud tunc erat Rituale à Romano diversum : huic tamen S. Congreg. respondit : *Affirmativè* (Gardell., n° 4779). Ex his sequitur nullum Episcopum jam posse, auctoritate propriâ, Rituale à Romano diversum *præscribere* et si præscribat præceptum ejus esse pleno jure nullum et irritum. (Vide Bouix, *De Jure Lit.*, p. 300.)

5073.—2° An autem sit ubique obligatorium *Rituale Romanum*, non omninò concordant DD. : plures tenent relictam fuisse à S. Sede facultatem retinendi aut etiam conficiendi proprium Rituale : nituntur imprimis hâc ratione quòd Paulus V, verbis supra relatis, non *præcipiat* sed solummodo *hortetur in Domino*, et quòd Conc. Trid. (sess. 24, cap. 1, *de reform.*) quorum verba in *Rituali* referuntur, permittat retineri in celebratione matrimonii, alias cæremonias ultra eas quæ à Rituali præscribuntur; citatur etiam responsio S. R. Congr. ad Archiepisc. Maniliensem, 2 maii 1626, in quâ dicit tantùm *sibi placere* introductionem *Ritualis Romani :* pro hâc sententiâ sunt Catalanus in Præfatione Commentarii ad *Rituale Romanum*; De Herdt, *Sacræ Liturg.*, pars 6, n° 5, I.

Pluresècontra contendunt *Rituale Romanum* strictam vim habere legis apud omnes Ecclesias latinas : ita Pignatelli, Barruffaldus, Gardellini, quibus adhæret D. Bouix (*ib.*, p. 302, etc.). Probant suam sententiam : 1° ex verbis Brevis Pauli V, initio *Ritualis* inserti, ubi Pontifex asserit in hoc volumine comprehendi *sacros et sinceros Ecclesiæ ritus, qui in sacramentorum administratione aliisque ecclesiasticis functionibus servari debent ab iis qui curam*

animarum gerunt; reverà postea Pontifex hortatur ut hoc *Rituale* adhibeatur, sed hortatur tanquam ad rem quam priùs dixit esse servandam ex debito : et sic respondetur primæ rationi adversariorum. — Probant 2° ex verbis *Ritualis* : « Ut ea quæ ex antiquis Catholicæ Ecclesiæ institutis, et » sacrorum canonum Summorumque Pontificum Decretis, » de sacramentorum ritibus ac cæremonis hoc libro *præs-* » *cribuntur*, quâ par est diligentiâ ac religione custodiantur » *et ubique fideliter serventur :* illud ante omnia scire, » et observare convenit, quòd Sacros. Trident. Synodus » de iis ritibus decrevit in hæc verba : *Si quis dixerit* » *receptos et approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in solemni* » *sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut* » *contemni, aut sinè peccato à ministris pro libitu omitti* » *aut in novos alios, per quemcumque Ecclesiarum pastorem,* » *mutari posse, anathema sit.* » Si ergò ritus in rituali descripti, *non possunt pro libitu omitti*, si nequeunt *mutari per quemcumque ecclesiarum pastorem*, si tandem *ubique* fideliter *observanda sunt quæ in Rituali præscribuntur.* Ergo *Rituale* vim legis habet apud omnes Ecclesias latinas.

Nec vim hujus argumenti destruunt verba Conc. Trid. (sess. 24, cap. 1, *de ref.*), quibus permittitur sequi laudabiles consuetudines in administratione Matrimonii : nam ab ipsomet *Rituali*, sicut ab ipsomet Concilio permittuntur hujusmodi consuetudines, sed pro celebratione matrimonii tantùm : unde nedum infirment vim nostræ probationis, illam corroborant, cùm sint exceptio, et exceptio firmet regulam nedum illam destruat : sic respondetur secundo argumento adversariorum.

3° Probant ex regulis Indicis quibus prohibentur : « Benedictiones omnes ecclesiasticæ, nisi approbatæ fuerint » à S. R. Congregatione. Item, Rituali Romano additiones » omnes factæ, aut faciendæ post reformationem Pauli V, » sinè approbatione S. Congreg. Rituum. »

5074. — 4° Variis decisionibus S. R. Congreg.; consulta enim : « utrum liber cui titulus *Collectio sive apparatus* » *absolutionum, benedictionum, conjurationum*, etc., auctore Bernardo Sannig, sit prohibitus vigore... regulæ

» generalis Indicis.. et quid de aliis libris benedictionum,
» habentibus quidem aliquam approbationem, ast non
» illam istius Sacrorum Rituum Congregationis?— S. Con-
» gregatio censuit : *illi soli libri adhibendi* et in illis tantùm
» benedictionibus quæ *Rituali romano sunt conformes.* »
Die 7 sept. 1850, à S. R. Congreg. directæ sunt litteræ ad Episcopum Trecensem (in Galliâ) in quibus decernitur benedictionem Sanctissimi Sacramenti esse dandam absque cantu, et additur : « In eâ, *Rituale Romanum cujus* » *leges universalem afficiunt Ecclesiam, integrè servetur.* » Consulta tandem à D. Lottin Canonico Cenomanensi, an sacerdotes possint, illæsâ conscientiâ, infringere aut omittere *Rituale Romanum*, tolerante vel permittente Episcopo aut aliter statuente, S. R. Congreg., 10 januar. 1852, respondit : *Negativè et ampliùs* [1]. Ergo vim legis habet *Rituale Romanum*, etiam in diœcesibus in quibus essent Ritualia propria. Respondendo autem ad Archiepiscopum Maniliensem sibi placere introductionem *Ritualis Romani*, minimè Sacra Congregatio intendit ipsi aut aliis Episcopis relinquere libertatem illud non admittendi; et sic respondetur tertiæ adversariorum rationi; allegari etiam posset Concilium Romanum anni 1725, tit. 15, *De Celebratione missæ;* sed supra relata sufficiunt, et ex his certa videtur secunda sententia. Vide Bouix (*ib.*, p. 302-309); Card. Gousset, *Exposition des principes*, etc., n° 447.

ART. IV.

DE RECITATIONE DIVINI OFFICII.

§ 1.

Quid sit et quibus partibus constet divinum officium.

5075. *Per Officium divinum intelligitur : Forma laudandi et precandi Deum ab Ecclesiâ instituta ut perageretur ipsius nomine :* nuncupatur *Officium divinum* quia præci-

[1] Hæc verba *et ampliùs* significant non ampliùs esse proponendum dubium.

puum est officium clericorum colere Deum et illum pro fidelibus exorare : vocatur etiam nomine *Horarum Canonicarum*, quia certis horis à canonibus Ecclesiæ statutis recitandum est à personis Deo consecratis, ad imitationem prophetæ de seipso dicentis : *septies in die laudem dixi* « *tibi* » (Ps. 118, v. 164). Dicitur quoque *Breviarium*, vel quia compendiosè continet Vetus et Novum Testamentum; Patrum sententias et vitam Sanctorum; vel potiùs quia in statu hodierno est compendium officii longioris quod primitùs recitabatur [1]. Juxta Rodulphum Tungrensem breviatum seu potiùs emendatum fuit Officium (jam breviatum) ab Haymo Generali Franciscanorum, et, anno 1280, Nicolaus III sic breviatum seu emendatum fecit observari in ecclesiis Romæ (Devoti, *ibid.*). Non tamen ab omnibus hæc abbreviatio fuit adoptata, imò variis in locis, plures huic additiones et innovationes factæ fuêre, ex quibus enata est magna confusio, cui remedium voluit afferre S. Pius V per publicationem Breviarii ipsius jussu emendati, prout supra diximus (5045).

5076. Pluribus partibus seu horis constat Breviarium, nempe Matutinis, Laudibus, Primâ, Tertiâ, Sextâ, Nonâ, Vesperis et Completorio. Illæ horæ in duas præcipuè partes dividuntur, quæ dicuntur *officium diurnum* et *nocturnum* : Matutinum et Laudes constituunt officium nocturnum, sic vocatum quia olim et etiam nunc in pluribus monasteriis, nocte celebratur; reliquæ horæ diurnum officium componunt. S. Liguor. (lib. 5, n° 141); Lequeux (n° 1034); sed vide præsertim Devoti (lib. 2, tit. 4, § 3).

5077. Ut autem præfatæ denominationes benè intelligantur, sciendum est diem olim in duodecim horas divisum fuisse : « Nonne duodecim sunt horæ diei? » aiebat Christus ad Judæos (Joan., c. 11, v. 9.). Illæ autem duodecim horæ in quatuor partes dividebantur, quarum unaquæque tres horas continebat : quæ partes dicebantur : *Tertia*,

[1] « Antequam sæculo XI Breviarium introduceretur ad recitandas » Horas Canonicas, in Ecclesiis Occidentalibus adhibebantur psalteria, » biblia sacra, homiliaria, passionaria, antiphonaria, hymnoria, col- » lectoria, martyrologia. » Devoti, lib. 2, tit. 4, § 1.

Sexta, *Nona* et *Vesperæ* : hora *Tertia* continebat 1^{am} diei partem usque ad horam nonam nostram : *Sexta*, secundam partem usque ad meridiem; *Nona* 3^{am} partem usque ad horam 3^{am} nostram post meridianam; *Vesperæ* denique 4^{am} partem.

5078. Similiter nox in duodecim horas dividebatur, et etiam in quatuor partes quæ *vigiliæ* nuncupabantur : illæ partes sic designantur in Evangelio (Marc., c. 13, v. 35) : « Vigi- » late : nescitis enim quando Dominus veniet, *serò*, *an me-* » *diâ nocte*, *an galli cantu*, *an manè* » ; *prima vigilia* (*serò*) protendebatur ad horam tertiam noctis; *secunda*, ad mediam noctem, et dicebatur *conticinium* (conticescunt circa mediam noctem omnes cantus) : *tertia* dicebatur *gallicinium*; *quarta*, *matutina*, quæ auroræ respondebat, usque ad solis ortum. (Lequeux, n° 1032.)

5079. Pars autem officii quam hodiè *Matutinas* vocamus, non sic olim vocabatur, sed officium *Nocturnum*, prout etiam adhuc hodie vocatur, quia pro tempore noctis fuerat institutum; à primis enim temporibus christiani solebant noctu surgere ad orandum saltem in Vigiliis Dominicarum et aliorum Festorum Solemnium. — « Antiquitùs, inquit » S. Thomas (1 Cor., cap. 14, *lect.* 6), dicebantur Nocturni » divisim, secundùm tres vigilias noctis; nunc verò dicun- » tur simul. »

5080. *Laudes* autem sic nuncupatæ quia psalmos laudis præcipuè continent. Dicebantur etiam *Matutinæ*, quia institutæ fuerant pro ultimâ parte noctis quæ matutina vocabatur.

Pars officii quæ *Prima* dicitur erat pro primâ parte diei. *Tertia* pro secundâ parte, *Sexta* pro tertiâ parte, *Nona* pro ultimâ parte.

Nonam sequuntur Vesperæ, quæ respondent sacrificio vespertino quod in usu erat in veteri lege.

Completorium tandem ultimæ horæ diei respondet, ut quæ per diem deliquimus, deploremus, et noctem Deo offeramus.

5081. Non tamen videntur in usu fuisse primitùs omnes illæ horæ : sic enim enumerantur in libro 8, cap. 40 Constit. Apostolicarum : « Preces vestras facite diluculo, tertiâ

» horâ, sextâ, nonâ, vesperâ et in galli cantu. » Prima autem non videtur antiquior Cassiani temporibus, seu quinto sæculo; Completorium instituisse dicitur S. Benedictus sexto sæculo (V. Lequeux, nº 1033): sic autem habet can. *Presbyter*, dist. 91 : « Presbyter mane, matutinali officio » expleto, pensum servitutis suæ, canendo Primam, Ter» tiam, Sextam, Nonamque persolvat.., Prophetâ dicente : » *Septies in die laudes dixi tibi* : qui septenarius sacratus » numerus à nobis sic implebitur, si Matutinæ, Primæ, » Tertiæ, Sextæ, Nonæ, Vesperæ, Completoriique tem» pore nostræ servitutis officia persolvamus. »

Circa recitationem horarum canonicarum tria sunt expendenda : 1º quinam teneantur ad hujusmodi recitationem; 2º cujus naturæ sit obligatio horas recitandi; 3º sub quibusnam pœnis præcipiatur; 4º quænam causæ excusent à recitatione breviarii; 5º qualiter officium divinum sit recitandum; 6º quid dicendum sit de cantu et publicâ celebratione divini officii.

§ II.

Quinam teneantur ad officium divinum.

5082. Officium divinum recitare debent : 1º omnes clerici sacris ordinibus initiati, videlicet subdiaconi et alii ad majores ordines promoti, etiam suspensi, excommunicati et degradati, imò etiamsi cum dispensatione Papæ uxorem duxissent, nisi etiam in hoc fuissent dispensati; nam dispensatio utpote odiosa strictè est interpretanda : hæc obligatio nititur præsertim generali consuetudine ab Ecclesiâ approbatâ : hanc supponit Concilium Basileense, dicendo in sess. 21 : « Quoscumque... beneficiatos, *seu » in sacris constitutos cùm ad horas canonicas teneantur,* » admonet Sancta Synodus, etc. »

5083. Subdiaconus die quo ordinatur incipit obligari ad horam quæ tunc dicenda esset in choro : unde si ordinatur horâ undecimâ, regulariter tenetur ad recitationem Sextæ : ita S. Liguor. (lib. 4, nº 140) qui hoc putat *verius* contra quosdam volentes illum teneri tantùm ad recitandas ves-

peras eò quòd in choro horæ minores sint regulariter persolutæ horâ undecimâ.

5084. Controvertitur autem an recitando horas minores ante suam ordinationem, subdiaconus satisfaceret suæ obligationi : probabilem habet S. Liguor. sententiam affirmantem, sed negantem vocat probabiliorem (*ibid.*).

Pariter controvertitur an qui per metum injustè incussum ordinem subdiaconatûs suscepit, teneatur officium recitare : sententia negans probabilior videtur eidem S. Liguorio, quia Ecclesia rationabiliter præsumitur nolle eos obligare in hoc casu. (S. Liguor., lib. 4, nº 144.)

5085. — 2º Beneficiati qui jam habent jus in re et plenum dominium beneficii, si fructus percipiant, vel percepturi sint : constat ex variis capitulis juris canonici, nempe ex cap. *Dolentes*, et cap. *Presbyter, de celebratione;* item ex Concil. Lateran. V, sub Leone X, sess. 9, § *Statuimus* (Labbe, tom. 14, col. 227), ubi dicitur : « Statuimus » quoque et ordinamus, ut quilibet habens beneficium » cum curâ, vel sinè curâ, si post sex menses ab obtento » beneficio, divinum officium non dixerit, legitimo impe- » dimento cessante, beneficiorum suorum fructus suos » non faciat pro ratâ omissionis recitationis officii et tem- » poris, sed eos tanquam injustè perceptos in fabricam » hujusmodi beneficiorum vel pauperum eleemosynas » erogare teneatur. Si verò ultra dictum tempus in simili » negligentiâ, contumaciter permanserit, legitimâ moni- » tione præcedente, beneficio ipso privetur, cùm propter » officium detur beneficium. Intelligatur autem officium » omittere, quoad hoc, ut beneficio privari possit, qui » per quindecim dies, illud bis saltem non dixerit, Deo » tamen ultra præmissa de dictâ omissione redditurus ra- » tionem : quæ pœna in habentibus plura beneficia reite- » rabilis toties sit, quoties contra facere convincetur. » Constat insuper ex Bullâ S. Pii V *Ex proximo*, 135. Vide infra (5099.)

5086. Non tenentur beneficiarii horas recitare ante acceptam possessionem, aut si nullos fructus sinè suâ culpâ percipiant, nec percepturi sint; secus si per ipsos staret

quominus beneficium accipiant, aut fructus percipiant. In casu verò litis super beneficium, si beneficiarius jam fuerit adeptus possessionem beneficii, etsi fructus ob litem nondum percipiat, tenetur ad officium si ipse spem moraliter certam habeat vincendi; secus si absit hæc spes, et dubium sit cui adjudicandi erunt prædicti fructus : et hoc etiamsi beneficiarius emolumentum ex fructibus beneficii jam perciperet, sed ob manuale servitium. (S. Liguor., lib. 3, n° 664.)

5087. Tenetur horas recitare is qui licet omnes fructus suos non recipiat, sive ex suâ culpâ sive non, recipit tamen partem quæ sufficit ad sustentationem; item tenetur qui primis annis parùm recipit, eò quòd fructus expendat in substitutum.

A patre coactus ad statum ecclesiasticum, si ipse fructus percipiat, ad horas tenetur; secus, si percipiat pater, qui et ipse ad restitutionem obligatur. (Apud S. Liguor., lib. 4, n° 144.)

An teneantur ii qui primo aut etiam secundo anno non percipiunt fructus, eò quòd assignentur fabricæ vel prædecessori defuncto, quia etiam ipsi post mortem eodem privilegio fruituri sunt, controvertitur; sed sententia affirmans communior videtur. Vide S. Liguorium (lib. 4, n° 144, 3°).

5088. Item controvertitur an ad officium teneatur is qui beneficium tenue habet; recentiores tamen magis communiter videntur negare, et nituntur capite *Is cui*, *de Præbend.*, in 6°, ubi dicitur : « Is cui conceditur, auctoritate Apostolicâ uni personæ idoneæ in suâ vel aliâ ecclesiâ providere, alicui aliud *sufficiens beneficium* obtinenti providere non potest. » Ergo providere posset beneficium non sufficiens obtinenti; ergo tenue beneficium ut verum beneficium non est habendum. Vide S. Liguorium (lib. 3, n° 674).

5089. Quodnam verò insufficiens seu tenue beneficium sit habendùm, communiter DD. censent probabiliter tale esse si non pertingat ad tertiam partem sustentationis; sustentatio autem mensurari debet, ex Vivâ, secundùm diver-

sitatem patrimoniorum quæ solent clericis assignari, quæque variant pro diversitate locorum. Si autem dubium sit an beneficium sit tenue, beneficiarius tenetur ad officium: quia cum beneficium sit certum, et tenuitas excusans sit dubia, possessio stat pro beneficio, et proinde pro obligatione officii; meritò addunt De Lugo, Croix, etc., non excusari beneficiarium, si ob suam culpam beneficium factum sit tenue, vel si ipse speret in posterum uberiores fructus, vel si non faciat fructus suos defectu residentiæ. Controvertitur tamen an qui non residet ex dispensatione teneatur ad officium si fructus non percipiat. (S. Liguor., lib. 3, n° 674; lib. 4, n° 144 7°.)

5090. Ad officium non tenentur qui tantùm habent præstimonia temporanea quæ dari solent adolescentibus in subsidium studiorum: quia non sunt propriè dicta beneficia (*ib.*, n° 8). — Clerici autem pensionarii tenentur recitare officium parvum B. M. V. juxta S. Pii V Constit. *Ex proximo*, ubi dicitur : « Quicumque pensionem » aut alias res ecclesiasticas ut clericus percipit, eum » modo prædicto ad dicendum officium B. Mariæ Virginis » decernimus obligatum. »

Non tenetur ad horas coadjutor beneficiarii si ipse non administret: est commune. (S. Liguor., lib. 4, n° 144 8°.)

5091. — 3° Omnes religiosi utriusque sexûs ad chorum destinati ad officium tenentur, idque ex antiquâ et receptâ consuetudine.

Magna autem quæstio occurrit an religiosi in sacris non constituti et moniales teneantur sub gravi, saltem privatim, recitare officium : alii negant, quia, inquiunt non constat consuetudinem fuisse introductam cum animo se graviter obligandi; alii dicunt grave esse si dicti religiosi ac moniales frequenter omittant officium; secus si aliquoties tantùm. Sententia communis cui adhæret S. Liguor. docet dictos religiosos et moniales sub gravi teneri recitare quotidie horas canonicas : cùm enim hæc consuetudo universaliter et cum magno incommodo fuerit constanter observata, et Prælati semper reprehenderint graviter non observantes, legitimè præsumitur illam fuisse introductam animo se

obligandi; si igitur præsumptio stat pro obligatione, pro eà stat quidem etiam possessio. Vide S. Liguor. (lib. 4, n° 142), qui addit Prælatos, etiam inferiores, posse ex causâ, puta studiorum et simili, dispensare sicut in aliis observantiis cum suis subditis, ut non recitent officium; et dictam obligationem non existere si constaret non esse consuetudinem officium recitandi, in aliquâ Religione: sic scholastici, in Societate Jesu, ad officium non tenentur quandiu sacris ordinibus non sunt initiati; item moniales Visitationis non tenentur nisi ad parvum officium.

5092. Controvertitur an religiosi ejecti per sententiam teneantur ad officium; quoad autem profugos, quidquid nonnulli dicant, meliùs sustinetur quòd ad horas astringantur; communiùs verò negatur ad id teneri damnatos ad triremes, sive religiosi sint sive clerici in sacris constituti.

Religiosi verò extra claustra cum licentiâ degentes, aut in carcere detenti tenentur ad officium. (S. Liguor., lib. 4, n° 142.)

5093. Ad id ècontra non tenentur novitii et conversi, nec etiam qui ex unâ Religione, ubi est consuetudo officium recitandi, in aliam transit ubi talis non adest consuetudo. (Apud S. Liguor., lib. 4, n° 141.)

5094. Hæc recitationem privatam spectant; quoad autem recitationem in choro, notandum est 1° quòd nullus religiosus aut monialis sub gravi teneatur in particulari recitare horas in choro, modò tamen exhinc chorus non tollatur: ita communiter; paucitas autem religiosorum excusat à choro totam Communitatem: undè si non adsint ad minus quatuor religiosi expediti, non est obligatio chori: diximus *expediti*, nam si sint *infirmi*, vel legitimè occupati, non est obligatio chori, licet sint quatuor: sufficit autem quòd soli novitii choro intersint.

Ex justâ causâ licet religiosis aliquando horas recitare in sacristiâ.

5095.-2° Etsi regulariter religiosi choro non assistentes non peccent mortaliter saltem, graviter tamen peccant Prælati qui ex negligentiâ sinunt omitti partem notabilem officii in choro, et probabiliter pars judicanda est notabilis pro choro quæ

talis reputatur pro recitatione privatâ, licet minorem partem requirant plures quando agitur de recitatione in choro.

5096. Episcopi etiam tenentur invigilare ut officium persolvatur in choro à Canonicis; sed non tenentur ipsimet choro interesse. S. Liguor. (lib. 4, n° 143).

§ III.

Cujus naturæ sit obligatio divinum officium recitandi.

5097. — I. Tanta est obligatio divinum officium recitandi ut peccet mortaliter quisquis habens hoc onus, illud in notabili parte implere negligit : ita communiter; et sic est omninò tenendum juxta S. Liguor. (lib. 4, n° 146). Hæc autem omissio verius est unum mortale non septuplum, nisi multiplicarentur peccata per voluntatis mutationem. Non unanimes sunt DD. in assignando quænam sit illa pars notabilis cujus omissio esset peccatum mortale : S. Liguor. improbabilem habet opinionem juxta quam una parva hora, prout Tertia, Sexta, etc., esset levis materia; *sed* admittit sententiam Sanchezii et aliorum qui asserunt materiam esse parvam quando non pertingit ad quantitatem unius integræ horæ parvæ, et probabiliter dicit non peccare graviter qui omittit totam Vesperam Sabbati Sancti; peccaret autem graviter, juxta eumdem, qui unum nocturnum integrum omitteret, imò qui omitteret tres lectiones cum responsoriis, si tales sint ut parvam horam adæquent; secus, si tales non sint; peccaret etiam graviter si quis de parvâ horâ aliquid nimis modicum diceret. (S. Liguor., *ib.*, n° 147.)

5098. Qui utuntur Breviario Romano deobligantur recitare in choro officium B. Mariæ, Defunctorum, et psalmos pœnitentiales, nisi vigeret in loco consuetudo hæc recitandi diebus quibus sunt assignata : sed hæc obligatio intra chorum non singulos sed solùm communitatem afficit. (S. Liguor., lib. 4, n° 143, *in fine.*)

De casu quo quis dubitat an officium recitaverit, vide eumdem (*ib.*, n° 150).

5099. — II. Non tantùm omissio officii est mortale pec-

catum, sed etiam onus restitutionis inducit, pro ratâ parte officii omissi, in eo qui titulo beneficii, ad horas tenetur, si elapsis sex mensibus post adeptam possessionem culpabiliter eas non recitet. Constat ex Concilio Lateranensi V supra relato (5085). Insuper hæc sancivit S. Pius V, in suâ Constit. *Ex proximo Lateranensi* anni 1571 : « Statuimus » ut qui horas omnes canonicas uno vel pluribus diebus » intermiserit, omnes beneficii fructus qui illi vel illis » diebus responderent, si quotidiè dividerentur, qui verò » tantùm Matutinum, dimidiam, qui cæteras alias horas, » aliam dimidiam, qui harum singulas, sextam partem » fructuum ejus diei amittant. Tametsi aliquis choro addic- » tus non recitans, omnibus horis canonicis cum aliis » præsens adsit, fructusque et distributiones fortè aliter as- » signatas solâ præsentiâ juxta statuta, consuetudinem, » vel aliàs sibi lucrari prætendat, is etiam præter fruc- » tuum et distributionum amissionem, grave peccatum in- » telligat se admisisse. Item ille qui primis sex mensibus of- » ficium non dixerit, nisi legitimum impedimentum ipsum » excusaverit, grave peccatum intelligat admisisse. »

5100. Restitutio autem hujusmodi certè debetur ante judicis sententiam, ut patet ex damnatione propositionis sequentis ab Alexandro VII : « 20. Restitutio à Pio V imposita » beneficiatis non recitantibus, non debetur in conscientiâ ante sententiam declaratoriam judicis, eò quòd sit pœna. »

5101. *Nota* insuper sequentem propositionem ab eodem S. Pontifice damnatam : « Restitutio fructuum ob omissio- « nem horarum suppleri potest per quascumque eleemo- » synas quas antea beneficiarius de fructibus sui beneficii » fecerat. » Si quis tamen post omissionem officii dederit eleemosynas non recordans vel fortè ignorans obligationem restitutionis, probabiliter potest eas imputare in solutionem hujusce obligationis. (S. Liguor., *Append. Homo apost.*, 3, *de horis canon.*, n° 62.)

5102. Controvertitur an ad restitutionem teneatur Beneficiarius officium sinè culpâ omittens : probabilior est sententia negans : dicitur enim in Concilio Later. V, supra relato (5085) : « Qui officium non dixerit, *legitimo impe-*

» *mento cessante*, fructus suos non faciat » ; si ergo adsit legitimum impedimentum, beneficiarius fructus potest facere suos, omittendo officium ; ante autem Concilium Lateranense, nullus erat textus juris quo hæc restitutio præciperetur, sed benè potuit Ecclesia omittentibus officium imponere ipso facto restitutionem in pœnam culpabilis omissionis. « Sed dices (inquit S. Liguorius, lib. 3,
» n° 665) si restitutio fructuum culpabiliter omittentibus
» est pœna, cur non requiritur sententia saltem declara-
» toria criminis, ut declaravit Alexander VII..., dùm in
» omnibus pœnis positivis requiritur sententia?—Res-
» pondetur non requiri sententiam eò quòd hæc restitutio est
» pœna conditionalis.., sive quia recitatio officii est con-
» ditio sinè quâ non potest beneficiarius adipisci fructus,
» (seu sinè quâ fit incapax fructus acquirendi), sicut decla-
» ravit Lateranense... *Si post sex menses* », etc. : vide supra (5085).

5103. Controvertitur pariter an beneficiarius omittens officium infra sex menses ab adepto beneficio suo teneatur ad restitutionem : probabilior sententia negat, quia beneficiarius non tenetur ad restitutionem ex pacto cum fundatore beneficii, sed ex lege ecclesiasticâ à Concilio Lateranensi V instituta ; porrò juxta Concilium Lateranense, restitutio fructuum non debetur nisi post sex menses adeptæ possessionis beneficii. Ergo etc.—Advertendum est tamen quòd isti non excusentur à gravi culpâ, ut monet S. Pius V, in Bullâ supra relatâ (5099).

5104. Quærit. 1° Cuinam sit facienda restitutio ob omissionem offici ?

Resp. Faciendam esse, ex S. Pii V Decreto, pauperibus vel Fabricæ beneficii, sive ecclesiæ, sive domui beneficii, sive in augendis agris : non verò fabricæ alterius ecclesiæ, nisi ecclesia propria non indigeret restauratione, et aliæ ecclesiæ eleemosynis indigerent. Nomine autem pauperum intelligi possunt pauperes cujuscumque loci, et etiam intelliguntur defuncti, aut ipse beneficiarius, si verè pauper sit, nisi in fraudem officium omisisset sciens posse ob paupertatem sibi retinere fructus. Quidquid autem non-

nulli dicant, non videtur quòd beneficiarius eximatur ab obligatione fructus restituendi per applicationem suarum precum animabus purgatorii, sed posset aliis solvere ejusmodi fructus ut missas vel alia suffragia pro defunctis applicarentur. (S. Liguor., lib. 3, 672.)

5105. Quærit. 2° An omnes fructus beneficii sint restituendi propter solam horarum canonicarum omissionem?

Resp. Affirmare Suarezium cum Azor, quia sic habet Bulla S. Pii V.; idem affirmant *Analecta* (3ᵉ livr., col. 697) pro foro externo; quoad autem forum internum adhærent sententiæ S. Liguorii; sed communiùs negant probabiliter plerique DD., qui dicunt eos tantùm beneficii fructus esse restituendos, qui correspondent oneri officii omissi : ratio quia sic usu est recepta Bulla S. Pii V, et durum esset aliter explicare, et ad æqualem restitutionem Episcopos, parochos, qui alia onera ferunt, ac simplices beneficiarios, qui ad recitationem horarum solummodo astringuntur. Quare dicunt parochum, vel Episcopum ad quartam, aut secundùm alios ad quintam partem solùm teneri; Canonicos, ad tertiam vel quartam; sed, quiquid dicant nonnulli, simplices Beneficiarii ad integram restitutionem tenentur. S. Liguor. (lib. 3, n° 674); Bouix (*de Capitul.*, p. 308, 4°).

5106. Non est autem obligatio restituendi fructus si omittatur pars divini officii quæ sit minor unâ parvâ horâ; secus si illam adæquet, etiam quando illa omissio adæquans, ex pluribus omissionibus in diversis horis ejusdem diei coalescit. S. Liguor., lib. 3, n° 668.

De Canonicis, vide quid dixerimus supra (2320).

5107.—III. Omissio recitationis officii est certè peccatum contra virtutem religionis, quia ecclesia obligat ex motivo religionis ad recitandas horas canonicas, et hoc etiamsi omittens officium vellet restituere fructus sui beneficii; si verò beneficiarius (non autem alius clericus, vel regularis) nollet hos fructus restituere, non solùm peccaret contra Religionem, sed etiam contra justitiam, quia in hoc casu, non potest fructus beneficii facere suos, ex Concil. Lateran. V, et S. Pio V.

5108. Controvertitur autem an peccet etiam contra jus-

titiam beneficiarius, casu quo omittens officium, vult restituere; probabilior sententia negat : vide S. Liguor., lib. 4, nº 145; — sed certè peccat contra Religionem, ut modò diximus.

§ IV.

Sub quibusnam pœnis præcipiatur recitatio divini officii.

5109. Pœnæ sub quibus præcipitur recitatio divini officii, continentur in § *Statuimus*, sess. 9 Concilii Lateran. V, quem supra retulimus (5085), et in Constit. *Ex proximo* S. Pii V supra citatâ (5099). Illæ sunt :

1º Amissio fructuum beneficii pro ratâ parte temporis quo culpabiliter fuit omissum officium post sex menses adepti beneficii; 2º privatio beneficii, si ultra dictum tempus in simili negligentiâ permanserit, legitimâ monitione præcedente, et hoc bis saltem contigerit intra spatium 15 dierum.

5110. De primâ pœnâ sat diximus in § præcedenti; notetur solùm quòd hæc pœna incurratur ante omnem sententiam, sed duntaxat post sex menses ab adepto beneficio, et pro solo tempore quod effluxerit post dictos sex menses completos.

5111. Quoad autem privationem beneficii, non incurritur nisi post sententiam judicis competentis : « Antequam » hujusmodi pœna possit imponi, inquit Suarez (lib. 4, » *de hor. canon.*, c. 29, nº 4), requiritur prævia monitio » et subsequens contumacia durans post monitionem per » quindecim dies (*supra* 5085)..: quia ergo illa monitio non » statim fit post sex menses, contingere potest ut aliquis » per multùm tempus non recitet post primos sex menses » non admonitus, et consequenter non sit specialiter » contumax... : tunc pro illo toto tempore tenebitur res» tituere, et non est obnoxius pœnæ privationis donec » legitimè moneatur..; si contingat statim post sex menses » monitionem fieri, tunc quidem solùm pro quindecim » diebus conceduntur induciæ, ut sic dicam, usque ad » privationem beneficii, cum obligatione restituendi pro » ratâ, pro eisdem diebus, quod nullum est inconveniens;

» quia illud tempus potest esse majus vel minus juxta diligentiam admonentis. »

5112. Ex his patet posse judicem ferre sententiam privationis beneficii, licet nulla alia præcesserit sententia, etiam privativa fructuum beneficii, quia ut vidimus in § præcedenti, nulla sententia requiritur ut restitui debeant hujusmodi fructus, quippe omittens culpabiliter officium illos non facit suos, sed requiritur *monitio prævia;* an autem illa monitio debeat esse triplex vel una pro triplici, nihil esse videtur ex quo deduci possit unicam absolutè non sufficere: Concilium enim Lateranense loquitur in singulari: *legitimâ monitione præcedente;* attamen *Analecta* (3e livr., col. 696) dicunt monitionem debere esse trinam juxta Concilium; et vide infra dicenda (6412).

5113. Quot autem requirantur omissiones post legitimam monitionem, ut sententia privationis ferri valeat: — Duæ sufficiunt intra quindecim dies ex Concilio Lateran.; sic enim explicatur Concilium à S. Carolo, in primo Concil. Provinciali Mediolanensi (pars 2a, tom. 1, p. 17, *Act. Eccl. Mediolan.*): « Malitiæ ac negligentiæ clericorum qui, quas » debent canonicas horas dicere omittunt, occurrere » cupientes, ex Decreto Leonis X in Lateran. Concilio, » mandamus ut clericus quicumque, curatum vel sinè » curâ ecclesiasticum obtinens beneficium, si post sex » menses ab eo die quo illud obtinuerit, sinè justi impedimenti causâ divinum officium non dixerit, bene» ficiorum fructus suos non faciat, sed eos tanquam » injustè perceptos in ejus ecclesiæ fabricam, vel paupe» rum eleemosynas erogare debeat. Si verò canonicè ad» monitus, in eâdem negligentiâ ac malitiâ perstiterit, » beneficio privetur. *Officium autem omittere ut beneficio » privari possit, is jure dicatur qui quindecim dierum » spatio bis illud omiserit.* » Eodem modo Concilium Lateranense explicat S. Liguor. (lib. 3, no 671), nec inveni auctores contrarium sentientes.

Quoad pœnas culpabiliter à choro absentibus imponendas diximus supra (2320).

§ V.

Quænam excusent à recitatione officii.

5114. A recitatione breviarii excusant : 1° *Infirmitas*, cujus causâ excusantur non solùm qui gravi morbo laborant, sed etiam qui non possunt horas recitare nisi cum gravi incommodo, aut probabili talis incommodi periculo : « Unde, inquit S. Liguor. (lib. 4, n° 154), satis excusantur » qui prudenter credunt vel timent ob officii recitationem » eis fortè obventuram notabilem gravedinem capitis vel » cruditatem stomachi, aut virium lassitudinem, vel si » credant febrim tardiùs esse remittendam....: et hoc pro- » babiliter admittitur, etiamsi infirmus per magnam diei » partem aliquem legeret librum ad animum solandum... : » ratio quia licet iste possit legere librum recreationis, » non tamen sequitur quòd possit et teneatur officium » recitare, ad quod alia quidem major attentio requiritur » quæ majorem affert difficultatem. »

5115. Etiam convalescentes ex gravi morbo excusantur ab officio per aliquot dies ad arbitrium prudentûm, donec vires reficiantur, etiamsi missam celebrarent. (S. Liguor., *ibid.*)

5116. In dubio an infirmitas sufficiat ad excusandum, potest infirmus se committere judicio medici aut Superioris (quod in tali dubio dispensare valet), aut viri prudentis, et etiam potest stare judicio proprio, si tale judicium prudenter possit ferre. (S. Liguor., *ib.*)

Si his mediis adhibitis dubium perseveret, tunc vel dubitatur an recitatio graviter læderet, vel an indispositio sit sufficiens ad excusandum : in primo casu, non est obligatio recitandi ; in secundo, cùm præceptum possideat, est tunc implendum, modò sit purum dubium : nam secus esset dicendum si esset judicium probabile. (S. Liguor., *ib.*)

5117. Etsi qui laborat febri tertianâ, vel quartanâ, teneatur horas anticipare, vel postponere, quia obligatio illas dicendi urget totâ die, attamen valde probabile est quòd ille qui non potest recitare Matutinum die sequenti, non

teneatur in præcedenti die anticipare, quia nondum adest obligatio tale officium recitandi, et nemo tenetur uti privilegio. (S. Liguor., *ib.*, n° 155.)

5118. Omninò excusatus non tenetur, ut aliqui volunt, alium legentem audire, nec alias preces recitare : si tamen commodè potest et solet legere cum socio, gratuitò ad id tenetur; imò controvertitur an beneficiarius non teneatur pretio conducere socium, et sententia affirmans *dicitur probabilior* à S. Liguorio (*Homo apost.*, *append.* 3, n° 76); vide etiam (lib. 4, n'ᵉ 154-158).

5119. — 2° *Justum impedimentum :* sic excusantur qui occupantur totâ die in officiis religionis, aut charitatis quæ sinè scandalo aut magno detrimento, proprio vel alieno, omitti nequeunt : v. g. excusantur concionatores si sinè scandalo aut notâ concionem omittere non possint; item confessarii, qui per totam diem confessiones excipiunt quas differre nequeant; item qui occupantur in sedandis jurgiis aut assistendis infirmis, vel qui ex officio attendere debent publicis thesibus; item habentes publicam thesim ad cathedram aut lauream obtinendam, si occupatio esset totius diei, nec posset differri sinè damno proprio aut aliorum; et sic in aliis casibus similibus. Rarissimè tamen accidit quòd tales sinè culpâ omittant officium, quia ordinariè sinè magnâ difficultate possunt anticipare vel postponere horas canonicas : in hâc autem materiâ advertenda est sequens propositio ab Alexandro VII damnata : « Habens » capellaniam collativam, vel quodvis aliud beneficium » ecclesiasticum, si studio litterarum vacet, satisfacit si » officium per alium recitet. » (S. Liguor., lib. 4, n° 156.)

5120. Notandum est quòd quando officium in choro recitatur, ii qui dum alii cantant, parant aut transferunt libros, perquirunt psalmos, pulsant organa aut campanas, vel alia choro necessaria peragunt, non tenentur omissa supplere : tunc enim per socios suppletur quod ipsi fortè non satis percipiunt : ita communiter contra quosdam; vide S. Liguor. (lib. 4, n° 143), qui tamen non acquiescit iis qui dicunt satisfacere eum qui choro alternatim respondet organum pulsando, quin versiculum suæ partis proferat

eò quòd tunc horæ integræ non recitentur, cùm organum verba non proferat : unde opus est ut quis saltem altâ voce tunc verba pronuntiet dum organum pulsatur.

5121. Probabiliter verò satisfacit qui, dum alii recitant, tussit vel exscreat, etiamsi integer psalmus interim dicatur; item probabiliter excusatur is qui in choro perlegit lectionem ne erret, alioquin erraturus. (S. Liguor., lib. 4, 156.)

5122. — 3° *Carentia breviarii*, vel *cæcitas*. In quo casu primum est advertenda propositio ab Innocentio XI damnata quæ dicebat : « Qui non potest recitare Matutinum et » Laudes, potest autem reliquas horas, ad nihil tenetur: » quia major pars trahit ad se minorem. » Unde qui caret breviario et nihil memoriter quàm *Laudes* aut *Completorium* rescit, certò tenetur has horas recitare sub gravi : non tamen tenetur ea memoriter addiscere si nesciat.

5123. Plures dicunt quòd si habeas psalmos sed non lectiones Matutini, nihil teneris dicere, quia tunc deficit norma à S. Pio V præscripta; hanc tamen sententiam S. Liguorius non approbat, quia cùm possis tunc notabilem officii partem (nempe quæ parvæ horæ æquivaleat) recitare, non est cur ab eâ excuseris : non teneris autem recitare partem quæ minor esset parvâ horâ.

Si haberes commune et non proprium illius diei, ex illo communi debes horas recitare. Controvertitur an casu quo careres breviario romano, et aliud haberes, tenereris ex illo officium recitare : qui negant, nituntur verbis Bullæ S. Pii V : *nisi hâc solâ formâ satisfacere posse :* hoc tamen non obstante, sententia affirmans, ut magis pia et rationabilis, sequenda fore videtur S. Liguorio, quia non tantùm est præceptum servandi formam à S. Pio V præscriptam, sed et dicendi officium divinum (*ib.*); hanc secundam sententiam ut certam tradit D. Bouix (*De Capitulis*, p. 337, II).

5124.—4° *Dispensatio :* quæ certè dari potest à S. Pontifice, etiam sinè causâ, saltem validè, quia obligatio horas recitandi probabiliùs non est juris naturalis aut divini, sed solùm ecclesiastici. Episcopus potest etiam dispensare cum aliquo particulari tantùm, et ad breve tantùm tem-

pus, sed cum justâ causâ : sufficiens autem esset causa, si dubitaretur de morali impotentiâ clerici. Potest etiam dispensare Vicarius Generalis, si mandatum speciale habeat ab Episcopo. (S. Liguor., lib. 4, n° 159.)

§ VI.

Qualiter recitandum sit divinum officium.

5125. Horæ canonicæ recitandæ sunt : 1° juxta ritum debitum; 2° vocaliter, integrè et distinctè; 3° continuè, ordinatè ac tempore debito; 4° attentè et devotè.

5126. — I. Recitari debent juxta *ritum debitum*, proinde juxta breviarium romanum, nisi quis de hoc legitimam dispensationem obtinuerit, prout vidimus supra (5052, 5124).

Iis quæ supra diximus de obligatione utendi breviario romano, adde quòd juxta sententiam communiorem sit obligatio sub gravi, etiam extra chorum recitandi litanias Sanctorum diebus S. Marci et Rogationum : ita ut S. R. Congr. declaraverit eos qui non cecinerint dum intererant processioni, teneri litanias dicere privatim; plures tamen negant adesse hanc gravem obligationem : et licet non audeat illorum opinionem improbabilem dicere, S. Liguorius tamen primam sententiam magis approbat, quia ubique viget consuetudo litanias in dictis diebus recitandi. (S. Liguor., lib. 4, n° 161.)

5127. Juxta etiam sententiam veriorem, est obligatio recitandi officium defunctorum in die eorum Commemorationis 2 novembris : et hoc ex constanti et universali consuetudine. S. Liguor. (*ib.*).—Vide etiam D. Bouix, *De Capitul.*, p. 311, qui non videtur benè intellexisse S. Liguorium.

5128. Hìc expendi potest quæstio ab auctoribus multùm agitata, an scilicet posset aliquando satisfieri obligationi horas canonicas recitandi, mutando officium unicuique diei assignatum.

1° Certum est non sic semper posse satisfieri : damnata

enim fuit propositio sequens ab Alexandro VII : « 34. In » die Palmarum recitans officium Paschale satisfacit præ» cepto. » Et idem certè est dicendum de officio Pentecostes et de pluribus aliis.

5129. — 2° Communiter admittitur non teneri horas repetere eum qui inadvertentiâ unum officium dixit pro alio : quia meritò præsumitur Ecclesia nolle uno die bis ad tantum onus obligare ; rationabiliter tamen facienda est compensatio, si dictum fuisset officium notabiliter brevius, v. g., si in die Dominicâ dictum fuisset officium de Sancto, sufficeret in hoc casu recitare novem psalmos primi nocturni omissi Dominicæ.

5130. — 3° An autem liceat aliquando mutare officium alicui diei assignatum ? — Licitum sat communiter habetur quòd si aliò pergis potes recitare officium illius loci : à quibusdam tamen religiosi excipiuntur quia ex vi professionis tenentur ad breviarium *sui ordinis;* sed certum est quòd religiosus factus Episcopus benè potest uti breviario suæ diœcesis (S. Liguor., lib. 4, n° 158); probabiliter autem advena potest recitare officium suæ patriæ. Certè Canonici tenentur recitare officium propriæ Ecclesiæ etiamsi ab eâ absint : ita S. R. Congr., ap. Gardellini, n° 2676. (Bouix, *De Capitulis*, p. 348.)

5131. Ex Decreto S. R. Congreg. anni 1605, capellanus potest se conformare in officio illi cujus est capellanus, si cum illo recitet. Idem dicit de capellanis monialium S. Liguor., lib. 4, n° 161, q. 3, v° *juxta* ; at hoc contradicit dec. S. R. C. 21 mart. 1795, n° 4315 ; sed idem probabiliter est dicendum de eo qui obit exercitia spiritualia apud religiosos. Item qui recitat cum socio sat probabiliter potest se conformare illius ritui, modò officium permutetur in æquale : hoc non admittit S. Liguorius si officium mutetur in officium notabiliter brevius.

5132.—An autem sinè causâ sit semper mortale mutare officium in aliud æquale : quatuor adsunt sententiæ apud S. Liguorium expositæ, qui ipse admittit id fieri posse, sinè gravi peccato, non quidem semper, sed aliquoties, puta ter vel quater in anno ; et posse fieri etiam sinè pec-

cato veniali, si adsit aliqua rationabilis causa, nempe studii, itineris, infirmæ valetudinis, vel specialis devotionis erga aliquem Sanctum (lib. 4, nº 161). Difficultatem tamen faciunt contra hanc sententiam S. Liguorii verba S. Pii V in Bullâ *Quòd à Nobis* : « neminemque nisi hâc » formâ satisfacere »; « sed probabiliter est, inquit S. Lig., » Pontificem in hâc formâ præscribendâ magis respexisse » ad formam substantialem, nempe ad illius quantitatem : » et ideo commutatio non videtur culpam venialem exce- » dere » (*Homo apost.*, *append.* 3, *de horis canon.*, nº 70). Hoc tamen non obstante, dubitamus an hæc sententia S. Liguorii sit reverà probabilis : ex decisione enim S. R. C., 17 junii 1673, si omissum est per oblivionem aut inadvertentiam aliquod officium, non potest eo anno ampliùs fieri. (*Ordo Valent. pro anno* 1861, nº 19.)

5133. Addit S. Liguorius : « Si advertas errasse postquam » multùm processeris in officio indebito, puta si dixeris » Matutinum, tunc potes vel prosequi, vel reliquum reci- » tare de officio debito...; sed puto... meliùs esse recitare » de proprio, ne errorem prosequaris. » (Lib. 4, nº 161.) Sufficit in casu omissionis, recitare partem omissam quin aliud repetatur : « probabiliùs tamen censent Ar- » milla et alii, totam horam esse repetendam, si omiseris » partem notabilem ex culpâ, quia est obligatio (saltem » sub levi) ut orationem continuatam secundùm ritum » præscriptum facias. »

5134. — II. *Officium recitari vocaliter, distinctè et integrè.* — 1º *Vocaliter et distinctè*, quia officium est oratio vocalis et non purè mentalis; disputant auctores an recitans debeat se audire : plures affirmant quia alioquin recitatio non esset verè vocalis, sed solùm inchoatio vocis ; alii sat probabiliter negant cum Sylvio, quia ad satisfaciendum horis non præcipitur auditio sed tantùm recitatio seu pronuntiatio verborum, quod fieri potest etiamsi pronunans non semetipsum audiat; imò impossibile est quin alicualis sonitus seu vox non formetur quando per linguam labia fit aeris compressio; proinde licet quis non se audiat, oratio est verè vocalis quando pronuntiantur verba

(S. Liguor., lib. 4, 163); si tamen officium in choro vel cum socio diceretur, audiri debet pars à socio vel ab aliâ parte chori recitata, ut sic fiat communicatio orationis. Communis est autem sententia benè satisfacere, qui recitans cum socio solummodo audit partem ab alio recitatam, modò suam partem vicissim recitet; item potest tunc audire lectiones, responsoria, capitula, orationes ac antiphonas, quia talis fert usus Ecclesiæ. Si autem plures quàm duo recitent simul officium, non debet unus unum, alter alterum, tertius tertium versum recitare, sed alternatim, facto tantùm duplici choro, quia sic habet praxis Ecclesiæ; secus est de Lectionibus, quorum primus primam, secundus secundam, etc., potest recitare : imò alicubi consuetudo permittit ut omnes ab uno recitentur, aliis audientibus. (S. Liguor., lib. 4, n° 162.)

5135. Quæritur hìc an satisfaceret choro qui submissè recitaret psalmos, alteram partem audiendo?

Respondetur quòd, loquendo de choro in genere, probabiliter satisfaceret, quia non requiritur ut recitantes in uno choro audiant voces omnium recitantium in altero; loquendo autem de Canonicis et aliis ad chorum adstrictis, secus est dicendum, quia debent canere juxta superiùs dicta (2315, etc.).

5136. Communiter DD. tenent quòd si propter strepitum non audis, benè satisfacis officio; si verò non audias propter defectum pronuntiationis ex parte chori vel socii, controvertitur an tunc satisfacias : affirmantem sententiam sat probabilem putat S. Liguorius, modò is qui non audit conetur intelligere quantùm moraliter potest, quia secus semper esset anxietas (lib. 4, 163, q. 2); vult tamen S. Liguor., contra alios plures, surdum non satisfacere, si non recitet submissè partem à choro vel à socio recitatam, quia non potest communicare in hâc parte officii à choro vel à socio recitati; secus probabiliter dici potest de surdastro, si advertat in breviario quæ in confuso audit, ita ut penè percipiat. (S. Liguor., *ib.*, q. 3°.)

5137. — 2° *Integrè* sinè syncope et abbreviatione verborum ac syllabarum, absque nimiâ præcipitatione.

Venialiter tantùm peccat qui mutilat syllabas ita ut tamen verborum sensus non corrumpatur, vel si in parvâ quantitate corrumpatur, vel si hoc faciat involuntariè, ob inadvertentiam, balbutiem, inveteratam consuetudinem, quæ difficulter vinci posset. Econtra mortalis esset mutilatio si esset magna et sensus notabiliter perverteretur : quo casu repeti debet pars mutilata, vel cujus sensus est corruptus : et hoc etiamsi involuntariè accideret : juxta tamen communissimam sententiam, satis probabiliter impletur obligatio, quando servatur aliqua significatio verborum, etsi in notabili quantitate mutilentur. In publico faciliùs quàm in privato peccari potest mortaliter ob scandalum.

5138. Probabile est quòd non teneris repetere, si recites cum socio qui obtruncat syllabas, si sensus notabiliter non mutetur, vel si de hoc non constet : attamen S. Liguor. putat non excusari à veniali qui recitat cum socio taliter mutilante, nisi adsit aliqua causa excusans, nimirum si Superior vel alia persona valde gravis invitet.

5139. Certum est non satisfacere eos qui, alternatim recitando, non expectant versus absolvi, si hoc fiat in magnâ quantitate. (S. Liguor., lib. 4, n° 165.)

5140. Qui dubitat an aliquid omiserit, certè non tenetur illud recitare, si sit scrupulosus; si talis non sit, non tenetur etiam illud recitare si habeat aliquam rationem probabilem quòd reverà recitaverit. (Bouix, *De Capitulis*, p. 309 7°.)

5141. — III. Recitandæ sunt horæ *modo continuo, ordinatè ac tempore debito.*

1° *Modo continuo :* commune est Laudes à Matutino posse sinè ullâ causâ separari : in quo casu, « matutinum concludendum cum oratione de officio diei ; » Laudes inchoandas ut in Psalterio », respondit S. R. C. in *Marianopolitana*, 18 maii 1883, ad 4. — Probabiliter quoque à se invicem separari possunt Nocturni, saltem si non separentur plus quàm tribus horis, juxta antiquum ritum; secus alii dicunt, sed omnes con-

sentiunt Nocturnos posse cum justâ causâ separari. (S. Liguor., lib. 4, nº 167.)

5142. Probabilius est, contra nonnullos qui id negant, quòd hora non sit repetenda quando in eâ accidit magna interruptio : unde is qui hodie incipit Matutinum posset complere in crastino die, sinè peccato gravi, quamvis sinè causâ.

5143. Causæ justæ interrumpendi officium sunt : quælibet utilitas propria vel aliena, urbanitas, devotio, executio mandatorum Superiorum, exceptio confessionis alicujus qui libenter non expectaret; si velis aliquid agere, vel notare, ut tollas distractionem, vel ne obliviscaris, modò hoc non frequenter fiat; licitè etiam potest intermitti brevis oratio vel affectus pius, etc. (S. Liguor., lib. 4, nº 168.)

5144. — 2º *Ordinatè :* de ordine horarum vide can. *Presbyter*, dist. 91, supra relatum (5081); non autem debet inverti ordo horarum absque causâ justâ : quod si nihilominùs fiat, erit tantùm veniale, saltem extra chorum, juxta communiorem sententiam : et hoc probabilius, etiamsi frequenter accideret ; cum causâ verò non est peccatum.

5145. Justæ causæ invertendi ordinem recitationis probabiliter sunt : si inviteris, v. g., ab amico ad recitandum cum ipso; si non habeas promptè breviarium ad recitandum Matutinum, nec commodè possis expectare : tunc posses Laudes dicere; si verò venias ad chorum, officio incepto, etc.; et sic à veniali excusat quælibet rationabilis causa, et idem dicendum de inversione in eâdem horâ.

Quoad chorum controvertitur an sit præceptum sub gravi ordinem et horas præscriptas servandi : probabilius putat S. Liguorius præceptum non obligare sub gravi, quia de hâc gravi obligatione non constat.

5146. Probabiliùs etiam esset tantùm veniale dicere missam ante matutinum sinè causâ. (S. Liguor., lib. 4, nis 170, 171.)

5147. — 3º *Tempore debito :* « Tempus horarum incipit » à puncto mediæ noctis antecedentis diei, et terminat » ad punctum mediæ noctis diei sequentis...; horæ autem

» parvæ recitantur à tempore auroræ » (et etiam ante auroram, juxta P. Gury citantem Sættler, t. 2, nº 32) « usque » ad meridiem.., Nona verò potest dici etiam post meri» diem.., imò juxta alios, etiam Sexta..; Vesperæ autem » dici possunt à meridie usque ad mediam noctem... » (Quadragesimæ tempore, quatuor primis diebus et dominicis exceptis, vesperæ dici possunt ante prandium.)

5148. « Matutinum hodie, ex consuetudine jam præs» criptâ, benè potest recitari horâ vesperarum diei præce» dentis..., horâ nempe quâ sol propior est ad occasum » quàm ad meridiem. » Ita S. Liguor., lib. 4, n[is] 173, 174.

5149. Ita certè pro recitatione privatâ; quoad verò recitationem in choro, sic habet D. Bouix in suo Tractatu *De Capitulis* (p. 317) : « Concludendum videtur (ex *Instit.* » 107, § 2, nº 22, Bened. XIV) : 1º consuetudinem præ» dictæ anticipationis (nisi probaretur irrationabilis...) esse » validam et per eam jus esse acquisitum Capitulo, ita ut » illam consuetudinem mutare nequeat Episcopus; 2º se» clusâ prædictâ consuetudine, posse Capitulum cogi ab » Episcopo ut *Matutinum et Laudes* mane persolvat; 3º posse » tamen Episcopum ex justâ causâ facultatem anticipandi » indulgere. »

Die autem 12 nov. 1644, « S. Congreg. censuit petitam » facultatem recitandi Matutinum post Completorium præ» cedentis diei esse oratoribus concedendam, pro arbitrio » tamen Episcopi et dummodo lapsa sit hora tertia post » meridiem » (lib. 17 *Decret.*, p. 379). Vide Bouix, *ibid.*, p. 316, 317.

5150. Ex Decreto S. R. Congr., 1 sept. 1601 : « Matu» tinum defunctorum pro generali eorum commemora» tione, prohibitum est *cantari* pridie vesperi in festo » Omnium SS., sed recitandum est mane die secundâ no» vembris post *Laudes* diei. » Sed juxta decis. S. R. C. 4 sept. 1745, pridie cantari potest, si adsit consuetudo, vel juxta cæremoniale si Episcopus sit præsens. Privata autem recitatio officii defunctorum absolvi licitè potest post Vesperas festi omnium SS. juxta eamdem decisionem. Hoc olim controvertebatur ex S. Liguor. lib. 4, nº 174, juxta quem

hoc non est vetitum: vide *ibidem* rationes pro et contra. Communiùs et veriùs etiam docetur, contra Gavant. et alios, recitari non posse Litanias SS. vespere ante diem cui assignatæ sunt. (S. Liguor., *ibid.*, q. 3.)

5151. In nostris regionibus sub elevato polo per 44, 45, 46 gradus existentibus, observari potest pro recitatione Matutini et Laudum tabella sequens ex Gavanto et Merato extracta (*Ordo Valent.* 1857) :

8	Jan.	2 h.	9 min.	27	April.	3 h.	29 min.	11	Sept.	3 h.	11 min.
15	—	2	12	3	Maii	3	33	18	—	3	5
21	—	2	15	9	—	3	37	24	—	3	0
26	—	2	18	15	—	3	42	30	—	2	55
1	Febr.	2	22	21	—	3	45	6	Oct.	2	50
7	—	2	26	28	—	3	48	12	—	2	45
13	—	2	30	9	Junii	3	50	18	—	2	40
19	—	2	34	22	—	3	52	24	—	2	35
25	—	2	39	11	Julii	3	50	30	—	2	31
3	Martii	2	44	17	—	3	48	5	Nov.	2	27
9	—	2	49	24	—	3	45	11	—	2	23
15	—	2	54	30	—	3	42	17	—	2	19
21	—	3	0	5	Aug.	3	38	23	—	2	16
27	—	3	5	11	—	3	34	29	—	2	13
2	April.	3	10	18	—	3	30	11	Dec.	2	9
9	—	3	15	24	—	3	26	22	—	2	7
15	—	3	20	30	—	3	21				
21	—	3	24	5	Sept.	3	16				

5152. Quærit. An sit mortale horas recitare notabiliter ante vel post tempus ipsis assignatum?

Resp. Modò horæ recitentur à mediâ nocte ad mediam noctem, mortale non est illas, etiam sinè justâ causâ, recitare notabiliter extra tempus ipsis assignatum, quia tunc servatur substantia præcepti : unde ut quis possit anticipare vel postponere debitum tempus, sufficit quævis causa utilis vel honesta, nimirum concio paranda vel audienda, periculum supervenientis occupationis, major devotio, tempus aptius ad studendum et similia : non autem sufficit major commoditas, sinè alio motivo honesto. (S. Liguor., lib. 4, 173.)

Si quis horas non dixerit intra diem, etsi peccaverit, non tenetur postmodum supplere, quia onus est diei affixum. (*Ibid.*, n° 172.)

5153. — IV. Horæ sunt recitandæ *attentè et devotè*, quæ

duo præsertim supponunt videlicet animum seu intentionem orandi et Deo vacandi, et applicationem mentis ad id quod orando agitur; porrò intentio est actus voluntatis, attentio autem est actus intellectûs.

5154. Certum est ad recitationem breviarii requiri intentionem orandi, alioquin hæc recitatio non esset reverà oratio sed lectio; sed hæc intentio non debet necessariò esse actualis et explicita, sufficit quòd sit virtualis et implicita, nimirùm si de more breviarium accipias ut officium impleas uti soles : ita communiter DD.; imò nec etiam requiritur ut quis velit suum debitum implere, sufficit quòd velit orare, etsi nollet implere suum officium, quia Ecclesia nihil aliud poscit.

5155. De *attentione*, res non adeo liquet : certum est enim apud omnes minimè impediri adimpletionem præcepti horas recitandi per distractiones involuntarias : an autem impediatur per voluntarias, multùm disceptatur. Ut autem intelligatur expositio variarum de hâc quæstione sententiarum, duplex genus attentionis est distinguendum : unum attentionis *merè externæ*, et alternum etiam *internæ* : externa habetur, cùm non ponitur actio incompossibilis cum attentione interiori, ut esset fabulare, scribere, attentè alios audire loquentes, celeriter se vestire, magnâ applicatione aliquid agere : econtra compossibile esset cum attentione internâ ambulare, se lavare, se induere non omnino properanter, instruere focum, sternere lectum, pectere caput, respicere collem, flumen, etc., et alia similia facere, non tamen immunis esset ab aliquâ culpâ saltem levi, qui sinè aliquâ necessitate hæc ageret horas recitando.

Attentio interna habetur cùm attenditur vel ad verba, vel ad sensum, vel ad Deum : attentio ad verba adest cùm attenditur ad illa rectè proferenda, et juxta communiorem sententiam hæc attentio sufficit in recitatione horarum cum intentione generali colendi Deum.

5156. His explicatis, duæ sunt præsertim sententiæ circa quæstionem propositam, nempe si attentio interna sit requisita ad impletionem præcepti horas recitandi : *prima* communior affirmat, ob præcipuam rationem quòd sinè

attentione internâ, non adsit oratio, quæ definitur : *elevatio mentis ad Deum;* unde ap. S. Matth. (cap. 15, v. 8) de Judæis conqueritur Christus dicens : « Populus hic labiis » me honorat, cor autem eorum longè est à me »; et apud S. Joannem (cap. 4, v. 23) dicit : « Veri adoratores ado- » rabunt Patrem in spiritu et veritate. » Insuper in cap. *Dolentes, de celebratione miss.*, Ecclesia præcipit ut officium *devotè* celebretur : quæ devotio non videtur posse consistere in nudâ verborum prolatione.

Secunda tamen sententia contendit non requiri attentionem internam, sed sufficere intentionem recitandi cum attentione externâ, et dicunt talem orationem esse substantialiter veram orationem, sicut si quis recitaret coram rege orationem compositam ad aliquam gratiam impetrandam, certè oraret, etsi tunc ad alia esset mente distractus : *oratio* enim definitur : *petitio decentium à Deo.* Si enim addunt patroni hujus sententiæ, oratio facta cum distractione involuntariâ est certè, juxta omnes, vera oratio, quomodo non erit oratio etiamsi quis sit voluntariè distractus, si revera velit orare ? destructâ enim, quamvis inculpabiliter, rei essentiâ, ipsamet res destructa est.—Dicunt quidem adversarii adesse attentionem implicitam quando distractiones sunt involuntariæ, et hanc attentionem abesse quando sunt voluntariæ ; sed hoc non valet concipi : non enim magis est attentio quando distractio est involuntaria, quàm si esset voluntaria : attentio enim est actus intellectûs et non voluntatis ; porrò intellectus attendit semper actualiter et expressè, non verò virtualiter et implicitè. Reverà quando distractio est involuntaria intentio orandi (non verò attentio) virtualiter perseverat, sed etiam perseverare potest quando distractio est voluntaria. Ergo oratio potest existere sinè attentione internâ. Probant insuper ex eo quòd forma *Extremæ-Unctionis* sit oratio ; et tamen est certum apud omnes quòd sacramentum sit validum cum distractione etiam voluntariâ ; ergo, etc. Cæterùm, etsi satisfaciat, peccat tamen venialiter sic voluntariè distractus, defectu nempe reverentiæ erga Deum.

5157. His tamen non obstantibus, prima sententia pro-

babilior videtur Sancto Liguorio, saltem ob auctoritatem extrinsecam; sed secunda etiam ipsi *sat probabilis* videtur: unde non audet ad restitutionem damnare beneficiarium qui bonâ fide recitasset cum distractione voluntariâ, et bonâ fide pariter fructus percepisset; si autem nondum percepisset, non posset cum dubiâ fide incipere possessionem, ut videtur in tractatu de justitiâ. Vide S. Liguor., lib. 4, n° 177; et lib. 3, n° 669, 521.

5158. Notandum est autem quòd etiam, juxta fautores primæ sententiæ, ut aliquis dicatur officio non satisfacere, non solùm requiritur ut voluntariè se distrahat, sed etiam ut plenè advertat se distrahere; et Doctores communiter monent quòd si advertens se distrahi, habeat mediocrem diligentiam ad attendendum, nullo modo peccet: qui semiplenè adverteret ad distractionem, peccaret quidem venialiter, si illam non retractaret; attamen substantialiter officio satisfaceret, cùm prima voluntas intendendi semper perseveret donec cum advertentiâ plenâ non revocetur.

5159. Pro scrupulosis, notandum eos nihil teneri repetere, nisi certi sint mutasse intentionem orandi : imò si paterentur graves anxietates, ipsis posset interdici recitatio Breviarii, usquedum possent sinè tanto incommodo recitare. — S. Liguor., lib. 4, n° 177, *in fine*.

5160. Quærit. An sit culpa non servare situm in recitatione officii, scilicet stando, genuflectendo, juxta rubricam?

Resp. Si agatur de choro, quæstio controvertitur; probabilior tamen est, juxta S. Liguorium, sententia asserens in hoc adesse peccatum veniale; si ècontra agatur de recitatione extra chorum, quidquid nonnulli dicant, nulla est culpa in hujusmodi omissione, licet laudabile sit servare situm. — S. Liguor., lib. 4, n° 179, q. 4.

§ VII.

De celebratione publicâ divini officii, et specialiter de cantu.

5161. Non tantùm privatim officium divinum est recitandum, sed etiam publicè celebrari debet, præcipuè in Ecclesiis

Cathedralibus et Collegiatis, prout pariter in regularibus. De obligationibus Canonicorum et regularium circa celebrationem divini officii sufficienter diximus supra (2308-2338, 2945, 5091-5096) : hic solummodo est adjiciendum circa hanc celebrationem publicam divini officii : 1° quòd brevitatis causâ nihil sit omittendum in missâ, sed ea est cantanda prout jacet in Missali, ut S. R. C. respondit, 5 julii 1631, n° 776 5, et 11 sept. 1847, n° 4957 2, quoad missam defunctorum : idque saltem servandum est quando missa ex obligatione cantatur; — 2° quòd in missâ conventuali, in quâ chorus tenetur cantare Symbolum, illud integrè et intelligibili voce sit cantandum, non autem alternatim cum organo, nec debeat celebrans missam prosequi quin absolvatur idem Symbolum (S. R. Congregatio, 10 martii 1657; 17 decembris 1695); idem maximè convenit observari in missâ non conventuali; — 3° quòd cantores non debeant Introitum incipere antequam Celebrans ad altare perveniat (S. R. C., 14 aprilis 1753, n° 4084; et *Cæremoniale Episcoporum*, lib. 2, cap. 8, n° 30); *Sanctus* verò debet quidem cantari post Præfationem; sed *Benedictus qui venit*, etc., reservari debet post Elevationem in Missis Pontificalibus, et laudabiliter potest etiam reservari in aliis missis. — Vide De Herdt, pars 1, n° 40, IV.

5162. In officio divino publicè celebrato duo concurrere solent, maximè in festivitatibus, videlicet cantus et cæremoniæ; quæ dicenda essent de cæremoniis tractantur à rubricistis, et ad eos remittimus : dicemus igitur solummodo hîc de cantu.

« Cantum alternis choris in Veteri Testamento adum» bratum..., scribit S. Isidorus Hispalensis...; Isaias enim, » cap. 6, duo Seraphim clamabant alter ad alterum : » *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus;* indèque duos choros sibi » alternâ modulatione concinentes repræsentabant... Ex » Davidicâ institutione, levitæ in tres choros distributi, » canebant coram tabernaculo testimonii... Chorus me» dius Levitarum erat Caathitarum sub cantore Heman; » chorus dexter Levitarum Gersonitarum sub cantore » Asaph; chorus verò sinister Levitarum Meraritarum sub

» cantore Ethan (1 Paral., n° 6). Eos autem per choros » decantasse, ac sibi invicem respondisse nulli, inquit » Venerabilis Thomasius..., dubium esse potest.

5163. » In novâ autem lege, christianos ab ipso Domino » ejusque Apostolis psalmos et hymnos canendi habuisse » documenta... certum est..: Christus sanè et Apostoli post » Eucharisticam Cœnam (Matth. 26) hymnum decanta- » bant; S. Paulus, *Eph.* 5, cantum ecclesiasticum disertè » præcipit : *loquentes vobismetipsis in psalmis et hymnis* » *et canticis spiritualibus, cantantes et psallentes*. Hinc Pli- » nius in celebri ad Trajanum Epistolâ refert christianos, » in antelucanis conventibus, carmen Christo quasi Deo » dicere consuevisse. Idipsum Tertullianus testatur (*Apo-* » *log.*, cap. 39 et lib. 2, *ad uxor.*, c. 9) : *Sonant.*, inquit, » *inter duos psalmi et hymni.* » (Ferraris, v° *Cantus ecclesiasticus*, n° 1.)

5164. Non tamen statim ab initio viguisse videtur modus cantandi divinum officium alternis vocibus : plures enim hunc modum tribuunt S. Ignatio martyri; sed non videtur fuisse introductus in Occidente ante S. Ambrosium, qui ad Orientalium imitationem et ad levandum populi tædium noctes integras transigentis in templo ob persecutionem Justinæ Augustæ, illum primus induxit in Ecclesiam Mediolanensem, teste ipsomet S. Augustino, lib. 9, *Confess.*, cap. 7. (Ferraris, *ib.*, n^is^ 3, 7, 8.)

5165. Qualis erat tunc cantus ignoratur; quàm verò pius et suaviter amœnus fuerit colligi potest ex cap. 33, libr. 10 *Confess.* ejusdem S. Augustini, ubi dicit : «Verum- » tamen, cùm reminiscor lacrymas meas quas fudi ad cantus » Ecclesiæ in primordiis recuperatæ fidei meæ, et nunc ipso » commoveor, non cantu, sed rebus quæ cantantur : cùm » liquidâ voce et convenientissimâ modulatione cantantur, » magnam instituti hujus utilitatem rursus agnosco... Ut » per oblectamenta aurium infirmior animus in affectum » pietatis assurgat... Voces illæ influebant auribus meis et » eliquebatur veritas tua in cor meum, et ex eâ æstuabat : » inde affectus pietatis, et currebant lacrymæ et benè » mihi erat cùm eis. »

5166. Cantus ecclesiasticus solet vocari *planus*: et sic denominatur, quia ut plurimùm de *plano* procedit secundùm naturalem *diatonici* seu *gammæ* dispositionem, singulas notas ferè æquali temporis mensurâ denuntiando, et cum uniformi vocum concordiâ; differt à cantu harmonico seu musico, in quo èontra est magna sonorum et intervallorum diversitas.

5167. Præcipuus auctor cantûs *plani* reputatur S. Gregorius Magnus, sexto sæculo: ideoque cantus hujusmodi *Gregorianus* nuncupatur.

Inductus fuit in Gallias potissimùm tempore Caroli Magni: plurima tamen successu temporum ac præsertim his ultimis sæculis ei immixta sunt; unde sat constat non ampliùs hodie cantum permanere qualis fuerat à S. Gregorio institutus; reverà publicata fuit, anno 1851, editio cantûs, quâ restaurari quasi integrè creditus fuit ejusmodi cantus Gregorianus, sed adhuc tamen supersunt dubia quoad hoc saltem in pluribus. Vide *Mémoire sur la nouvelle édit. du Graduel*, etc., par *MM. les Archevêques de Reims et de Cambrai* (p. 8, 24, 80, etc.).

5168. Conservationi autem cantûs plurimùm contulit monachus Guido Aretinus qui, anno 1028, invenit signa (*gamme*) et methodum quibus hodiè cantus describitur. (Lequeux, n° 1053.)

5169. Cæterùm nulla stat lex, saltem generalis, quâ forma determinata cantûs in Ecclesiâ præscribatur: potest ergo unaquæque diœcesis proprium cantum servare, vel eum qui ei magis placet, adoptando Romanam liturgiam eligere: at servandus cantus in missali et alibi statutus

« Planus cantus, ait Bened. XIV, Const. *Annus* (anni
» 1749) fidelium animos ad devotionem excitat, si rectè
» peragatur; à piis hominibus libentissimè auditur, et al-
» teri, qui *harmonicus* seu *musicus* dicitur, meritò præfertur;
» et ideò Concil. Trident. (sess. 23, c. 18, *de reform.*) præci-
» pit ut seminariorum alumni *cantûs*, computi ecclesiastici
» aliarumque bonarum artium disciplinam discant. »

5170. Musica verò non erat in usu in ecclesiis, tempore S. Thomæ Aquinatis, sed de jure permissa est, textu

expresso in Extrav. *Docta* unica, *de vitâ* et *honest. cleric.*, ubi loquens de *consonantiis*, Pontifex insinuat eas esse adhibendas, *diebus præcipuè solemnibus*, *quia auditum demulcent, devotionem provocant;* solummodo abusus prohibitus fuit: ideoque in eâdem Extrav. improbatur genus musicæ quo omninò deformatur et offuscatur cantus planus; huic concordat canon *Cantantes* 1, dist. 92, ubi dicitur: « *Cantantes in cordibus vestris Domino:* audiant hæc » adolescentuli; audiant ii quibus psallendi in ecclesiâ officium est... Nec in tragædorum modum guttur et fauces » dulci medicamine liniendæ sunt, ut in ecclesiâ theatrales modi audiantur et cantica, sed in timore et scientiâ » Scripturarum. »

Concilium etiam Trident. (sess. 22, *de observ. et vit.*) præcipit ut « ab ecclesiis... musicas eas ubi, sive organo » sive cantu, lascivum aut impurum aliquid miscetur... » arceant (Episcopi), ut domus Dei verè domus orationis » esse videatur et possit. »

5171. Ut verò musici intra hujusmodi limites continerentur, instituta fuit à Pio IV commissio cujus pars fuit S. Carolus, in quâ deliberatum fuit an ad decentiam cultûs divini non expediret musicam à sacris officiis omninò excludere. A dictâ commissione vocatus fuit Joannes Petrus Aloysius Prænestinus (*Palestrine*): petitoque ab eo an posset haberi musica quæ in ecclesiis convenienter posset audiri, et in quâ verba distinctè intelligerentur, tres ipse missas composuit, quæ commissioni ita placuerunt ut propositum exulandi musicam à divinis officiis abjectum fuit[1].

5172. Postea autem, nempe 22 apr. 1657, Alexander VII Litteras Apostolicas edidit quibus circa musicam tria sancivit quoad ecclesias Romanas, videlicet: 1° ut nihil in eis caneretur nisi extractum à Missali, vel ex Breviario, aut si à Scripturâ Sacrâ vel SS. Patribus decerperetur, nonnisi approbatum à S. Congreg. Rit.; 2° ut omnino

[1] Præstantissima illarum missarum vocata fuit: *Papæ Marcelli*, non eò quòd tempore hujus S. Pontificis fuerit composita, ut malè creditur à pluribus, sed propter ea quæ explicantur ab *Analectis* (31° livr., col. 1477, etc.).

excluderetur melodia profana et theatralis; 3° ut de his accuratè servandis obstringerentur juramento magistri capellarum. Hæcque præcipit sub pœnâ excommunicationis latæ sententiæ, privatione fructuum unius mensis beneficii, et suspensione ab officio. (*Analecta*, 7° livr., col. 1298.) De his censuris silet C. *Apost. Sedis*.

5173. Plura alia præscripta fuêre pro urbe Româ, sive à Congregat. Visitationis Apostolicæ, anno 1665, sive ab Innocentio XII, 20 aug. 1692 : præcipua ex his enumerantur à Bened. XIV, in Bullâ *Annus* ad Episcopos ditionis ecclesiasticæ directâ, anno 1749, in quâ dicitur : « Vertente anno 1657, Alexander VII (Constitutione *Piæ sollicitudinis*) præcepit ut per id tempus quo divina persolvuntur officia, et quo publicæ fidelium venerationi... sacramentum Eucharistiæ expositum est, nulla alia carmina seu verba cantentur, nisi desumpta ex breviario, vel missali romano... vel Sacrâ Scripturâ, aut SS. Patrum operibus... Aliquâ dubitatione exortâ..., Innocent. XII, anno 1692, aliud Decretum promulgavit... : generatim quarumcumque cantilenarum cantum seu *motetorum*, prohibuit : in... missarum solemnibus, solummodo permisit ultra cantum *Gloria* et Symboli, ut cani posset Introitus, Graduale et Offertorium ; in vesperis verò nullâ mutatione etiam minimâ factâ, antiphonæ quæ initio cujusque psalmi, vel in ejus fine dicuntur : insuper voluit... ut musici cantores omnino legem chori sequerentur, et quemadmodum in choro aliquid addere officio fas non est, ita musicis noluit id licere ; et illud duntaxat concessit ut ex officio... SS. Sacramenti, nimirum ex hymnis S. Thomæ, vel ex antiphonis aliisque relatis in breviario et missali... carmen aliquod seu motetum nullâ verborum varietate, cantari posset..., dum Sacra Hostia elevatur, vel publicè colenda exhibetur. »

5174. Unde cantanda non sunt nisi ea quæ Ecclesia præscribit, vel saltem, inquit De Herdt (pars 1, n° 40, V), « longæva consuetudo rationabilis atque laudabilis, tacitè vel expressè, consentientibus locorum Ordinariis probavit... ; prohibitum etiam est cantare laudes, canti-

» lenas, cantiones, vel alia in linguâ vulgari, sive inter » missarum solemnia, sive exposito SS. Sacramento, aut » in ejusdem processione. » S. R. Congr. 21 mart. 1609, et pluries postea.

S. R. Congregatio consulta an deceret in Missâ Solemni cantilenas linguâ vulgari cantari, respondit 12 martii 1639 : « Non convenire, sed omnino prohibendas, prout prohibere » mandavit. » D. Boissonnet, *Dictionn. des décrets* (vº *Cantiques*). Versus autem linguâ vulgari compositi, permitti possunt post benedictionem, ex aliâ Decis. 3 aug. 1839 (*ibid.*). — Dicta hæc, ut patet, intelligi debent de universâ Ecclesiâ.

5175. Insuper in *Cæremoniali Episcopor.* hæc habentur (lib. 1, cap. 28, XIII) : « In missis et officiis defuncto» rum, nec organo nec musicâ, quam figuratam vocant, » utimur, sed cantu firmo, quem etiam tempore Adven» tûs et Quadragesimæ in ferialibus diebus convenit adhi» beri. » Ita pariter S. Congr. Episc., 27 martii 1601, apud Ferraris (vº *Musica*, nº 6).

5176. Caveri verò debet juxta Declarat. S. R. C. (21 febr. 1643, nº 1283 : 1º ne textus notabiliter per musicam mutilentur, anteponendo, postponendo verba, et illorum sensum adaptando modulationi, ita ut musica non verbis et sensui, sed verba et sensus inservire videantur musicæ; 2º ne, quæ sub Introitu, Offertorio, Elevatione et Communione cantantur, sic protrahantur, ut celebrans expectando, missam interrumpere cogatur; sicque pariter non musica missæ, sed missa musicæ famulet. Vide de Herdt (pars 1, nº 40, VI).

5177. Quoad autem usum instrumentorum, sic habet Bened. XIV in præfatâ Constit. *Annus* : « ...2º De usu instru» mentorum... nihil monebimus, nisi ut illa adhibeantur » solummodo ad vim quamdam verborum cantui quodam» modo adjiciendam, ut magis magisque audientium men» tibus eorum sensus infigatur.... Si (pergit idem) instru» menta continenter personent et solùm interdum, ut hodie » fieri solet, per momenta aliqua interquiescant, ut libe» rum spatium audiendis harmonicis modulationibus

» crispatisque jaculationibus vocum... præbeant, cæterùm » opprimant sepeliantque cantantium vocem sonumque » verborum, frustraneus est et inutilis hujusmodi instru- » mentorum usus, imò vetitus atque interdictus. »

5178. Consulit autem Pontifex (nº 11) ut præter organum non aliud permittatur instrumentum quàm *barbiton*, *tetrachordon*, *fidicula*, *lyra tetrachordis : quia hæc inserviunt ad corroborandas sustinendasque cantantium voces*. Vetantur verò *tympana*, *cornua venatoria*, *tubæ*, *tibiæ decumanæ*, *fistulæ*, *fistulæ parvæ*, *psalteria symphonica*, *cheles*, *aliaque id genus quæ musicam theatralem efficiunt*. Romæ autem adhiberi nequeunt instrumenta musica sinè speciali licentiâ. Vide Edictum Cardin. Vicarii 16 aug. 1842, apud *Analecta*, 7ᵉ livr., col. 1304.

5179. Quoad symphonias Bened. XIV, dicit illas posse *tolerari ubi earum usus jam receptus est*, *dummodo graves sint et earum diuturnitate, tædium non afferant iis qui adsunt*. Per symphoniam autem intelligitur usus intermiscendi divinis officiis sonum organorum sinè ullo cantu.

5180. Etsi generatim musica non sit prohibita, attamen monialibus vetita fuit à pluribus Pontificibus et expressè à Clemente VIII, 12 julii 1592, per Decretum in quo dicitur: « Monialibus et earum ecclesiis non permittatur cantus » figuratus, sed tantùm firmus, ac præterea etiam ex » earum monasteriis, instrumenta musica (exceptis orga- » nis, quæ in exteriori ecclesiâ permittuntur) tollantur. » Datæ quidem fuêre postea monasteriis Romæ variæ licentiæ à SS. Pontificibus, sed omnes illæ demùm fuêre revocatæ à Clemente XI, 4 decemb. 1712. (*Analecta*, 7ᵉ livr., col. 1305.)

Imò non conceditur quòd moniales possint à viris doceri cantum seu musicam, vel sonum, neque ad crates, neque ad portas, nisi brevi tempore pro cantu Gregoriano. Ita pluries decisum à S. Congr. Episc. et Regul., ap. Ferraris (vº *Musica*, nº 9). Vide etiam *Analecta (ib.)*.

« Occasione musicæ nulla monialis eximi potest à choro, » vel ab oneribus monasterii communibus sub pœnâ pri- » vationis veli, vocisque activæ et passivæ et aliis arbitrio

» S. Cong...» S. Congr. Episc. in *Anconitanâ*, 15 septembris 1603.

« Est Decretum generale S. Congr. esse tolerandam
» musicam in ecclesiâ exteriori monialium, præsertim in
» quibusdam Festis principalibus, ubi est talis consuetudo;
» ubi verò consuetudo non adest, non esse de novo concedendam.. S. Congr. Episc., in *Neapolit.*, 10 nov. 1582. »
(Ita Ferraris, v° *Musica*, n^is 11, 12.)

5181. Cùm ex dictis, non musica sed musicæ abusus sit tantùm prohibitus, sequitur quòd Episcopus nequeat prohibere ne in ecclesiis, nisi sint monialium, fiat musica; sed benè poterit vetare ne canantur verba non sacra, et ne musica aliquid immodestum aut turpe sapiat. (Ferraris, *ib.*, n^is 2, 13.)

5182. Nota quòd musici, qui non sunt de gremio Capituli, non debeant præferri clericis beneficiatis, in processionibus aut aliis publicis: unde non debent incedere cum beneficiatis, sed immediatè post crucem, non obstante consuetudine: ita pluries decisum à S. Rit. Congr., apud Ferraris (v° *Musica*, n° 17). Locum ab Episcopo designatum ante clerum sæcularem et regularem occupare debent musici, non verò incedere inter utrumque. (S. Rit. Congr., n^is 4667, 4835.)

5183. Quærit. Quandonam organum et musicorum cantus sint adhibenda?

Resp. Hæc sic ordinari in *Cæremoniali Episcoporum*, lib. 1, cap. 28: « I. In omnibus Dominicis et omnibus
» festis per annum occurrentibus, in quibus populi à servilibus operibus abstinere solent, decet in ecclesiâ organum et musicorum cantus adhiberi.

» II. Inter eas non connumerantur Dominicæ Adventûs
» et Quadragesimæ, exceptâ Dominicâ tertiâ Adventûs quæ
» dicitur *Gaudete in Domino*, et quartâ Quadragesimæ quæ
» dicitur *Lætare, Jerusalem*, sed in missâ tantùm; item
» exceptis festis et Feriis infra Adventum aut Quadragesimam occurrentibus, quæ cum solemnitate ab Ecclesiâ
» celebrantur, ut in die SS. Mathiæ, Thomæ Aquinatis
» Gregorii Magni, Josephi, Joachim, Annuntiationis

» similibus...; item Feriâ V *in Cœnâ Domini*, ad missam
» tantùm, *et Sabbato Sancto* ad missam et vesperas; et
» quandocumque occurrerit celebrare solemniter et cum
» lætitiâ, pro aliquâ re gravi.

» III. Quotiescumque Episcopus solemniter celebraturus,
» aut missæ solemni per alium celebrandæ in festis Solemnioribus interfuturus ecclesiam ingreditur; aut, re
» divinâ peractâ, discedit, convenit pulsari organum.

» IV. Idem fit in ingressu Legati Apostolici, Cardinalis,
» Archiepiscopi, aut alterius Episcopi, quem Episcopus
» diœcesanus honorare voluerit, donec prædicti oraverint
» et res divina sit inchoanda.

» V. In matutinis quæ solemniter celebrantur in Festis
» Majoribus, possunt pulsari organa, prout et in vesperis,
» à principio ipsorum.

» VI. Regulare est, sive Vesperis sive in Matutinis, sive
» in missâ, ut primus versus Canticorum et Hymnorum, et
» pariter versus hymnorum in quibus genuflectendum est,
» qualis est versiculus *Te ergo*, *quæsumus,* etc..., *Tantum*
» *ergo*; etc., et similes, cantentur à choro in tono intelli-
» gibili, non autem ab organo : sic etiam versiculus *Glo-*
» *ria Patri*, etc., etiamsi versiculus immediatè præcedens
» fuerit à choro pariter decantatus; idem servatur in
» ultimis versibus hymnorum.

» VII. In aliis autem horis Canonicis, quæ in choro
» recitantur, non est consuetum interponere organum,
» sed si in aliquibus locis consuetum esset organa pulsari,
» etiam inter horas canonicas, aut aliquas eorum, ut est
» hora tertia, præsertim quando cantatur dum Episcopus
» solemniter celebraturus capit sacra paramenta, pote-
» rit talis consuetudo servari; sed advertendum erit ut,
» quandocumque per organum figuratur aliquid cantari
» seu responderi alternatim versiculis hymnorum aut can-
» ticorum, ab aliquo de choro intelligibili voce pronun-
» tietur id quod ab organo respondendum est...

» VIII. In vesperis solemnibus organum pulsari solet in
» fine cujuslibet psalmi, et alternatim in versiculis hymni

» et cantici *Magnificat*, et servatis tamen regulis supra-
» dictis.

» IX. In missâ solemni, pulsatur alternatim, cùm dici-
» tur *Kyrie eleison* et *Gloria in excelsis*, etc...; item finitâ
» Epistolâ; item ad Offertorium....; item ad *Sanctus*, etc.,
» alternatim; item dum elevatur SS. Sacramentum, gra-
» viori et dulciori sono; item ad *Agnus Dei*, etc., alterna-
» tim; et in versiculo ante Orationem post communionem,
» ac in fine missæ.

» X. Sed cùm dicitur Symbolum in missâ non est inter-
» miscendum organum. »

5184. De origine usûs organorum, vide Ferraris, v° *Musica*, n° 19, etc.

CAPUT XVI.

DE VOTO.

5185. Dicendum : 1° Quid et quotuplex sit votum, et de ipsius vi obligandi; 2° Quot modis cesset seu tollatur ejus obligatio.

ART. I.

QUID ET QUOTUPLEX SIT VOTUM, AC DE IPSIUS VI OBLIGANDI.

5186. — I. Votum definitur : *Promissio Deo facta deliberatè, de bono possibili et meliori*. (S. Thomas, 2, 2, q. 86.)

Dicitur 1° *promissio* : unde nudum propositum non esset votum, quantumvis firmissimum fuisset.

Dicitur 2° *facta deliberatè*, quia nemo ex spontaneâ voluntate contrahere potest gravissimam obligationem, qualis ex voto oriri solet, nisi deliberatè et liberè illam sibi imponat : ratio patet.

5187. Hinc colligitur : 1° vota facta in ebrietate, etiam ante prævisa, non esse valida, quia bonum non exsurgit nisi ex integrâ causâ, quamvis ad peccatum satis sit ut

volitum fuerit indirectè et in causâ. (Ap. S. Liguor., lib. 3, nº 196.)

2º Invalida sunt pariter vota ab eo emissa qui nondum perventus fuisset ad usum rationis : satis est tamen ut quis eum usum rationis habeat quæ sufficit ad peccatum mortale, nisi ageretur de voto solemni Religionis quod certam ætatem requirit, ut diximus supra (2688).

3º Nec etiam obligat votum factum cum semiplenâ advertentiâ, v. g., ex repentino animi motu, consuetudine linguæ mentem prævenientis, vel ex calore iracundiæ rationis usum auferentis.

« In quocumque autem dubio, an defuerit plena deliberatio, valet votum... ; item, in dubio an vovens emiserit votum metu coactus, vel an metus fuerit...; secus in dubio, an materia fuerit honesta, vel possibilis, quia tunc votum nondum possidet. » (S. Liguor., *ibidem.*)

5188. Quærit. 1º An sint valida vota ex metu emissa ?

Resp. Vota facta ex metu non incusso ad hunc finem ut votum extorqueretur, sicut etiam facta ex metu justè incusso, aut ex metu intrinseco, sunt certè valida quia sunt simpliciter voluntaria; si verò emissa fuerint ex metu gravi injustè incusso à causâ extrinsecâ in ordine ad votum extorquendum, controvertitur an sint nulla saltem ex jure ecclesiastico : certum est tamen professionem solemnem Religionis ex tali metu emissam, nullam esse, ex capit. *Perlatum*, *de his quæ vi*, etc. Vide supra (2694).

Si votum ex metu levi oriretur, an tunc esset validum, etiam controvertitur; sed probabilior est sententia affirmans, ex eodem cap. *Perlatum :* ratio est quia talis metus, qui facilè rejici potest, non est habendus ut vera causa rei tam gravis prout est votum. (S. Liguor., lib. 3, nº 197.)

5189. Quærit. 2º An vota ex errore emissa sint semper invalida ?

Resp. 1º Votum est nullum si error fuerit circa substantiam materiæ promissæ, vel circa conditionem substantialem, vel circa finem seu motivum vovendi :—*circa substantiam*, ut si quis voveret suum calicem putans esse argenteum dum aureus est, vel se ingressurum determinatum

monasterium putans esse Ordinis Benedictini, cùm sit Carthusianorum;—*circa conditionem substantialem*, ut si quis voveret se ingressurum monasterium ubi putaret Religiosam disciplinam in essentialibus saltem accuratè servari, et tamen non ita esset; vel si quis voveret peregrinationem ad Limina Apostolorum putans tantùm distare centum leucis, cùm tamen distaret trecentis (si verò error circa conditionem esset parvi momenti, non haberetur ut substantialis, si, v. g. peregrinatio esset solummodo paulò longior quàm putabatur);—*circa causam finalem*, ut si quis aliquid voveret in gratiarum actionem pro sanitate patri redditâ, et is reipsa non fuisset ægrotans, vel esset mortuus: ratio est quia in his deficit consensus, qui non datur in incognitum. Nullum esse votum in his casibus pro certo habet S. Liguor., etiamsi error fuisset concomitans, id est talis ut, errore cognito, adhuc votum fuisset emissum, et etiam quantumcumque crassus fuisset.

5190. —2° Si error non sit circa substantiam, sed solùm circa circumstantias accidentales, vel illæ circumstantiæ non sunt tanti momenti, ut errore detecto emissum non fuisset votum; et tunc, non obstante errore, certè valet votum; si verò tales sunt illæ circumstantiæ, ut si cognitæ fuissent, votum non fuisset factum, controvertitur an tunc votum sit habendum ut validum, sententiamque negantem non solùm probabilem sed etiam *fortè probabiliorem* putat S. Liguor. (lib. 3, n^is 198 et 226). Secus tamen esset dicendum de casu professionis religiosæ, quæ certò est valida, si error sit tantùm circa circumstantias accidentales, etsi, errore detecto, non fuisset emissa.

5191.—3° Si error sit tantùm circa causam impulsivam, valet votum, si, v. g., quis vovisset peregrinationem ad Limina Apostolorum, studio colendi Deum, sed ad hoc impulsus quia existimat se ibi invenire amicum, tenet votum, licet postea addisceret amicum Romæ non adesse: supponitur quòd votum emissum fuisset, etiam errore detecto: nam si esset secus, eadem esset quæstio ac in numero præcedenti.

5192. Quærit. 3° Quid sentiendum sit de variis casibus subsequentibus :

1° Valetne votum quando quis vovet cum animo positivè non promittendi vel non se obligandi? — Respondeo tale votum esse certè nullum.

2° Valetne votum quando quis habet animum promittendi et se obligandi, sed cum intentione non adimplendi? — Respondeo teneri hujusmodi votum ex sententiâ communi.

3° Valetne votum, si vovens habet animum promittendi et implendi, sed tamen sinè animo positivo se obligandi? — Resp. Valere tale votum, si vovens satis sciat obligationem voti, et non excludat positivè hanc obligationem, sed negativè tantùm se habeat, quia dum vult promittere vult etiam se obligare : si verò nesciret obligationem, veriùs invalidum tunc votum esset, quia ignoti nulla cupido ; attamen si quis vellet vovere eo modo quo alii vovent, validum esset votum, quia vovens implicitè vellet obligationem contrahere; sufficit etiam si in confuso obligationem voti cognoscat.

4° Valetne votum si vovens, cognoscens obligationem voti, velit promittere, sed ad votum nolit se obligare? — Resp. De hoc non concordare DD., communior tamen et probabilior sententia est negans.

5° An autem teneatur ad votum, si vovens dubitaret an voluerit se obligare? — Dicendum quòd ad id teneatur, quia præsumptio stat pro valore actûs. Et idem est dicendum, si quis dubitet an noverit vel animadverterit obligationem voti.

Si quis autem dubitet an fecerit votum vel propositum, sed meminerit credidisse se graviter peccaturum si promissionem non impleturus esset, S. Liguorius contra Croix putat etiam istum teneri ad impletionem. (S. Liguor., lib. 3, n° 201.)

5193. Dicitur 3° *de re possibili* : materia enim voti debet esse possibilis, cùm impossibilis nulla possit esse obligatio. Et non solùm *de re bonâ* sed etiam *de re meliori* quàm oppositum seu quàm ejus omissio : ratio est quia finis intrinsecus voti est per hoc honorare Deum ; Deus autem nequit

honorari nisi per id quod ei placet : at Deo placere non posset quòd quis se obligaret ad id quod non esset melius.

Sic validum quidem esset votum de non petendâ dispensatione sinè justâ causâ, et probabiliùs valet etiam votum de hâc non petendâ etiam cum justâ causâ : sed hoc votum non obligat casu quo utilius esset voventi dispensationem petere. Quidquid autem sit de hoc, certè talis vovens potest commutationem flagitare. (S. Liguor., lib. 3, n° 208.)

5194. Si res voto promissa partim sit possibilis et partim impossibilis, valet votum in quantum possibilis est ejus adimpletio : v. g., si conjux voveat castitatem, tenetur ad non petendum debitum conjugale. Imò, juxta cap. *Quidam*, *de convers. conjug.*, etsi professio religiosa, invitâ uxore, sit nulla, tenetur tamen vovens non petere debitum conjugale. Valet etiam votum si principale illius sit possibile, licet impossibile sit accessorium; secus, si è converso. (S. Lig., lib. 3, n° 202.)

5195. Ex his conclude invalidum esse votum nunquam peccandi venialiter, cùm id sit impossibile : tale votum emittens, teneretur tamen ad vitanda mortalia ; imò, juxta S. Liguor. (*ib.*, n° 203) etiam ad vitanda venialia deliberata, nam possibilis est adimpletio voti peccata venialia deliberata vitandi : votum autem abstinendi à venialibus in aliquâ materiâ determinatâ communiter ut validum habetur, maximè in personis magnæ virtutis ; in aliis verò modicæ virtutis erit materia impossibilis ; imò in aliquibus materiis puta cogitationum inhonestarum, otiosarum, etc., cùm sint inevitabiles apud omnes, votum erit nullum. (S. Liguor., *ibidem.*)

5196. Nullum est votum disjunctivum quando una pars est quidem apta, sed altera est inepta, v. g., votum orandi vel ludendi, etc.

5197. Invalidum est votum cui adjungitur finis vel alia circumstantia mala quæ se teneat *ex parte rei votæ :* v. g. si voveas jejunium, ut ex illo plausus captes : item si finis sit indifferens, v. g., si jejunium voveatur ad parcendum sumptibus ; secus si finis pravus esset ex parte voventis, scilicet quando non res vota, sed ipse voventis actus dirigitur

ad pravum finem, puta si quis externè voveat jejunium, ut ex illâ emissione voti ab aliis laudetur. Tunc enim non jejunium, sed actus vovendi ad malum finem directus est (S. Liguor., lib. 3, nº 206); validum pariter esset votum, si quis voveret eleemosynam si ex duello evaserit salvus, vel si filius ex adulterio natus fuerit (*ibid.*) : non verò votum jejunandi si successerit criminis executio, quia esset implorare Dei auxilium ad malum patrandum. (P. Gury, tom. 1, nº 317.)

5198. Quærit. An validum sit votum nubendi?

Resp. Per se loquendo nullum est tale votum, etiamsi ducenda sit pauper meretrix, vel matrimonium fiat ad tollenda aliena peccata, quia semper cœlibatus est Deo gratior : secus si votum emissum fuerit ad scandalum vel honorem puellæ ex obligatione reparandum, vel ob bonum commune. Si verò quis vovisset nubere ob expertam fragilitatem, tunc, juxta sententiam longè probabiliorem, valeret votum, sed supposito quòd vovens nollet uti aliis remediis. (S. Liguor., lib. 3, nº 209.)

5199. — II. Votum aliud est absolutum, aliud conditionatum, aliud simplex, aliud solemne, aliud reale et aliud personale, et etiam mixtum.

Sat intelligitur quid sit votum absolutum et votum conditionatum. Votum solemne illud est quod ut tale acceptatur ab Ecclesiâ : duo autem talia sunt, votum nempe castitatis annexum ordini sacro, et votum religiosæ professionis : de duobus illis votis supra diximus (2468, etc., 4251-4255); cætera autem vota sunt simplicia.

Votum *reale* est illud cujus objectum est res externa pretio æstimabilis, ut calix, eleemosyna, etc... Votum *personale* est illud cujus objectum est hominis actio, vel cessatio ab actione, ut votum jejunandi, abstinendi à lusu, etc.; *mixtum* est cujus objectum est actio hominis et simul res externa pretio æstimabilis, v. g. si voveas peregrinationem cum oblatione alicujus rei. (S. Liguor., lib. 3, nº 195.)

5200. — III. Obligatio voti pendet ab intentione voventis, vel à gravitate materiæ, ita ut votum obliget quidem sub gravi, in gravi materiâ, sed possit tunc obligare non-

nisi sub levi, si talis sit voluntas voventis : in materiâ autem levi non potest obligare nisi sub levi, etiamsi vovens vellet sub gravi se obligare.

Hinc votum vitandi peccatum non obligat nisi juxta illius gravitatem, nisi vitatio illius sit res magni momenti : prout, v. g., mendacium, si valde indecens esset personæ in dignitate constitutæ..., vel nisi per illud peccatum multùm quis impediretur à profectu in virtutibus. (S. Liguor., lib. 3, nº 211.)

5201. Etsi alieno voto nemo obligetur vi illius voti, hæres tamen certò tenetur solvere vota realia defuncti, non quidem ex vi voti, sed ex obligatione inhærenti rei promissæ, quæ transit ad hæredes cum ipsâ re promissâ. Solvi autem debet res vota ante legata, attamen post alia debita ex justitiâ. Vota realia de suo solvenda sunt : qui de suo non potest solvere, non tenetur mendicare ut satisfacere possit. Satisfacis tamen si pro te alius solvat, nisi vota sint personalia, quia tunc à vovente sunt implenda, nec obligatio ad hæredes transit. (P. Gury, tom. 1, nº 323.)

5202. Votum indeterminatum quoad tempus, v. g. recitandi quotidie Rosarium, jejunandi in sabbatis, obligat perpetuò, nisi aliud colligi possit ex circumstantiis. Si dubium sit an votum fuerit pro anno vel mense, non teneris nisi ad minus.

Peccatne mortaliter vovens pro tempore indeterminato si diu differat implere? — Si votum est in perpetuum obsequium Dei, puta ingrediendi religionem, xenodochio inserviendi, etc., peccat mortaliter qui diù differt, nisi excuset rationabilis causa : juxta plures *diù* differre censeretur qui ultra sex menses differret, præsertim si non esset juvenis; juxta autem S. Liguor., non parva esset dilatio trium vel quatuor annorum in juvene 15 et 16 annorum, nisi adesset justa differendi causa, nempe si vovens speraret parentes fore emolliendos; item si obstaret gravis necessitas spiritualis aut corporalis sororum vel fratrum. Benè tamen advertunt Salmantic. sedulò in his cavendum esse ne dilatio sit nimia, aut periculum adsit votum nunquam implendi,

quod rarò non accidit in votis Religionis, pro quorum executione dæmones innumera excitant dissidia et impedimenta.

5203. Si votum sit in obsequium temporale, scilicet, tot jejuniorum, vel peregrinationis, etc., verius est dicendum peccare mortaliter qui, sinè justâ causâ, notabiliter, nempe ultra duos vel tres annos differt implere; putat autem Croix quòd si vovisses confiteri singulis mensibus, posses ex causâ differre per duos vel tres dies ultrà mensem (S. Liguor., lib. 3, n° 221). Peccatum esset mortale non implere votum tempore præfixo, si materia esset gravis et tempore præfixo implenda, ut votum jejunandi, vel missam audiendi tali die. Vide insuper dicta supra (2682, 2683).

5204. Qui vovet per mensem audire sacrum probabiliter non tenetur in festis bis audire; qui vovet rosarium satisfacit tertiam partem recitando, quia communiter sic intelligitur. (S. Liguor., *ib.*, n° 224.)

5205. Si quis immemor voti vel pœnitentiæ injunctæ, etc., præstat opus debitum, benè satisfacit per voluntatem generalem quam quisque censetur habere satisfaciendi priùs pro suis obligationibus. Si quis certus de voto, habet tantùm probabilem rationem quòd satisfecerit, adhuc ad illud tenetur, juxta S. Liguor. (*ibid.*). Vide plura alia circa voti obligationem apud eumdem, *ibid.*, n° 211-222.

ART. II.

DE VARIIS MODIS QUIBUS CESSARE POTEST VOTI OBLIGATIO.

5206. Duplici modo generatim cessat voti obligatio : mutatione nempe materiæ, et auctoritatis humanæ interventu.

1° Mutatio materiæ contingit quando ex honestâ fit turpis, vel indifferens, vel impeditiva majoris boni, ratione vel novæ circumstantiæ vel prohibitionis subsequentis; vel executio fit impossibilis absolutè aut moraliter, vel desitione conditionis à quâ pendebat : manifestum est autem in his

casibus, votum non esse obligatorium. (Apud S. Liguor., *ib.*, n° 225.)

5207. Si concurrat obligatio duorum votorum incompossibilium, implendum est illud quod est præstantius et Deo gratius, et alterum cessat obligare; si verò utrumque sit æquale, aut nescias quodnam sit melius, implendum est quod priùs vovisti : si et hoc nescis, libera est electio.

5208. Si materia voti quoad partem facta fuerit impossibilis, tunc si commodè talis materia non possit aut non soleat dividi, ad nihilum teneris, v. g. vovisti ædificare templum: si totum non potes, non teneris ad partem; secus, si possit commodè dividi. Si tamen in voto quod dividi potest principale non possit impleri, ruit obligatio etiam accessorii, v. g. si vovisses Romæ peregrinationem in cilicio et ibi aliquid certi offerre, si peregrinatio impossibilis fiat, non teneris cilicium induere, nec mittere oblationem. (S. Liguor., lib. 3, n° 225.)

5209. Si autem superveniret notabilis circumstantia, quâ prævisâ, votum non fuisset emissum, disputatur an tunc sit obligatio votum adimplendi : sententia negans vocatur *fortè probabilior* à S. Liguorio. — Si quis verò jejunium vovisset singulis sabbatis, non videtur ad jejunium teneri die Nativitatis, etsi sabbato contingeret : excipe tamen si intendisset etiam die Nativitatis jejunare, casu quo sabbato occurreret. (S. Liguor., *ib.*, n° 226.)

5210. — 2° Interventu auctoritatis humanæ votum cessare potest per *irritationem*, *commutationem et dispensationem.*

§ I.

De irritatione voti.

5211. Irritatio voti est ipsius *annullatio facta ab eo cujus dominationi subjicitur vovens*, *vel res à vovente promissa* : cùm enim per votum neminis debeat violari dominium, si voluntas voventis vel res vota sit subjecta potestati dominativæ alterius, potest iste talis subjecti, saltem validè,

omnia vota directè irritare, et indirectè vota non subjectorum quando voti materia ipsi tantùm subjicitur; unde duplex est irritatio: *directa* quidem quæ in personam voventis cadit; et *indirecta* quæ cadit in voti materiam. Hoc jus procedit non tantùm à jure positivo quo certis personis datur potestas dominativa in voluntatem aliorum, sed etiam à jure naturali. (S. Liguor., lib. 3, nº 227.)

5212. Communiter auctores docent vota posse irritari absque causâ sinè peccato mortali; verius est etiam nullum tunc, per se loquendo, adesse peccatum, quia vota subditorum sub hâc conditione consensûs Superiorum emittuntur.—Dicitur *per se loquendo*, quia aliàs hoc difficilè excusatur à veniali, cùm sit saltem otiosum agere sinè causâ, et sic irrationabiliter impediretur profectus alterius: sufficit autem quævis causa rationabilis; nec etiam peccat mortaliter qui licentiam datam revocat; imò probabile est nec venialiter peccare nisi promiserit non revocare. Si verò non solùm Superior licentiam dedisset vovendi aut votum exsequendi, sed etiam votum positivè approbasset, tunc disputant DD. an tunc peccaret tantùm venialiter suum sinè causâ revocans consensum: plures volunt ipsum peccare tunc mortaliter; sed, secluso scandalo aut contemptu, S. Liguorius probabiliorem habet sententiam asserentem in hoc esse tantùm peccatum veniale, quia Superior non potest abdicare suam dominativam potestatem in voventem: sed hoc intelligendum est tantùm de irritatione directâ, non verò de indirectâ, quia Superior potest abdicare jus quod habet in rem quæ vota fuit.

5213. Igitur etiamsi Superiores ratificaverint vota subditorum, possunt certè illa adhuc irritare saltem validè: porrò valida est irritatio omnium votorum etiàm in genere, licet futurorum, ac renuente subdito. (S. Liguorius, lib. 3, nis 228, 239.)

5214. Votum semel irritum non ideo reviviscit, quòd postea in illud consentiat irritans, sed requiritur nova emissio voti ab ipso vovente facta: ita plures contra nonnullos, ap. S. Liguor. (lib. 3, nº 236).

5215. Quærit. 1º Quinam possint vota irritare?

Resp. Vel agitur de irritatione directâ, seu de irritatione factâ ab eo qui potestatem dominativam habet in voluntatem voventis, vel de irritatione indirectâ seu factâ ab eo qui tantùm habet jus in materiam exteriorem voti; si quæstio sit de hâc posteriore irritatione vel suspensione, potestatem sic irritandi vel suspendendi vota possident quicumque jus habent in rem votam: sic parentes possunt irritare indirectè vota filiorum etiam puberum quandiu manent in domo paternâ, in quantùm illorum vota gubernationi domi præjudicant; sic uxor potest vota mariti irritare in quantùm derogant vitæ sociali et juri quod uxor habet in corpus mariti, v. g., potest irritare votum longioris peregrinationis; sic dominus irritare potest vota famulorum quibus fierent inepti ad obsequia ipsi præstanda. Quoad servos seu mancipia, dominus potest irritare quæcumque eorum vota realia, nisi illi aliquid haberent de proprio, et personalia quæ domino præjudicant; non verò quæ non præjudicant, ut castitatis, moderatæ orationis, et aliquandò jejunii, etc. (S. Liguor., lib. 3, n° 240). Item S. Pontifex respectu omnium fidelium, et Episcopus respectu subditorum possunt vota indirectè irritare quando materia illorum præjudicium ipsis inferret.

5216. Hujusmodi vota indirectè duntaxat irrita reviviscunt et obligant quando desinunt præjudicare. Vide S. Liguor. (lib. 3, n^is 241, 242).

5217. Si verò quæstio sit de irritatione directâ, illam peragere valent :

1° Pater, et in ejus defectu avus paternus quoad omnia vota filiorum impuberum, etiam illegitimorum, sive personalia sive realia, adhuc castitatis et Religionis, etiamsi filius sit doli capax et habeat dominium rei votæ: et hoc valet etiam in dubio an votum fuerit emissum ante vel post pubertatem, quia pater in tali dubio est in possessione; et idem est dicendum in dubio an filius post pubertatem votum ratificaverit. Vide cap. 2 *Puella*, causa 20, q. 2; cap. 14 *Mulier*, 32, q. 2; cap 1 et 22, q. 1, *Si quis de reg.*

2° Quod dictum est de patre, dici etiam debet de tutore.

5218. — 3° Quoad matrem, potest certè vota filiorum

irritare si sit tutrix : sed quid, si non sit talis? — Si filius careat patre vel avo paterno, plures putant filium tunc esse sui juris; sed probabiliùs oppositum est tenendum, et ideò tunc mater benè potest filiorum vota irritare.

Si verò præsens sit pater aut tutor, controvertitur an mater possit filiorum vota irritare : probabilis est sententia affirmans; sed etiam negans sustineri probabiliter potest. Valet autem pater vota filiorum irritare, contradicente matre; sed non mater, patre contradicente. (S. Lig., *ib.*, n° 230.)

5219.—4° Abbates, Guardiani, Priores et Rectores, etiam Prælati secundarii, absentibus primariis; imò probabiliter etiam Abbatissæ possunt directè irritare omnia vota religiosorum vel religiosarum subjectorum, etiam interna, aut sub prædecessoribus emissa (modò non sint confirmata à Superioribus Prælatis), quia religiosus professus transtulit in Prælatum suum *totum suum velle et nolle*. Idem potest Papa erga omnes religiosos, et Episcopus quoad moniales quæ sibi subjicerentur non tantùm ratione jurisdictionis sed etiam ratione dominationis, si tales exstent eo modo ipsi subditæ. Excipiendum est votum professionis religiosæ et votum transeundi ad Religionem strictiorem quod nec etiam Papa potest irritare, etsi super eo, cum causâ, possit dispensare (sed vide supra 2500, 3074). Non possunt tamen præfati irritare vota novitiorum, nisi indirectè.—S. Liguor. (lib. 3, n° 233); et supra dicta (3072).

5220. — 5° Controvertitur an vir possit directè irritare omnia uxoris vota (certè enim potest indirectè quatenus præjudicarent usui matrimonii, prolis educationi, vel gubernationi domesticæ) : putat S. Liguorius probabilius esse quòd possit, et probat ex cap. 30, v. 9, libri Numerorum; variis textibus S. Ambrosii et S. Thomæ, ac ratione. Juxta hanc sententiam vir posset irritare vota castitatis et Religionis uxoris etiam exsequenda post suam mortem. P. Gury tamen saltem ut probabiliorem habet sententiam tenentem vota uxoris non posse à viro directè irritari (tom. 1, n° 327). Mulier autem certè non potest nisi indirectè vota viri irritare: sed sic posset irritare etiam illius

votum debitum non petendi, quia valdè onerosum esset pudori uxoris quòd semper cogeretur ad petendum debitum. (S. Liguor., *ib.*, n° 235.)

5221. Notandum autem : 1° quòd si conjuges mutuo consensu voveant castitatem « aut Religionem, nequeant » vota invicem irritare, quia virtualiter uterque cedit juri : » est commune...; secus... si uterque independenter ab » altero vovisset... » (S. Liguor., *ib.*, n° 236; sed vide n° 239 *in fine.*)

5222. Notandum 2° « Quòd nullus supra dictorum potest » directè irritare vota emissa ante subjectionem, v. g. ante » matrimonium; facta verò intra tempus subjectionis, de » re implendâ post tempus subjectionis, v. g., in puber- » tate, vel post obitum mariti, possunt irritare. » Vota autem emissa ante professionem, per ipsam extingui possunt, ut diximus supra (2709, etc.). Vide etiam S. Liguor. (*ib.*, n° 236).

5223. An autem vir vel Prælatus possit directè irritare vota uxoris vel religiosi in dubio an votum fuerit emissum ante subjectionem? — Affirmat Sanchez; sed negat S. Liguor. quia in hoc dubio, nec vir nec Prælatus est in possessione voluntatis uxoris aut subditi pro tempore antecedente matrimonium vel professionem. (S. Liguor., lib. 3, n° 237.)

5224. Notandum 3° : « Vota facta tempore subjectionis » possunt adhuc irritari post illud, v. g. quandò filius jam » est puber : quod verum est, etsi in pubertate ratificasset, » putans ex errore esse firma ; secus tamen si infirma esse » novisset et independenter à prioribus ratificasset. » Ita probabilius, ap. S. Liguor. (*ib.*, n° 238).

5225. « Vota tamen realia puberum nequit pater irritare, » postquam ipsi emancipati sunt...; nec Prælatus vota re- » ligiosi, si iste non sit ampliùs illi subjectus; nec vir vota » uxoris, facto divortio formali. » (S. Liguor., *ib.*)

5226. Quærit. 2° An vota filiorum et aliorum subditorum sint valida donec irritentur, in iis quæ Superiorum mandatis aut jurisdictioni non præjudicant?

Resp. Plures negare : sed affirmare sententiam prob

biliorem, juxta S. Liguor. (*ib.*, n° 331) : quare sufficit quòd Superiores non renitantur, ut impleatur conditio voto inhærens et sit firmum. (S. Liguor., *ib.*, n° 231.)

5227. Quærit. 3° An sit valida irritatio votorum, quæ facta esset ab eo qui per errorem communem cùm titulo colorato existimaretur Prælatus, vel maritus, vel pater, etc.?

Resp. Negare Sanch., Bonacin., etc. quia actus dominii ab actu jurisdictionis differt; probabile tamen contrarium habere Salmantic., quia etiam in hoc casu applicari potest lex *Barbarius*. (S. Liguor., *ib.*, n° 232.)

5228. Quæ autem dicta sunt de irritatione votorum intelligenda sunt etiam de juramentorum irritatione (S. Liguor. lib. 3, n° 189). —An autem qui habet potestatem dispensandi in votis possit pariter dispensare in juramentis? — Controvertitur. (*Ib.*, n° 190.)

§ II.

De commutatione voti.

5229. Commutatio voti est *substitutio operis honesti loco ejus quod voto promissum fuerat sub eâdem obligatione.*

5230. Quærit. 1° An et à quo possit fieri voti commutatio?

Resp. Vel agitur de commutatione in opus melius, vel æquale, vel minoris pretii.

1° Quilibet vovens suum potest commutare votum in opus certè melius non debitum (exceptis tamen votis reservatis, nisi mutatio fiat in statum religiosum), quia Deus huic commutationi consentire censetur, cùm opus sit ipsi gratius. Est commune : vide cap. *Super his*, *de voto*; cap. *Pervenit*, *de jurejurando*. Melius autem opus est quod est tale in ordine ad utilitatem spiritualem voventis et Deo gratius.

5231. Quamvis oratio sit absolutè melior jejunio, non licet tamen propriâ auctoritate hoc in illam commutare, quia hic et nunc jejunium potest esse Deo gratius utpote utilius ad bonum spirituale talis voventis; pariter etsi saluberrima sit frequentia sacramentorum, non putat S. Li-

guor. generatim posse asseri quòd una confessio vel communio æquivaleat recitationi rosarii per totam hebdomadam. (*ib.*, n[is] 243, 246.)

Omnia autem vota personalia possunt propriâ auctoritate commutari in votum Religionis : imò ipso jure omnia realia sic mutantur in professione religiosâ : cap. *Scripturæ* 4, *de voto*. Vide S. Liguor. (*ib.*, n° 246), et dicta supra (2711).

5232.—2° Si agatur de commutatione voti in opus æquale, controvertitur an vovens possit illam auctoritate privatâ peragere : sententia negans probabilior vocatur à S. Liguor. (*ib.*, n° 244), qui ab eâ non esse recedendum affirmat, et juxta illam sententiam, alii dicunt commutationem in opus æquale à solo vovente peractam esse peccatum duntaxàt veniale, alii autem asserunt esse mortale. Probabiliùs ergo requiritur auctoritas Superioris competentis pro dictâ commutatione, pro quâ faciendâ superior indiget justâ causâ : sufficiens autem causa censetur major propensio in rem substituendam, minus periculum transgressionis; si verò dubitetur an opus sit æquale, sufficit notabilis molestia in implendo. (S. Liguor., *ib.*, n° 244, *in fine*.)

5233.—3° Certè requiritur causa et auctoritas competens ad commutationem voti in opus minus bonum : disputatur autem an talis commutatio facta sinè causâ sufficienti sit non solùm illicita sed etiam invalida : S. Liguor. vocat probabilem non tantùm affirmantem sed etiam negantem sententiam, et addit quòd in dubio an causa commutationis fuerit sufficiens, vovens posset acquiescere judicio commutantis. (*Ib.*, n° 245.)

Habens autem solam potestatem commutandi, non potest quidem commutare votum in opus notabiliter minus, quia talis commutatio supponit dispensationem, sed posset commutare in opus aliquantulùm minus, ita ut excessus manifestè non appareat, quia commutatio intelligi debet moraliter. (*Ib.*, n° 247.)

Tria præcipuè attendere debet commutans : « Quid » liceat secundùm æquitatem ; quid deceat secundùm ho- » nestatem, et quid expediat secundùm utilitatem. » Ita cap. *Magna, de voto et voti redempt.*

Opus autem personale commutari potest in reale, et èconverso; item perpetuum in temporale: conetur autem confessarius talia opera substituere quæ pœnitenti videantur magis utilia et non nimis difficilia. (S. Liguor., *ib.*)

5234. Quærit. 2° An is cujus votum fuit commutatum, ad illud possit redire?

Resp. Si votum commutatum fuit in minus vel æquale procul dubiò, adhuc primum opus eligi potest: est commune; si verò commutatio facta fuerit in melius, adhuc verius est talem commutationem non obligare saltem sub gravi, nisi fiat novum votum, quia per commutationem, non fuit sublata facultas ad primum opus redeundi si magis postea placeat. (S. Liguor., *ib.*, n° 248.)

5235. *Nota* quòd si, factâ commutatione voti, res subrogata impossibilis evadat etiam culpâ voventis, vel si ipse eam non impleverit, non tamen tenetur ad primam: v. g. si jejunium subrogatum fuisset eleemosynæ, vovens ad eleemosynam non teneretur, non solùm in casu quo jejunium ipsi foret impossibile, sed etiam si culpabiliter non jejunasset die quo jejunium fuit affixum, quia per commutationem, prima obligatio fuit extincta. Hoc tamen non currit, si commutatio fiat auctoritate privatâ.

5236. Quærit. 3° An habens facultatem commutandi vel dispensandi pro aliis, habeat etiam pro seipso?

Resp. Affirmativè: ita communiter (S. Liguor., lib. 3, n° 249). Nemo tamen habet potestatem propria vota irritandi, quia nemo potest emittere votum sub conditione sui consensûs: ita communiter et certum, ap. S. Liguor. (lib. 3, n° 256 *in fine*).

§ III.

De voti dispensatione.

5237. Dispensatio est *obligationis voti condonatio nomine Dei facta*. Pastores Ecclesiæ hanc habent potestatem, ut constat ex verbi Christi: « *Quodcumque solveris* », etc. (S. Matth., c. 16, v. 19). Ad hanc impertiendam requiritur legitima causa, quia Deus non censetur velle ut sine

causâ Superiores condonationem hanc faciant. Ut causæ legitimæ habentur : bonum Ecclesiæ vel Reipublicæ aut familiæ, major profectus voventis, notabilis difficultas in voti observatione non tantùm imprævisa sed etiam prævisa, periculum transgressionis ob indispositionem particularem voventis vel ob communem hominum fragilitatem : sufficit etiam si vovens vexetur magnis scrupulis; item imperfecta deliberatio in emissione voti, unde super votis impuberum sinè aliâ causâ potest absolutè dispensari sinè aliâ commutatione; idem est dicendum de casu quo votum sit emissum ob metum levem, incussum ab extrinseco : idem si imperfecta deliberatio procedat ex tristitiâ, irâ, metu naufragii vel alterius mali : si tamen constaret tunc maturam adfuisse deliberationem, admiscenda esset dispensationi aliqua commutatio, prout etiam fieri debet, si cessat causa impulsiva voti. (S. Liguor., lib. 3, n^is 250-253.)

5238. Quærit. 1° An valida sit dispensatio data sinè justâ causâ, quando bonâ fide creditur adfuisse causam sufficientem?

Resp. In hoc DD. non concordare : Sanctus autem Lig. amplexus fuit sententiam negantem, quia inferior dispensare nequit in lege superioris sinè legitimâ causâ : hoc autem dicit de casu quo postea certò detegitur non adfuisse causam sufficientem. Secus est dicendum, juxta eumdem, si dubium sit an adfuerit justa causa, quia in dubio standum est pro valore dispensationis, donec veritas non apparet in contrarium : aliàs scrupulis semper animus esset obnoxius.

5239. Valde etiam probabile est dispensationem esse validam, licet malâ fide à dispensante fuerit concessa, si reverà aderat justa causa. (S. Liguor., *ib.*, n° 251.)

Quando autem causa non sufficit ad integram dispensationem, partim dispensari et partim compensari potest. (S. Liguor., *ib.*, n° 254.)

5240. Quærit. 2° An casu quo votum redundat in utilitatem hominis, sinè illius hominis consensu, possit concedi dispensatio, vel commutatio in tali voto?

Resp. 1° Si votum nondum ab illo homine, aut ipsius nomine est acceptatum, in eo potest dispensari, vel commutatio fieri, etiamsi votum sit peculiariter in gratiam talis hominis : unde potest concedi dispensatio super votum in gratiam alicujus Ecclesiæ, si nondum acceptaverit illius rector.

2° Si promissio fiat soli Deo dandi aliquid pauperibus indeterminatis, tunc semper commutari potest, etiamsi promissio alicui ex pauperibus postea manifestetur et ab illo acceptetur. Econtra si promissio facta sit in utilitatem solius hominis, et sit acceptata, nullatenus, sinè ejus consensu revocari potest, nisi ageretur de bono communi : potest enim S. Pontifex aliquem jure ipsius privare, cùm bonum privatum communi bono cedere debeat. — Sinè tamen tali consensu votum irritari posset ab eo qui irritandi habet potestatem. (Reiffenst., lib. 3, tit. 34, n[is] 50, 52.)

5241. — 3° Si autem votum sit principaliter in honorem Dei et minus principaliter in gratiam tertii determinati, puta pauperis, ecclesiæ, conventûs, etc., casu quo tertius acceptavit, potestne commutari votum sinè illius consensu? — Resp. Non concordare DD. : alii enim negant, quia tunc jus fuit acquisitum tertio acceptanti; alii affirmant, quia in hoc casu votum est principaliter propter Deum, et per accidens se habet quòd acceptaverit tertius, qui si jus acquisivit, illud tantùm acquisivit dependenter à beneplacito Dei, et hoc sat probabile dicit S. Liguor. (*ib.*, n° 254).

Porrò in his plura sunt notanda : 1° in præfato casu, si promissio facta homini sit simplex et gratuita, etsi fuerit ab eo acceptata, valde probabiliter illi non debetur sub gravi, etsi votum graviter obliget.

2° Quod dictum est de voto, probabiliter est etiam dicendum de juramento principaliter emisso in honorem Dei, quod pariter relaxari potest sinè consensu partis.

5242. — 3° Secus est dicendum in casu quo pars acceptans, se ad aliquod onus obligaret : tunc enim promissio et juramentum, etsi principaliter in honorem Dei emissa, non possunt tolli vel mutari per dispensationem aut com-

mutationem sinè consensu acceptantis : unde vota vel juramenta perseverantiæ præstita in pluribus Religionibus vel Congregationibus, solvi nequeunt sinè consensu Communitatis, eò quòd tales promissiones sint utrinque obligatoriæ. Potest tamen Papa in iis dispensare, quia est Supremus bonorum ecclesiasticorum dominus, non verò Episcopi, quia non habent potestatem de his bonis disponendi sinè consensu Communitatis. Vide dicta supra pro tempore Jubilæi (4634); et S. Liguor. (lib. 3, n^is 254, 255).

5243. Quærit. 3° Quinam possint dispensare in votis?

Resp. « Potestas dispensandi convenit omnibus qui ha- » bent jurisdictionem in foro externo, vel privilegium : » unde dispensare possunt..... 1° Papa respectu omnium » fidelium, in omnibus votis; 2° Episcopi respectu suorum » subditorum, non autem parochus..; 3° Prælati regulares » exempti, respectu suorum religiosorum et novitiorum: » idque circa vota, quæ vel in sæculo, vel etiam in novi- » tiatu fecerunt...; non autem Prælati non exempti, neque » Abbatissæ (neque Pœnitentiarii, neque Vicarii Epis- » copi, nisi facultas specialiter eis delegetur...); 4° ex » privilegio Papæ, confessarii Ordinum Mendicantium, » secundùm concessionem et moderationem suorum Su- » periorum... » Apud S. Liguor. (lib. 3, n° 256).

Diximus supra an S. Pontifex possit dispensare in votis solemnibus, nempe castitatis sacro ordini annexo et professionis religiosæ (3064, 4254).

Certum est autem quòd omnes Prælati qui habent facultatem dispensandi jure ordinario, possint eam aliis delegare, et quidem simplici tonsurato (S. Liguor., *ib.*, 257). Regulares confessarii possunt dispensare in votis quorumcumque fidelium intra et extra confessionem, ex variis privilegiis (S. Liguor., *ib.*).

Eamdem facultatem habent Legati *à Latere* et Nuntii Apostolici in Provinciâ sibi commissâ; item Capitulum, Sede vacante, et Abbates episcopalem jurisdictionem habentes.

Quoad potestatem Superiorum religiosorum circa vota subjectorum, vide dicta supra (3064-3075).

5244. Quærit. 4° An modò enumerati Papâ inferiores possint dispensare in omnibus votis?

Resp. Posse illos dispensare in omnibus votis, exceptis quinque Papæ reservatis: videlicet votis castitatis perpetuæ, Religionis approbatæ, peregrinationis ad Limina Apostolorum, ad S. Jacobum Compostellanum et ad Jerusalem pro sepulchro Christi visitando: id constat tàm ex cap. *Ex multâ* 9, *de voto*, quàm ex consuetudine: in dictis quinque votis Papâ inferiores dispensare nequeunt nisi ex Indulto S. Sedis, et concessio debet esse expressa, vel saltem contineri in generali clausulâ quâ talis facultas expressè concedatur: ita ex Extrav. *Etsi dominici* 5, *De Pœnit. et remiss.* Data tamen facultas dispensandi in reservatis, de omnibus est intelligenda quando nullum votum excipitur.

5245. *Nota* 1° quòd Episcopi et episcopalem jurisdictionem habentes possint in præfatis votis dispensare, necessitate urgente, si facilis non sit accessus ad Papam: v. g. si in morâ sit periculum gravis damni, sive spiritualis, prout scandali, rixarum, violationis voti, etc.; sive temporalis, nimirum gravis infamiæ mulieris, et similium: hanc etiam potestatem aliis possunt probabiliter delegare utpote ordinariam. Præfata autem dispensatio non est concedenda nisi quatenus id est necessarium: unde si sufficiat suspensio voti, vel si dispensatio pro contrahendo matrimonio cum uno concedatur, non debet concedi dispensatio, vel non est extendenda ad alios casus.

5246. Communiùs non admittitur quòd, in modò dictâ necessitate, confessarii mendicantes possint dispensare; nec illa facultas pro casu necessitatis solet concedi confessariis ordinariis tempore Jubilæi, juxta S. Liguorium (lib. 3, n° 258).

5247. — 2° Prædicta vota minimè sunt reservata: 1° si sint emissa sub obligatione levi; 2° si sint emissa ex metu etiam levi ab alio incusso, quia non sunt facta tunc ex plenâ deliberatione; 3° si non sint perfecta ex parte materiæ: v. g., si votum fuerit tantùm non nubendi, non fornicandi, non petendi debitum; imò si fuerit votum

virginitatem duntaxat servandi, non autem se abstinendi ab omni actu venereo; neque si votum castitatis fuerit solùm ad tempus; neque votum emittendi votum castitatis aut Religionis, aut suscipiendi sacros ordines : quia non est votum castitatis factum, sed faciendum; neque votum castitatis conjugalis; 4° item non sunt reservata, si non fiant devotionis causâ, aut non præcisè causâ locorum supradictorum : v. g., si voveatur peregrinatio Romæ ad visitandam imaginem S. Mariæ Majoris, votum non est reservatum, sicut nec etiam votum Religionis non approbatæ; aut si votum fiat non Deo, sed B. Mariæ, vel alicui Sancto (Reiffenst., lib. 3, tit. 34, n° 39); 5° circumstantiæ votorum reservatorum non sunt reservatæ, v. g., peregrinandi mendicando, ingrediendi Religionem strictiorem; item si votum sit ingrediendi statim, Episcopus posset cum causâ dispensare ut differretur ingressus; 6° non est reservatum votum disjunctivum, saltem si nondum fuerit electa pars reservata; si verò talis pars fuerit electa, disputatur an tunc votum sit reservatum; item probabiliùs, reservata non est materia subrogata voto reservato. (S. Liguor., *ib.*, n° 260.)

Quid autem possit Episcopus quoad votum castitatis, in casu matrimonii contracti vel contrahendi, vide dicta supra (4198-4200, 4400).

5248. Controvertitur an juramentum castitatis aut Religionis ingrediendæ, sit reservatum prout est votum : sed est advertendum quòd in hoc juramento sæpe votum sit inclusum, et tunc certè est reservatum; sed in dubio an inclusum fuerit, votum non est reputandum in praxi existere. (S. Liguor., *ib.*, n° 259.)

5249. Quærit. 5° An prædicta vota sint reservata quando sunt conditionata?

Resp. Certè reservata sunt in casibus sequentibus : 1° si conditio sit de præterito, vel de præsenti : quia in his casibus, votum est reverà absolutum casu quo conditio exstitit, vel exstat; 2° idem est dicendum si conditio sit de futuro necessario, vel de futuro contingente communi, v. g., *si vixero* vel *si potero;* 3° si conditio non apponatur ad suspendendam obligationem, sed duntaxat ad differendam

executionem, v. g., *voveo Religionem si 21 annum attigero*, vel *si mater obierit*.

5250. Certum est èeontra hujusmodi vota non esse reservata, si conditio verè suspensiva nondum sit impleta, quia reservatio intelligitur de obligatione completâ : ita communiter.

Dubitatur autem an sint reservata si conditio jam impleta sit : et in hoc dubio triplex est sententia : negans autem vocatur *valdè probabilior* à S. Liguor., quia ut votum sit reservatum, debet procedere ex perfecto consensu, qui non videtur adfuisse in voto conditionato aut voto pœnali. (S. Lig., *ib.*, n° 261.)

5251. An autem cum peregrinis, ab Episcopo loci ubi reperiuntur, dispensari possit in votis et juramentis? — Probabiliùs negatur, nisi habeant animum manendi per majorem anni partem. Attamen sat probabiliter dicunt plures cum ipsis posse dispensari, licet per breve tempus ibi commorentur. Vide S. Liguor. (lib. 3, n° 362; lib. 1, n¹ˢ 158 et 332).

SECTIO SECUNDA.

DE REBUS ECCLESIASTICIS TEMPORALIBUS.

5232. Res temporales Ecclesiæ sunt res corporales et jura incorporalia ad ipsam pertinentia, quibus providetur cultui divino, clericorum educationi et sustentationi, pauperum sublevamini, et aliis bonis ac piis operibus.

Dicemus 1° de dominio in genere et privilegiis bonorum ecclesiasticorum; 2° de illorum administratione; 3° de præcipuis speciebus bonorum ecclesiasticorum.

CAPUT I.

DE DOMINIO ET PRIVILEGIIS BONORUM ECCLESIASTICORUM.

ART. I.

DE DOMINIO BONORUM ECCLESIASTICORUM IN GENERE.

§ I.

De capacitate Ecclesiæ habendi dominium rerum temporalium.

5233. Circa hanc quæstionem exponendi sunt errores respuendi et veritates tenendæ.

1° Errores sunt duplicis generis : alii enim contenderunt fuisse à Christo prohibitum ne Ecclesia aut viri ecclesiastici bona temporalia possiderent : inter eos recensentur Arnaldus de Brixiâ circa annum 1139 ; Valdenses, ante annum 1210; Marsylius Patavinus, anno 1327; et præsertim Wiclefus qui ausus est dicere : « *Papam cum omnibus clericis* » *suis possessionem habentibus esse hæreticos, eò quòd posse*

» *siones habent*, et consentientes eis... laicos.» Ita propositio 36 à Concil. Constantiensi damnata. Itemque : *Imperatorem et dominos sæculares fuisse seductos à diabolo ut Ecclesiam dotarent bonis temporalibus :* ita propos. 39 ab eodem Concil. damnata.

Alii autem falsò opinantes potestatem Ecclesiæ ad sola spiritualia jure divino pertinere, non quidem dixerunt eam nullum jus habere posse in res temporales, sed prætenderunt eam non posse aliquod jus habere in res hujusmodi nisi ex concessione Principum, quorum proinde nutu omnino hoc jus pendet, et quorum arbitrio semper revocari potest : ita plures Gallicani et Jurisperiti, sive apud nos sive extranei. Hâc præsertim doctrinâ innitebantur qui, anno 1788, promovere conati sunt invasionem bonorum ecclesiasticorum. Vide Carrière (*De Justitiâ*, pars 1, sect. 1, c. 4, *punct.* 2, n° 94).

2° Contra hujusmodi errores tenendæ sunt veritates sequentes :

5254. — I. Ecclesia legitimè res temporales potest acquirere et possidere : de fide est contra Wiclefum et hæreticos supra memoratos. Probatur ex damnatione propositionum supra enuntiatarum, et insuper sequentium ejusdem : « 10. Contra Scripturam est quòd viri ecclesiastici habeant » possessiones... — 32. Ditare clerum est contra regulam » Christi.—33. Sylvester Papa et Constantinus Imperator errârunt Ecclesiam dotando. » V. insuper pr. 26 *Syllabi*.

Constat etiam ex Scripturâ : sic habet S. Paulus (I Cor., c. IX, v. 3, etc.) : « Numquid non habemus potestatem » manducandi et bibendi? Quis militat suis stipendiis » unquam? Quis plantat vineam et de fructu ejus non » edit ? Quis pascit gregem et de lacte gregis non manducat?... Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum » est si nos carnalia vestra metamus?... Nescitis quoniam qui in sacrario operantur quæ de sacrario sunt » edunt, et qui altari deserviunt cum altari participant? » Ita et Dominus ordinavit iis qui Evangelium annuntiant, » de Evangelio vivere. »

Et reverà Christus Apostolis suis dixerat : « Dignus est

» operarius cibo suo. » Erat etiam in Collegio Apostolorum marsupium commune : de Judâ enim dicitur in Joanne (cap. 13, v. 27, etc.) : « Quod facis fac citiùs. » Hoc autem nemo scivit discumbentium ad quid dixerit » ei : quidam enim putabant, *quia loculos habebat Judas,* » quòd dixisset ei Jesus : Eme ea quæ opus sunt nobis ad » diem festum, aut egenis ut aliquid daret. »

Præterea, id Ecclesiæ Christi licet quod veteri synagogæ fuerat permissum : porrò veteri synagogæ licuit possessiones habere, ut constat ex libro Numer. (c. 18, et cap. 24). Ergo, etc.

Constat adhuc multis testimoniis SS. Patrum : sufficiat referre verba S. Hieronymi *ad Nepotianum :* « Pudet di» cere : Sacerdotes idolorum, mimi, aurigæ et scorta hæ» reditates accipiunt, solis clericis et monachis hoc lege » prohibetur : et non prohibetur à persecutoribus, sed à » Principibus christianis ; nec de lege conquiror [1], sed » doleo cur meruimus hanc legem. Cauterium bonum est, » sed quod mihi vulnus ut indigeam cauterio? *Sit hæres,* » *sed mater filiorum, id est Ecclesia gregis sui,* quæ illos » genuit, nutrivit, pavit. » Ergo Ecclesia potest bona et hæreditates accipere.

Idem asseritur in cap. *Expedit*, causa 12, q. 1 : « Ex» pedit facultates Ecclesiæ possideri... : S. Paulinus... facto » (suo) satis ostendit et propria deberi propter perfectio» nem contemni, et sinè impedimento perfectionis posse » Ecclesiæ facultates, quæ sunt profectò communes, pos» sideri... »

Probatur tandem ratione : Ecclesia enim instituta fuit à Christo ut societas externa et visibilis : porrò, inquit Devoti (lib. 2, tit. 13, § 1) : « Nulla universitas sinè bonis » communibus stare potest, cùm necessariò multæ fa» ciendæ sint impensæ, ut ministri stipendium habeant, » ut agantur conventus, ut omnia societati necessaria » comparentur..; hinc ei sua fuerunt ab ipso initio chris» tianæ religionis bona unde aleret Episcopos, presby-

[1] Loquitur S. Hieronymus de lege Valentinianâ latâ contra clericos qui ex cupiditate captabant hæreditates. (Cod. Theodos., leg. 20.)

» teros, ministros, curam gereret orphanorum, virginum,
» viduarum, pauperum, hospitalitatem exerceret, ferret
» opem fidelibus religionis causâ, aut carcere detentis,
» aut ad metalla damnatis; necessaria quæque compararet
» pro luminaribus, sacris vasis, libris, agapis quod eccle-
» siastici convivii genus erat. » Ergo Ecclesia legitimè potest bona acquirere.

5255. Frustra objicerentur verba Christi (S. Matth., cap. 10, v. 9): « Nolite possidere aurum, neque argentum, » neque pecuniam in zonis vestris »; et (S. Luc., c. 9, v. 3): « Nihil tuleritis in viâ. » Nam hæc verba dicta fuêre Apostolis pro tempore vitæ Christi, quo, ut expeditiores essent, non debebant secum aliquid singuli deferre, cùm præsertim neque pauperum neque Ecclesiarum tunc curam habebant, et unus ipsorum, Judas nempe, loculos pro communi usu portabat; at ubi Apostoli, post Domini Ascensionem, cœperunt figere sedes in certis locis et curam habere Ecclesiarum et pauperum, non putârunt sibi fuisse prohibitum recipere et habere bona temporalia, ut patet ex Act. Apost. (c. 4, v. 5 et 6).

5256. — II. Ecclesia possidere potest non solùm mobilia sed etiam immobilia, et quidem jure naturali et divino, et independenter à potestate sæculari.

1° Etiam immobilia possidere potest Ecclesia : rationes enim supra allatæ non minus faciunt pro jure possidendi immobilia quàm pro jure mobilia habendi : præterea, instituendo Ecclesiam ut societatem visibilem, Christus potestatem ei dedit habendi quidquid est necessarium aut etiam utile ut valeat suam existentiam servare, et finem suum prosequi; sed ad hæc non solùm mobilia, sed etiam immobilia sunt sæpe absolutè necessaria, et solent esse saltem multùm utilia : immobilia enim sunt necessaria pro ecclesiis, domibus episcopalibus, presbyteralibus, pro monasteriis, hospitalibus, seminariis, aliisque multis locis piis; sola pariter immobilia benè subministrare possunt redditus certos et stabiles quibus Ecclesia indiget pro innumeris impensis quotidiè faciendis, etc.

5257. — 2° Eâdem ratione probatur præfatum jus im-

mobilia possidendi inhærere Ecclesiæ jure naturali et divino, nempe eodem jure quo ipsi datum fuit existere et sese dilatare in universum mundum : etenim « Dominus ordina» vit iis qui Evangelium annuntiant de Evangelio vivere » (1 Cor., c. 9, v. 14).

5258. — 3° Hoc jus habet Ecclesia independenter à potestate sæculari, quod multis probari potest : etenim Christus instituendo Ecclesiam, ipsam independenter à potestate sæculari instituit : « Euntes, inquit, Apostolos » suos alloquens, docete omnes gentes, docentes eos ser» vare omnia quæcumque mandavi vobis. » Quod quidem dicendo nullatenus eis præscripsit ut licentiam prædicandi à Principibus obtinerent; sed cùm bona temporalia, ut modò diximus, sunt absolutè necessaria vel admodum utilia ad existentiam Ecclesiæ, necessariò Christus qui voluit Ecclesiam existere independenter à Principibus dedit eidem jus possidendi, etiam independenter à Principibus, illa bona absolutè necessaria, vel admodum utilia. Ergo etc.

5259. Et reverà etiam sub Imperatoribus paganis, imò persecutoribus, proinde independenter ab illis, Ecclesia habuit possessiones, ut constat ex eo quod de Alexandro Severo narrat Lampridius in ejus vitâ (n° 49) : « Cùm Christiani, » inquit, quemdam locum qui publicus fuerat, occupas» sent, contrà popinarii dicerent sibi eum deberi, rescrip» sit meliùs esse ut quomodocumque illìc Deus colatur, » quàm popinariis dedatur. » Item ex eo quod ab Eusebio refertur de Aureliano : « Cùm Paulus Samosatenus, in» quit, è domo ecclesiæ nullatenus excedere vellet, inter» pellatus Imperator Aurelianus, rectissimè hoc negotium » dijudicavit, iis domum tradi præcipiens quibus italici » christianæ religionis Antistites et Romanus Episcopus » scriberent. » Sed præsertim constat ex Constitutione Imperiali quam edidit anno suæ conversionis Constantinus Magnus simul cum Licinio, in quâ dicitur : « Insuper... » statuendum esse censuimus quòd si eadem loca, ad quæ » antea convenire consueverant (christiani)..., aliqui... à » fisco nostro vel ab alio quocumque videntur esse mercati, » eadem christianis sinè pecuniâ... restituantur... Et quo-

» niam iidem christiani, non ea loca tantùm, ad quæ » convenire consueverant, sed alia etiam habuisse nos» cuntur, ad jus corporis eorum, id est ecclesiarum, » non hominum singulorum pertinentia, ea omnia... cor» pori et conventiculis eorum reddi jubebis... »

In aliâ constitutione iidem Imperatores dicunt : « Ergo » operam dabis ut sive horti, sive ædes, seu quodcumque » aliud ad jus earumdem Ecclesiarum pertinuerit, cuncta » illis quantocius restituantur. » Vide Carrière, *De Justitiâ*, n° 98.

Hâc doctrinâ independentiæ Ecclesiæ quoad jus bona possidendi se tuebatur S. Ambrosius ne Arianis traderet Basilicam quam tamen Imperator Valentinianus pro eis postulabat : « Convenior, inquit, à comitibus et tribunis » dicentibus Imperatorem jure suo uti, eò quòd in potes» tate ejus essent omnia. Respondi, si à me peteret quod » meum esset... me non refragaturum, quanquam omnia » quæ meî sunt, essent pauperum : *verùm ea quæ sunt » divina, imperatoriæ potestati non esse subjecta*... Manda» tur...: trade Basilicam : Respondeo : nec mihi fas est tra» dere; nec tibi accipere, Imperator, expedit. Domum » privati nullo potes jure temerare; domum Dei existimas » auferendam! — Allegatur Imperatori licere omnia, ipsius » esse universa. Respondeo : noli te gravare, Imperator, » ut putes te *in ea quæ divina sunt imperiale aliquod jus » habere;* noli te extollere, sed si vis diutiùs imperare, » esto Deo subditus. Scriptum est : Quæ Dei sunt Deo, » quæ Cæsaris Cæsari. Ad Imperatorem palatia pertinent, » ad sacerdotem ecclesiæ; publicorum tibi mœnium jus » commissum est, non sacrorum. »

5260. Hæc ita vera sunt ut, anno 1274, Concil. Lugdun. II, generali Constitutione sancierit « universos et sin» gulos qui... bona ecclesiarum, monasteriorum... occu» pare præsumunt, quantæcumque dignitatis honore præ» fulgeant... eo ipso excommunicationis sententiæ subja» cere. »

Et Concil. Trident. (sess. 22, cap. 11) : « Si quem cleri» corum vel laicorum, quâcumque is dignitate, etiam

» Imperiali aut Regali præfulgeat, in tantùm malorum
» omnium radix cupiditas occupaverit, ut alicujus ecclesiæ,
» seu cujusvis sæcularis vel regularis beneficii, Montium
» Pietatis, aliorumque piorum locorum jurisdictiones,
» bona, census ac jura, etiam feudalia et emphyteutica,
» fructus, emolumenta, seu quascumque obventiones,
» quæ in ministrorum et pauperum necessitates converti
» debent, per se vel per alios, vi vel timore incusso, seu
» etiam per suppositas personas clericorum aut laicorum
» seu quâcumque arte, aut quocumque quæsito colore in
» proprios usus convertere, illosque usurpare præsumpserit,
» seu impedire ne ab iis ad quos jure pertinent percipian-
» tur, is anathemati tandiù subjaceat, quandiù jurisdic-
» tiones, bona, res, jura, fructus et redditus quos occu-
» paverit, vel qui ad eum quomodocumque, etiam ex
» donatione suppositæ personæ, pervenerint, ecclesiæ
» ejusque administratori, sive beneficiato integrè restituerit,
» ac deinde à Romano Pontifice absolutionem obtinuerit. »

5261.—III. Ex modò stabilitis sequitur, non ad potestatem sæcularem, sed ad Ecclesiam pertinere judicare quousque extendi debeat jus acquirendi et possidendi bona temporalia, proindè leges vulgò dictæ amortizationis, secluso speciali privilegio ab Ecclesiâ concesso, iniquæ sunt et in Ecclesiam injuriosæ.

Per leges autem *amortizationis* intelliguntur eæ leges civiles quæ prohibent ne bona temporalia, præsertim immobilia, in Ecclesiæ dominium absque Principis consensu transferantur, ne ultra modum, ut aiunt, Ecclesia ditescat : porrò illæ leges sunt iniquæ et in Ecclesiam injuriosæ : si enim Ecclesia habet à Christo potestatem independentem bona temporalia possidendi, impediri nequit quin illa possideat : iniqua proinde erit lex quæ impedire attentaverit. Frustra objiceretur Ecclesiam non debere ultra modum ditari : nam instituendo Ecclesiam Christus ei promisit suam assistentiam, ne id faceret quod posset esse damnosum. Et reverà bona Ecclesiæ in ipsiusmet societatis civilis bonum convertuntur, non solùm quia bona opera in quæ hujusmodi bona ab Ecclesiâ impenduntur, etiam

Societati civili proficiunt, sed quia Ecclesia suis bonis, statui sæculari in angustiis posito, non omisit liberaliter auxiliari : imò Concilium Lateranense III indulsit quòd, ubi laicorum opes, judicio Episcoporum, impares essent ad publicis necessitatibus providendum, quod necesse esset ex proventibus Ecclesiæ tribueretur (Canon 19). Et reipsa S. Pius V, ad necessitatem regni Gallici, Carolo IX concessit alienare fundos ecclesiasticos ad 15,000 libras redditûs annui assurgentes; Gregor. XIII concessit ut à bonis ecclesiasticis distraheretur ad valorem 1,100,000 librarum; « Henrico III Sixtus V permisit venditionem » fundorum ecclesiasticorum ad centum mille philippæos » redditûs annui, licet clerus jam, eo anno, contulisset » auri decies centena millia et ampliùs. Quid ecclesiæ et » ecclesiastici ad utilitatem reipublicæ præstiterint subsidii, » his nostris temporibus, per dona gratuita, tum in Galliâ » et Hispaniâ, tum in Austriâ et Italiâ, exstant illustriora do» cumenta quàm ut adversarii lamentari possint, onera rei» publicæ solis incumbere laicis. Neque negabit Pontifex, » premente Reipublicæ necessitate, ea præsidia è bonis Eccle» siæ inferioris quæ contulit è gazophylacio Ecclesiæ Roma» næ. Refert auctor *Theatri Europæi* ad annum 1683, 7 aug. » Innoc. XI, Imperatori submisisse ter centum mille coro» natos, additâ amplissimâ facultate ex ipsis templis, vasa » sacra et *cimelia* (*objets précieux*) ad usum belli Turcici » in monetas conflandi. » Vide Card. Soglia (*Instit. jur. publ.*, lib. 3, § 69, *in fine*).

5262. Observandum est quòd ad has alienationes legitimandas, juxta Concil. Later. IV, consensus Pontificis necessarius est; et juxta Concil. Constant. concurrere debet consensus Episcopi, Cleri et S. Pontificis. Non est verò cur potestas sæcularis pigeat hujusmodi consensum postulare : ipsa enim ratio naturalis suadet nemini fas esse in rem alienam etiam sibi debitam contra domini voluntatem vel, eo inconsulto, invadere. (Card. Soglia., *ib.*, n° 70.) —Vide infra dicenda (5292 et 5293).

5263. Ne objiciatur contra nostram tertiam assertionem quòd per legem *amortizationis*, status non privet Ecclesiam

bonis jam acquisitis, sed solùm acquirendis; jam verò bona antequam ab Ecclesiâ acquirantur, sunt civilia, adeoque in dominio potestatis sæcularis posita. Ergo, etc.

Nam respondetur cum R. de M. (tom. 2, p. 355, *Instit. jur. can.*): « Æqualem esse injustitiam spoliando aliquem » à bonis acquisitis, aut à libertate bona acquirendi, » quando ei competit. Et certè Status injuriam suis pro- » priis membris inferret, non tantùm eos spoliando ab » acquisitis, sed ab acquirendis indebitè prohibendo, » quantò magis infert Ecclesiæ quæ absolutè est ab eo » independens », et etiam habet à Domino hanc potestatem independentem acquirendi, ut supra demonstravimus.

Nec iterùm objiciatur legem *amortizationis* non cadere in Ecclesiam, cùm ipsa non sit subjectum prohibitionis, sed in subjectos quibus prohibetur ne Ecclesiæ vendant vel donent sinè potestatis sæcularis consensu. — Nam respondetur legem ferri in subditos ratione et intuitu Ecclesiæ ne ultra modum ditescat. « Et certè, inquit, » R. de M. (*ib.*), qui impediret quominus alimenta, aliunde » debita, præstarentur alicui, in istum esset injuriosus, » etsi prohibitio, non in illum, sed in debitores caderet: » ergo et hìc Status erga Ecclesiam. »

5264. — IV. Ex dictis supra adhuc sequitur quòd nullatenus dici potest dominium bonorum ecclesiasticorum ad Rempublicam pertinere: Ecclesia enim est Societas omninò diversa à Republicâ civili, finem diversum habet, regimenque omninò distinctum. (Lequeux, n° 1091.)

5265. Ne dicas intentionem donatorum fuisse ut dominium bonorum Ecclesiæ collatorum penès civile gubernium remaneret: nam hæc intentio exprimi debuisset, nec potest præsumi ex parte donatorum; etenim illi fuerunt sæpissimè Episcopi, clerici, monachi; porrò improbabile omninò est quòd tales donatores voluerint dominium bonorum ab ipsis Ecclesiæ elargitorum penès gubernium remanere. « Quisquis... nostrûm suas res Ecclesiæ tradit, inquie- » bant Episcopi et alii in generali Conventu Wormatiæ, » tempore Caroli Magni, Domino Deo illas offert, suisque

» Sanctis, et *non alteri*. Quinimò ipsimet Reges et Imperatores qui Ecclesias multis bonis cumulaverunt voluerunt ut bona ab ipsis præstita semper sub dominio earum permanerent. Jubemus, inquiebat Carolus Magnus in suâ responsione ad præfatos Episcopos conventûs Wormatiensis, ut nullus tàm nostris quàm futuris temporibus, à Nobis vel Successoribus nostris, ullo unquam tempore, absque *consensu et voluntate Episcoporum* in quorum parochiis esse noscuntur, res Ecclesiarum petere aut invadere, vel vastare, aut quocumque ingenio alienare præsumat. » Vide alia ap. Carrière (*De Justitiâ*, n^is 108 et 109).

5266. — V. Ergo nec etiam habet Respublica dominium altum seu eminens in bona Ecclesiæ : qui enim tale dominium haberet in bona Ecclesiæ, de illis posset disponere, saltem propter bonum publicum, datâ justâ ac competenti indemnitate ; porrò potestas sæcularis, hoc jus non habet in bona Ecclesiæ, sed si bonis hujusmodi indigeat debet obtinere consensum Ecclesiæ, ut vidimus supra. Ergo, etc.

Ex his concludi potest quid sit sentiendum de spoliatione Ecclesiæ tempore perturbationis Gallicanæ, et de similibus spoliationibus alibi peractis : patet hujusmodi spoliationes infanda esse sacrilegia et furta quorum patratores *omnia* Ecclesiæ anathemata incurrunt. Sed,

5267. Quærit. 1° Quid sit dicendum de iis qui apud nos bona Ecclesiæ usurpata hodiè possident ?

Resp. Vel agitur de bonis ecclesiasticis alienatis à Gubernio à quo fuerunt usurpata, vel de bonis ecclesiasticis alio modo usurpatis et acquisitis.

Si priùs : vel illa bona alienata fuerant ante Concordatum 1801, vel solùm post Concordatum : si alienata fuerunt à Gubernio ante dictum Concordatum, certum est illa posse retineri ab acquisitoribus, etiamsi peccaverint sic acquirentes : nam S. Pontifex, in eodem Concordato, talium bonorum condonationem fecit in gratiam possidentium ; sic enim habet art. 13 dicti Concordati : « Sanctitas » Sua pro pacis bono, felicique religionis restitutione, declarat eos qui bona Ecclesiæ alienata acquisiverunt, mo-

» lestiam nullam habituros, neque à Se neque à Romanis » Successoribus suis : ac consequenter proprietas bono- » rum, redditus et jura iis inhærentia, immutabilia penès » ipsos erunt atque ab ipsis causam habentes » : quæ certè dicta fuerunt non solùm pro foro externo, sed etiam pro foro conscientiæ.

5268. Si bona ecclesiastica fuerunt acquisita post Concordatum 1801, rursùs distinguendum est : vel illa bona à Gubernio fuerant usurpata ante Concordatum, vel duntaxat post Concordatum : in priori casu, non omninò patet an hujusmodi acquisitio valida sit : multi existimaverunt condonationem factam à S. Sede applicari posse solùm bonis acquisitis ante Concordatum; imò in ipsis Comitiis (*dans les chambres*), præsertim anno 1817, ii qui expetebant ut bona non vendita redderentur ecclesiis, constanter affirmabant ea bona non comprehendi in condonatione à S. Sede factâ; non tamen improbabilis videtur sententia opposita, et fortè probari posset ex art. 12 dicti Concordati, ubi dicitur : «Omnia templa Metropolitana, Cathedralia, pa- » rochialia, atque alia quæ non alienata sunt, *cultui neces-* » *saria*, Episcoporum dispositioni tradentur. » Si ergo S. Sedes exegit solùm restitutionem templorum et aliorum bonorum ecclesiasticorum non alienatorum nisi *quatenus erant cultui necessaria*, potuerunt proinde post Concordatum legitimè à Gubernio alienari, et ab acquisitoribus legitimè retineri. Sed quidquid sit de vi hujus argumentationis, S. Pontifex, de hâc re interrogatus, permisit ut acquisitiones haberentur ut validæ; sic imprimis Gregorius XVI respondit 16 sept. 1833, Episcopis Belgii postulantibus ut art. 13 Concordati extenderetur ad bona à Gubernio usurpata, quæ post dictum Concordatum fuerunt divendita, vel adhuc potestatis sæcularis nomine administrantur : « Vobis edicere licebit, inquit Pontifex, no- » mine nostro, memoratum articulum *ampliari et extendi* » ad alia quælibet ex occupatis ut supra bonis, quæ sive » post Conventionem illam alienata à Gubernio sint, » sive adhuc apud Gubernium ipsum remaneant. » Supponit quidem Breve *ampliari Concordatum*, sed fortè

hoc dicit *ad cautelam*, ut amputarentur omnes cavillationes.

5269. In secundo casu, quando nempe bona à Gubernio acquisita, fuerunt ab ipso usurpata post Concordatum, tunc non videtur posse in dubium revocari quod ipsorum acquisitio sit invalida, nisi speciali Indulto obtenta fuerit à S. Sede condonatio rerum sic acquisitarum : confirmatur hæc solutio responsione S. Pœnitentiariæ, 2 januarii 1838, datâ pro diœcesi Cameracensi : « Ad secundum : » quatenus verò bona præfata occupata fuerint post idem » Concordatum anni 1801 initum, concedit quidem (Sa- » cra Pœnitentiaria) possessori eorumdem, ut bona ipsa, » de quibus agitur, retinere possit, his adjectis conditioni- » bus : ut paratus sit mandatis Sedis Apostolicæ super his » bonis omninò parere, et impleat pia opera, si qua bonis » illis inhærebant, atque de his obligationibus moneat » hæredes ad quos bona illa pervenient. » Nova ergo condonatio fuit necessaria pro legitimandis acquisitionibus bonorum post Concordatum usurpatorum : quæ condonatio non fuit concessa nisi sub variis conditionibus strictè observandis, et imprimis implendi pia opera *bonis illis imposita*; dùm ut videre est in responsione ad 1^{m}, ubi agitur de bonis usurpatis antè Concordatum, acquisitores talium *vehementer* tantùm *obsecrantur ut*, *pro pietate ac religione quâ catholicum hominem flagrare decet*, *pia onera*, *si qua illis inhæreant*, *implere non negligant*. (Vide Carrière, *De Just.*, n° 135.)

5270. Si tandem quæstio sit de bonis ecclesiasticis usurpatis ab aliis quàm à Gubernio, v. g., si agatur de bonis, quæ apud privatos remanserunt, Gubernio ignorante, certè condonatio à S. Sede facta hujusmodi bona non comprehendit : unde de illis judicandum est ac de cæteris bonis injustè usurpatis et detentis : quæ proinde sunt restituenda juxta regulas traditas à Theologis in tractatu de Justitiâ, nec eis præscriptio est applicanda nisi sit omnibus conditionibus vestita quæ liberant in foro conscientiæ, imprimisque sit peracta cùm bonâ fide, et per 40 annos duraverit. Vide ap. Theologos.

5271. Quærit. 2° An Ecclesia apud nos habeatur ut civiliter capax habendi dominium?

Responderi potest affirmativè tum ex Concordato ubi sancitur : « Art. 15. Gubernium curabit ut catholicis libe-
» rum sit, si libuerit, Ecclesiis consulere novis fundatio-
» nibus»; tum ex lege 2 jan. 1817 ubi statuitur : « 1° Tout
» établissement ecclésiastique reconnu par la loi pourra
» accepter, avec l'autorisation du Roi, tous les biens
» meubles, immeubles ou rentes qui lui seront donnés par
» actes entre-vifs ou par acte de dernière volonté. 2° Tout
» établissement ecclésiastique reconnu par la loi, pourra
» également, avec l'autorisation du Roi, acquérir des
» biens immeubles ou des rentes. 3° Les immeubles ap-
» partenant à un établissement ecclésiastique seront pos-
» sédés à perpétuité par ledit établissement, et seront ina-
» liénables à moins que l'aliénation en soit autorisée par
» le Roi. » Vide alia ap. Lequeux, n^{is} 1094, 1095.

§ II.

In quonam resideat dominium bonorum ecclesiasticorum.

5272. Non consentiunt DD. circa subjectum in quo resideat dominium bonorum ecclesiasticorum : præter eos enim qui erroneè contendunt illud residere in potestate sæculari, qui satis, ex dictis supra, confutati sunt, et alios qui asserunt illa bona esse nullius, quod quidem verum dici potest in eo sensu quòd nullius privati sint, sed est falsum in eo sensu quòd ad nullum omninò pertineant.

5273. Exstant insuper tres aliæ sententiæ : *Prima* dicit dominium directum et proximum bonorum ecclesiasticorum apud nullum hominem sive privatum sive publicum existere, sed solùm apud Deum seu Christum, solâ administratione apud Dei ministros consistente : ita Innocent. III, Navar., Azor, etc. : in probationem afferuntur varii textus juris canonici, in quibus bona ecclesiastica dicuntur *res Dei bona Deo consecrata.*

Secunda dicit dominium præfatum penès S. Pontificem

residere : ita Fagnanus, et alii ab ipso relati : probant imprimis ex plenitudine juris ea bona administrandi quæ ipsi à canonibus tribuitur. Ex S. Liguor., verior est sententia quæ denegat S. Pontifici dominium propriè dictum circa res ecclesiasticas (lib. 3, nº 931).

5274. *Tertia* tandem dicit dominium de quo agimus esse penès ecclesias vel Instituta in quorum usum sunt respectivè tradita et applicata : ita communiter canonistæ, et hæc sententia, prout est communior, multò pariter videtur probabilior, et probatur ex cap. *Quoniam* 68, causa 16, q. 1, ubi dicitur : « Liberum est... monachis et spiritualibus viris Deum timentibus et colentibus decimas et oblationes, cunctaque remedia concedere et de jure suo in *dominium illorum* et usum transferre. » Ergo non solùm in usum monachorum aut virorum spiritualium dantur bona ecclesiis et monasteriis, sed et *in illorum dominium*, — item ex cap. *Videntes* 16, causa 12, q. 1, in quo legitur : « Videntes autem Summi Sacerdotes et alii..... plus utilitatis posse conferre si hæreditates et agros quos vendebant, ecclesiis quibus præsidebant Episcopi, traderent..., cœperunt prædia et agros, quos vendere solebant, matricibus ecclesiis tradere et ex sumptibus eorum vivere. Ipsæ verò res in ditione singularum parochiarum Episcoporum... erant, et sunt usque adhuc et futuris semper debent esse temporibus. » Ergo res ecclesiasticæ sunt in ditione seu proprietate singularum diœceseon aut parochiarum. »

Idem constat ex Concil. Trident. (sess. 22, c. 11, *de ref.*) supra relato (5260) ubi præsertim notanda sunt verba *alicujus ecclesiæ, seu cujusvis sæcularis vel regularis beneficii... bona, jura*, etc., *usurpare præsumpserit...*, *is anathemati tamdiu subjaceat*, *quamdiu.... bona, res, jura, etc., ecclesiæ ejusque administratori.... integrè restituerit* : dominium enim habere meritò dici debent ii quorum bona, jura, res esse dicuntur, et quibus est restituendum si illa auferuntur; porrò talia esse dicuntur à Concilio, ecclesiæ et beneficia : ergo penès ipsa residet dominium bonorum quæ eorum usui tradita sunt.

Constat etiam ex sensu fidelium qui dando bona sua, intendunt determinatam ecclesiam aut speciale Institutum gratificare.

5275. Probatur denique ex confutatione aliarum sententiarum : *Prima* quæ tenet dominium esse penès Deum solum, non est admittenda : agitur enim non de dominio illo eminenti quod ad Deum pertinet super omnia creata ; hoc quidem ad ipsum spectat, non solùm super bona ecclesiastica, sed etiam super omnia bona sæcularia ; sed agitur de dominio secundario quod, Deo permittente, homines habere possunt in res temporales : porrò hoc dominium non magis rigorosè ad Deum pertinet, quando agitur de bonis ecclesiasticis quàm ubi agitur de aliis bonis : reverà bona ecclesiastica dicuntur *res Dei et ipsi sacrata;* sed ideò sic vocantur, non quia Deus habet propriè illorum præfatum dominium secundarium, sed quia ad ipsius cultum destinantur : dicuntur eodem sensu *res pauperum.*

5276. *Secunda* sententia etiam est falsa : plenitudo enim potestatis quæ S. Pontifici competit circa bona ecclesiastica non arguit ea esse in ejus dominio posita, quia hæc potestas non est potestas dominii propriè dicti, seu jus utendi et abutendi, sed regiminis et administrationis, ut constat ex cap. *Non liceat*, 20, causa 12, q. 2, ubi dicitur : « Non liceat Papæ » prædium Ecclesiæ alienare aliquo modo pro aliquâ ne- » cessitate, nec in usumfructum rura dare, nisi tantum- » modo domos quæ in quibuslibet urbibus non modicâ » impensâ sustentantur » : ita Papa Symmachus. Objici tamen posset quòd canon iste sit intelligendus de liceitate alienationis, non autem de ipsius validitate : quidquid verò sit de hoc, saltem ut probabilior communiter habetur sententia quæ S. Pontifici denegat dominium propriè dictum bonorum ecclesiasticorum : si excipias tamen bona religiosorum in communi possidere non valentium, juxta dicta supra (2791, 2904). Omnes pariter consentiunt quòd S. Pontifex possit donare bona ecclesiastica propter urgentem ecclesiæ necessitatem, ut contigit in Galliâ initio sæculi præsentis, ut diximus in § præcedenti : in id enim

præsumuntur consensisse qui bona sua ecclesiis elargiti fuêre.

5277. Diximus supra (2901) bona Institutorum aut ecclesiarum non censenda fore ecclesiastica nisi hujusmodi Instituta aut ecclesiæ fuerint auctoritate ecclesiasticâ legitimè erecta.

5278. Ut Instituta ecclesiastica valeant canonicè bona temporalia acquirere, sufficit, nisi aliter disponatur in quibusdam Institutis, ut observentur formalitates quæ pro foro conscientiæ sufficientes habentur inter privatos : proinde si agatur de donationibus, requiritur ut acceptentur à legitimis Superioribus Institutorum ante donatorum mortem; et si agatur de aliis acquisitionibus requiritur ut iidem consentiant; sed apud nos in Galliâ, ut Instituta tanquam proprietarii civiliter habeantur, plures aliæ formalitates sunt insuper observandæ : etenim, si agatur de acquisitione titulo oneroso bonorum immobilium vel reddituum (*rentes*) requiritur approbatio Gubernii : ita art. 2 legis 2 jan. 1817 supra relatæ (5271) ; non solet verò concedi hæc approbatio nisi transmittantur ad Gubernium : 1° petitio subscripta ab administratoribus Instituti, cui adjuncta sit sententia (*l'avis*) tùm Consilii municipalis, tum Episcopi, tum Præfecti; 2° tabula descriptionem locorum continens ; 3° actus æstimatorius tum valoris objecti acquirendi, tum impensarum quæ ad peragenda sarta tecta sunt necessaria ; 4° actus inquisitionis factæ à Sub-Præfecti Commissario de *commodo* et *incommodo* acquisitionis peragendæ; 5° scriptum quo proprietarius se obligat ad rem alienandam in gratiam Instituti ecclesiastici; 6° exemplar budgeti quo constet Institutum non esse impar ad bona proposita acquirenda. Vid DD. Affre (*Abrégé d'administr. tempor.*, p. 132, etc.) Dieulin (*Guide des curés*, p. 210, edit. 1844).

5279. Si verò agatur de acquisitionibus titulo gratuito, formalitates tunc observandæ sic exponuntur à DD. Affre (*ib.*, p. 127), Gubernio præberi debent : « Pour le legs :
» 1° testament; 2° acte de décès du testateur; 3° évaluation
» de l'objet légué; 4° état approuvé par le Préfet de l'actif
» et du passif, ainsi que des charges et des revenus de l'a-

» tablissement légataire; 5° copie de l'acte extrajudiciaire
» constatant que les héritiers ont été appelés à prendre
» connaissance du testament; 6° leur consentement à la
» délivrance du legs; au cas contraire, le Préfet, en sol-
» licitant l'autorisation, joindra leur mémoire, en faisant
» connaître le nombre des réclamants, le montant d'hoi-
» rie et la portion afférente à chacun d'eux : s'il n'y a pas
» d'héritiers connus, acte des affiches du testament au
» chef-lieu de la mairie du domicile du testateur et de
» l'insertion dans le journal judiciaire du département. »
(De his consule insuper *Journal des fabriques*, tom. 7, p. 150.)

« Pour les donations : 1° acte de donations; 2° évalua-
» tion de l'objet donné; 3° certificat de vie du donateur;
» 4° état approuvé par le Préfet de l'actif et du passif, ainsi
» que des charges et des revenus de l'établissement dona-
» taire. » Vide adhuc Dieulin (*Guide des Curés*, p. 166).

In utroque casu sive donationis per testamentum recipiendæ, sive donationis inter vivos, Institutum deliberare debet an ipsi expediat acceptare, et actus hujusmodi deliberationis per Sub-Præfectum transmittitur ad Præfectum qui, expetitâ Episcopi et adjunctâ suâ propriâ sententiâ, omnia ad Gubernium mittit. *Nota* quod sufficiat approbatio Præfecti ubi agitur de donationibus aut legatis rerum mobilium quorum valor 300 francos non excedit. Vel etiam 1,000 francos, si agatur de Fabricis. Decr. 15 Febr. 1862.

5280. In omni casu ut Institutum ecclesiasticum possit civiliter acquirere et possidere, requiritur ut sit agnitum à Gubernio seu à lege civili : porrò à lege civili in Galliâ agnoscuntur quinque Instituta diœcesana : videlicet Titulus Episcopalis, Capitulum Cathedralis, Fabrica ejusdem, Seminaria majus et minus; duo parochialia, fabricæ nempe et tituli parochiales, qui duplicis generis sunt, scilicet : vel parochiæ strictè dictæ cujus titularis est inamovibilis, vel minus strictè dictæ, id est succursales et capellæ vicariales, modò ut tales à Gubernio agnoscantur; non sufficit verò quòd agnitæ sint tanquam annexæ. Quoad alia Instituta religiosa, quædam à Gubernio agnoscuntur, v. g. plures

monialium Congregationes, imò et nonnullæ virorum; plures tamen ab illo non agnoscuntur et ideò civiliter acquirere non possunt: vide dicta supra (2593); nec etiam à lege civili agnoscuntur Confraternitates.

5281. Juxta autem legem civilem, donationes et legata Institutis facta acceptari debent in Galliâ: 1° ab Episcopis, quando sunt in gratiam mensæ episcopalis, vel Ecclesiæ Cathedralis, vel seminariorum;

2° A Decano, si in gratiam Capituli fiant;

3° A parocho aut alio titulari, si fiant in favorem tituli parochialis sive inamovibilis sive amovibilis, etiam capellæ vicarialis;

4° A thesaurario fabricæ, si dona sunt in gratiam ecclesiæ aut fabricæ parochialis aut pro cultu divino;

5° A Superiore vel Superiorissâ Congregationis religiosæ si dona fiant in gratiam ejusdem Congregationis: ita art. 2 Decreti 2 apr. 1817 quod legi potest apud Dieulin (*Guide des Curés*, p. 176); vide (*ib.*, p. 177) Decretum 7 maii 1826 pro casu quo donator est ipsamet persona quæ donationes et legata Institutis facta debet acceptare.

5282. Præfatis formalitatibus subjacere non videntur donationes manuales, quippe ex art. 2279 Codicis civilis, possessio rerum mobilium est titulus sufficiens ad illas legitimè retinendas; et ex art. 36 Decret. 1809 Fabricas spectantis, oblationes fieri possunt in gratiam fabricarum. Attamen ex Arresto Curiæ Imperialis Parisiensis 7 decemb. 1852, etiam donum manuale, ut sit validum quando fit in gratiam Instituti religiosi, indiget Gubernii approbatione, quæ dari tamen potest post mortem donatoris. Vide *Univers* 23 jan. 1853. Quando verò donatio est valde notabilis ratione habitâ fortunæ ac reddituum donatoris, et videtur facta in fraudem legis, et ut subterfugiatur interventus auctoritatis publicæ, Gaudry asserit Gubernium sibi reservare facultatem eam moderandi aut etiam rescindendi. (Vide *Prælect. S. Sulpitii*, n° 543.)

ART. II.

DE IMMUNITATE BONORUM ECCLESIASTICORUM.

5283. Per immunitatem bonorum ecclesiasticorum intelligitur *privilegium quo res* (seu bona) *ecclesiæ immunes sunt à communi obligatione legis civilis*. Sunt insuper immunitates merè personales clericorum de quibus diximus suprà (1678-1684), et immunitates locales de quibus sermo fuit (1838-1840). Dicendum est : 1° de existentiâ immunitatis bonorum ecclesiasticorum; 2° de ipsius origine; 3° de ipsius inviolabilitate; 4° quid supersit apud nos in Galliâ ex veteribus immunitatibus.

§ I.

De existentiâ Immunitatis bonorum ecclesiasticorum.

5284. — I. *Bona ecclesiastica sunt regulariter immunia ab oneribus civilibus.*

Probatur 1° Ex *Scripturâ* : omissis textibus Genesis (c. 47, v. 23) et 1 Esdræ (cap. 7, v. 24), sufficiat hic referre verba Christi apud S. Matth. (c. 17, v. 24) : « Quid tibi » videtur, Simon? ait Christus, Reges terræ à quibus accipiunt tributum vel censum? — A filiis suis, an ab alienis? Et ille dixit : Ab alienis. Dixit illi Jesus : Ergo liberi » sunt filii. Ut autem non scandalizemus eos, vade ad » mare, et mitte hamum, et eum piscem, qui primus » ascenderit, tolle, et aperto ore ejus, invenies staterem : » illum sumens, da eis pro me et te. »

Ex præfatis verbis filii Dei sunt immunes ab obligatione solvendi tributum : porrò per filios Dei, Christus non solùm seipsum vult intelligi, sed etiam suos discipulos, cùm non dicat tantùm : *Ut non scandalizem eos, da pro me*, sed *ut non scandalizemus eos, da eis pro me et te* : quasi diceret : Etiamsi liberi simus à tributis solvendis, quatenus sumus filii Dei; attamen ne scandalizentur exactores vectigalium, propter eorum infirmitatem solvemus tri-

butum ab ipsis petitum quamvis à nobis indebitum.

5285. — 2° Constat ex multis juris canonici capitulis : nempe cap. *Quia nonnulli*, *de inviolab. et immunit. bon. eccl.*, in 6°, ubi dicitur : «... Sane intelleximus quòd in » regno Franciæ, communiæ scabini, seu consules et alii » domini temporales... molesti sunt nimiùm ecclesiis super » pluribus..., et inter cætera nituntur et student ut illis » collectas et tallias, et alia hujusmodi eædem ecclesiæ, » prætextu bonorum quæ acquisiverint, tribuant et persol- » vant... Volentes itaque... tot... temerariis ausibus con- » gruis præsidiis obviare, auctoritate Apostolicâ... decer- » nimus non licere præfatis communiis..., et iis qui in eis » jurisdictionem temporalem obtinent, vel justitiam tem- » poralem exercent, tallias... seu exactiones quascumque » ecclesiis vel personis ecclesiasticis imponere, vel exigere » ab eisdem pro domibus, prædiis, vel quibuscumque » possessionibus ab eisdem... acquisitis, vel in posterum » acquirendis, etiamsi ipsæ ecclesiæ, vel personæ vel res » hujusmodi sint intra illorum districtum vel territorium » constitutæ. Nec etiam liceat illis ipsas ecclesias vel per- » sonas ad distrahendum, vel alienandum, aut extra ma- » num suam ponendum acquisita jam, vel quæ deinceps » acquirent, aliquatenus coarctare. »

Imprimisque cap. *Clericis laicos* ejusdem tit. in 6°, ubi legitur : « Nos igitur talibus iniquis obviare volentes..., » Apostolicâ auctoritate statuimus quòd quicumque Præ- » lati, ecclesiasticæque personæ.., quorumcumque Ordi- » num... seu statûs, collectas, vel tallias, decimam laicis » solverint, vel promiserint vel se soluturos consenserint, » aut quamvis aliàs quantitatem.., quovis... titulo.., absque » auctoritate Sedis ejusdem : necnon Imperatores, Reges... » et quivis alii cujuscumque præeminentiæ... qui talia im- » posuerint, exegerint, vel receperint, aut apud ædes » sacras deposita ecclesiarum, vel ecclesiasticarum perso- » narum ubilibet arrestaverint.., seu occupare præsumpse- » rint, vel arrestari... aut occupari mandaverint, aut occu- » pata... receperint, necnon omnes, qui scienter dederint » in prædictis auxilium, consilium, vel favorem publicè

» vel occultè, eo ipso sententiam excommunicationis in-
» currant... » Præfata verba sat patent. *Nota* solùm quòd, etsi hæc Constitutio Bonifacii VIII, quoad pœnas temperata fuerit à Clemente V in Concilio Viennensi, non tamen fuit abrogata, quin potius fuit tunc confirmata (V. Clement. unic., *de Immunit. eccles.*); imò in Conc. Later. V, in totum suum vigorem fuit restituta; at fuit abrogata C. *Ap. Sed.*

3° Probatur ratione : 1° Ut bona ecclesiastica oneribus reipublicæ subjici valerent, opus esset ut sub jurisdictione Principis sæcularis essent : atqui non ita res se habet, sed illæ res sunt tantùm sub illius protectione, ut diximus in articulo præcedenti (5258, etc.). Ergo, etc.

2° Tributis non solent gravari, nec æquum esset ut gravarentur bona quæ ad communem utilitatem impenduntur : porrò bona Ecclesiæ impenduntur in utilitatem communem : deputantur enim in usus religiosos, ad cultum divinum, ad sustentationem ministrorum, aut pauperum sublevamen; sed hæc omnia in utilitatem communem vergunt : maximè enim communitati utilis est, imò necessaria religio : proinde bona quibus religionis bonum promovetur, in utilitatem communem adhibentur; ergo non magis justum esset illa tributis gravare quàm cætera bona quæ communi utilitati inserviunt.

5286. Objicies 1° Axioma juris : *Qui sentit commodum et onus portare debet;* sed Ecclesiæ et clerici commoda societatis civilis sentiunt prout alii cives; ergo et ipsius onera debent sufferre sicut alii.

Resp. Distinguendo : qui sentit commodum et onus sentire debet : si sit subjectus et aliunde jus non habeat ad commodum nisi oneri se submittendo : concedo; — si non sit subjectus et habeat jus ad commodum, licet se oneri non submittat, nego. Ecclesia enim non est subjecta potestati sæculari; jus tamen habet ad fruendum bonis societatis civilis, etsi tributis non oneretur, debeturque illi protectio ob innumera bona quæ ab ipsâ societati præstantur; de illâ judicandum est ac de rege et de ministris ejus, qui à tributis eximuntur : « Sicut (enim) reges
» sollicitudinem habent de bono publico in bonis tem-

» poralibus, inquit Leo X in Constit. *Superna*, in Concil. » Lateran. V, ita ministri Dei in spiritualibus, et sic per » hoc quòd Deo in spiritualibus ministrant, recompensant » regi quod pro eorum pace laborat. » Ergo, etc.

Objic. 2° Duo capitula juris : videlicet c. *Si tributum* 27, causa XI, q. 1, quòd sic habet : « Si tributum petit Impe- » rator, non negamus : *agri Ecclesiæ solvunt tributum* »; et cap. *Tributum*, causa 23, q. 8, in quo dicitur : « De exte- » rioribus suis quæ palàm cunctis apparent, Ecclesia » tributum reddit. » Ergo, etc.

Resp. Primis sæculis, Ecclesia solvebat tributum, eò quòd ipsius privilegia nondum erant agnita, sicut solvit Christus, et hoc propter necessitatem, non verò propter debitum. Reverà verba prioris capituli modò allegati sunt S. Ambrosii; ex quibus colligendum Ecclesiam nondum obtinuisse tunc à principibus ut agnoscerent ipsius immunitatem quoad tributa; sed ex verbis cap. *Si Tributum* colligi nequit S. Ambrosium admisisse legitimitatem tributorum quoad Ecclesiam : dicendo enim : « agri Ecclesiæ solvunt tributum factum asserit, non jus confitetur, inquit Suarez (*Defens. fidei*, lib. 4, c. 21). Sicut de bonorum usurpatione idem ait : « Si agros desiderat Imperator, potestatem habet » vindicandorum... tollat eos, si libitum est » ; sed statim superaddit : « Imperatori non dono, sed non nego. » *R*. de M., tom. 2, p. 383.

Alterum autem capitulum, incerti auctoris, tribuitur Papæ Urbano I, qui vixit nondum pace Ecclesiæ redditâ : porrò mirum non est quòd tunc solvendum foret tributum ab Ecclesiâ pro *exterioribus suis bonis* ad pacem obtinendam : nonne frustrà, tunc temporis, sua jura Ecclesia principibus opposuisset? Ergo ex his nihil est concludendum contra superiùs stabilita.

5287. Dictum fuit in propositione *regulariter*, quia ex privilegio bona Ecclesiæ tributis gravari possunt, ut fortè contigit quibusdam in locis ex concessione S. Sedis.

5288. Quærit. 1° An sit disciplina certa quòd omnia bona ecclesiastica, extra casum privilegii legitimè obtenti, sint immunia ab oneribus à potestate sæculari impositis?

Resp. Bona Ecclesiæ esse dupliois generis : alia enim sunt proximè ad cultum divinum ordinata, et ideò solent consecrari aut saltem benedici, nec debent ad usum humanum adhiberi; talia sunt : ecclesiæ, cœmeteria, vasa sacra, etc.; — alia non sunt adeo proximè ad cultum divinum ordinata, nec sunt consecrata aut benedicta, et ad usum ministrorum Ecclesiæ aut pauperum, aut ad alios pios usus sunt destinata.

5289. Quoad priora bona, certum est illa esse immunia ab omnibus oneribus civilibus, sive antequam, sive postquam in possessionem Ecclesiæ venerint, impositis : omninò enim indecens esset ut quovis titulo tributis gravarentur hujusmodi bona.

5290. Quoad autem bona quæ ad sustentationem ministrorum aut sublevamen pauperum adhibenda sunt, nec sunt destinata ad fundationem et dotationem ecclesiarum, certum pariter est quòd sint immunia ab oneribus à Republicâ, postquam in possessionem Ecclesiæ venerint, impositis, quia non ampliùs sunt sub jurisdictione Principis sæcularis.

5291. Controvertitur autem an sint etiam immunia ab oneribus quæ ipsis imposita fuerant antequam in possessionem Ecclesiæ venerint : multi contra multos contendunt res illas, cum onere imposito, transire in dominium Ecclesiæ : probabilior tamen videtur sententia negans : nam licet sit verum quòd bonum gravatum aliquo debito erga privatum, transeat in manus Ecclesiæ cum onere illud debitum solvendi, cùm sit debitum justitiæ commutativæ, quod non dedecet, imò summè decet Ecclesiam debere illud solvere [1], etsi, inquimus, hoc sit verum; secus tamen

[1] Concordant canonistæ, inquit Auctor *Præl. S. Sulp.* (nº 326), quòd à clericis debentur : « 1º Onera imposita rei datæ in feudum; 2º onera » bonis, etiam non feudalibus, imposita in primâ fundatione; » 3º onera quæ annexa erant bonis antequam hæc bona ad viros » ecclesiasticos devenirent : ratio in aperto est. » Siquidem vel res donatur sub conditione justâ, vel bona jam erant onere gravata antequam fierent ecclesiastica. Ita præfatus Auctor; sed in quantum loquitur de oneribus à lege civili impositis antequam bona fuerint ecclesiastica, errat, dicendo quòd canonistæ sint concordes in admittendo quòd à talibus oneribus bona Ecclesiæ non sint immunia.

est dicendum de obligatione solvendi tributum : istud enim ideo est solvendum quia bonum est sub jurisdictione tributum imponentis : porrò quando bonum transivit in manus Ecclesiæ non ampliùs est sub jurisdictione tributum civile imponentis; ergo non ampliùs tributo est obnoxium. Nec valet dicere Principem sic detrimentum pati : nam etiam detrimentum patitur casu quo bona sunt prioris generis, præterea detrimentum quod patitur compensatur per alia bona quæ ipsi proveniunt ex bono usu rerum Ecclesiæ elargitarum : hæc secunda sententia multò conformior videtur cap. *Quia nonnulli* supra relato, in quo dicitur : « *Decernimus* non licere... exactiones quascumque ecclesiis, vel personis ecclesiasticis imponere (quæ verba intelligi debent de tributis quæ post donationem Ecclesiæ factam statuerentur), vel exigere ab eisdem pro domibus, prædiis, vel quibuscumque possessionibus, ab iisdem acquisitis, vel in posterum acquirendis » : quæ ultima verba necessariò sunt applicanda etiam tributis impositis antequam bona in possessionem Ecclesiæ venerint. Vide ap. R. de M. (tom. 2, p. 386).

5292. Quærit. 2° An ita sit prohibitum tributa solvere ex bonis ecclesiasticis, ut id nunquam à canonibus permittatur?

Resp. Negativè : in ipsismet enim canonibus prævidentur casus in quibus licet ex bonis Ecclesiæ subvenire necessitatibus Statûs civilis : ita se habet cap. *Non minus*, *de immunit. Eccles.*: « Quocirca sub anathematis districtione fieri de cætero talia prohibemus, nisi *Episcopus et clerus tantam necessitatem vel utilitatem aspexerint, ut absque ullâ exactione, ad relevandas communes utilitates vel necessitates, ubi laicorum non suppetunt facultates, subsidia per ecclesias existiment conferenda.* »

5293. Eadem leguntur in cap. *Adversus*, ejusdem tit. extracta ex Concil. Lateran. IV, ubi insuper additur : « Prædicti laici humiliter et devotè recipiant cum gratiarum actione; propter imprudentiam tamen quorumdam, Romanus Pontifex priùs consulatur, cujus interest communibus utilitatibus providere. » In Concilio autem Constant. (sess. 43), sancitum fuit : « Per SS. Pontifices

» nullatenus imponi generaliter super totum clerum, nisi
» ex magnâ et arduâ causâ et utilitate universalem Eccle-
» siam concernente, et de consilio, ac consensu et de
» suscriptione S. R. E. Cardinalium et Prælatorum quorum
» consilium commodè haberi poterit; nec specialiter in
» aliquo regno vel provinciâ, inconsultis Prælatis ipsius
» regni, vel provinciæ, et ipsis consentientibus, vel eorum
» majore parte, et eo casu per personas ecclesiasticas, et
» auctoritate Apostolicâ duntaxat levari. »

Hæc etiam praxi Ecclesiæ constant : sic Concil. Lateran. IV universis clericis vigesimam, et Cardinalibus decimam imposuit in subsidium cruce signatorum; item Honorius III, anno 1224, Guilhelmo Marchioni Montis-Ferrati ad succurrendum Imperio Constantinopolitano, mediam partem reddituum ecclesiasticorum... attribuit, sinè prævio cleri consensu, quod etiam pluries fecerunt ipsius successores. Vide R. de M., tom. 2, p. 390; et quæ diximus supra (5261).

5294. Liquet præfatum subsidium non esse dicendum *tributum civile*, cùm non exigatur auctoritate civili, sed sit liberaliter à Clero conferendum; ut autem legitimè præstetur sex requiruntur conditiones à Rotâ enumeratæ in *Brundusinâ gabellâ*, 13 febr. 1604 : « 1° Ut adsit ma-
» gna necessitas, cui aliàs facilè subveniri non possit, nisi
» clerici cum laicis contribuant...; — 2° debet concurrere
» communis utilitas, vel saltem pietas, ut in dicto cap.
» *adversus...*, *de immun. eccles...*; — 3° oportet quòd onus
» sit tale ut ad illud sustinendum laici non sufficiant, quia
» clerici et ecclesiæ solùm tenentur cum laicis contribuere
» in subsidium, *ubi laicorum non suppetunt facultates*, ut in
» dicto cap. *Adversus...*; — 4° ut ad onus hujusmodi impo-
» nendum vocetur et consentiat totus Clerus, nec sufficе-
» ret Episcopus cum Capitulo, quia quod omnes tangit ab
» omnibus particulariter debet approbari : c. *Cùm omnes*,
» *de reg. jur.*; in 6°...; — 5°... potissimùm requiritur ut
» Papa consulatur, et ipso consulto, et non aliàs, clerici
» contribuant, dicto cap. *Adversus...*; — 6°... quòd... clerici
» et personæ ecclesiasticæ non à ministris laicis, sed à

» suo Episcopo et Superiore ecclesiastico compellantur.
» Principes enim et sæculares potestates non possunt in
» his se intromittere... »

§ II.

De origine Immunitatis bonorum ecclesiasticorum.

5295. Variant DD. circa fontem à quo diffluunt immunitates bonorum ecclesiasticorum : *alii* dicunt illas oriri ex jure naturali, et illorum sententia est vera et ab omnibus admittitur eo sensu saltem quòd æquitas naturalis dictat bona ecclesiastica debere aliquâ et competente immunitate gaudere; *alii* asserunt illas esse repetendas ex jure gentium : politici et legistæ cum paucis canonistis volunt illas descendere à jure civili; hanc tamen sententiam aliter explicant canonistæ et aliter politici et legistæ : isti enim non solùm dicunt præfatam immunitatem fuisse liberè Ecclesiæ à Principibus collatam, sed etiam volunt illam posse ab iisdem revocari, quia concedendo privilegium, non voluerunt sibi adimere potestatem jus suum repetendi, si quando id eis utile videretur; dum èконтra canonistæ hanc sententiam sequentes, concedunt quidem immunitatem bonorum ecclesiasticorum fuisse Ecclesiæ à Principibus liberè collatam, sed tamen irrevocabiliter : quia Ecclesia eam acceptando rem suam fecit, quâ proindè ampliùs spoliari non potest.—Quid autem sit sentiendum de hâc sententiâ, vide supra (276).

Quarta sententia tenet hanc immunitatem esse à jure divino, et ipsius patroni in probationem afferunt : 1° verba Christi : ap. S. Matth. (c. 17, v. 25); 2° cap. *Quanquam, de cons.*, in 6°, ubi dicitur : « Ecclesiæ ecclesiasticæque » personæ ac res ipsorum non solùm jure humano, quinimò et divino à sæcularium personarum exactionibus » sunt immunes »; 3° Concil. Trident. (sess. 25, cap. 20, *de reform.*), ubi « Ecclesiæ et personarum ecclesiasticarum » immunitas Dei *ordinatione* et canonicis sanctionibus » instituta » affirmatur; 4° tandem hâc ratione probant quòd si humano, non divino jure, hæc immunitas fuisset

instituta, tolli contrariâ lege posset, aut consuetudine, quod tamen communissimè à DD. negatur.

5296. Quinta demum sententia immunitatem bonorum ecclesiasticorum à jure ecclesiastico repetit : hæ autem duæ posteriores sententiæ conciliantur dicendo immunitatem ecclesiasticam esse fundamentaliter quidem à jure divino, sed determinari à jure ecclesiastico quomodo sit observanda : et hoc videtur conformius dicto capitulo *Quanquam* et verbis modò relatis Concilii Tridentini.

Status civilis non est ergò immunitatis auctor; sed si christianus est, debet esse fidelis conservator illius et defensor. Vide R. de M., p. 393-399 [1].

§ III.

De inviolabilitate Immunitatis bonorum ecclesiasticorum.

5297. Violantes immunitatem bonorum ecclesiasticorum non solùm gravi sacrilegio se maculant, sed etiam varias pœnas incurrunt, et præsertim pœnam excommunicationis latæ sententiæ; illud constat ex pluribus capitulis juris canonici, et præsertim cap. *Quamquam* supra citato (5295) ubi dicitur : « Excommunicationis sententiam ipso facto » incurrat. » Insuper peccant contra justitiam et tenentur ad restitutionem : nam violant jus strictum Ecclesiæ aut ecclesiasticarum personarum : unde dicitur in cap. *Adversus de immun. eccles.*, jam citato : «... Ipsum qui satisfacere » recusaverit et successorem ejus, nisi satisfecerit infra » mensem, manere decernimus ecclesiastiticâ censurâ con- » clusum, donec satisfecerit competenter, cùm succedat » in onere qui in honore constituitur. » (V. C. *Apost. Sed.*

Apud nos hodie immunitas rerum et personarum ecclesiasticarum non agnoscitur à lege civili, nisi in quibusdam casibus ; quomodo autem Episcopi et clerici sese gerere debent in hâc materiâ, diximus supra ex Bened. XIV (271-275).

1. Inter prop. *Syllabi* sic habet 30ª : *Ecclesiæ et personarum ecclesiasticarum immunitas à jure civili ortum habuit.* V. etiam pr. 31, 32, 43.

§ IV.

Quid supersit in Galliâ ex veteribus Immunitatibus.

5298. Immunitates illæ, ut initio articuli diximus, aliæ erant personales, aliæ locales, aliæ reales seu bonorum : his quæ supra diximus (1678, etc.) de immunitatibus seu privilegiis personalibus clericorum, adde quòd clerici erant insuper immunes ab eis oneribus quæ reputabantur *sordida opera*, qualia erant opera pro reparatione viarum, pontium (*la corvée*), à servitio militari, à receptione militum et aliis præstationibus causâ militiæ; eximebantur à tutelâ minorum in multis casibus, et etiam in Galliis vigebant can. *Generaliter* 40, causa 16, q. 1, et canon *Pervenit;* imò eximebantur à tributis quoad bona patrimonialia, inprimis quoad ea quæ non ad lucrum erant exculta, ut domus habitationis, hortus, ager ad proprios usus excultus (Lequeux, n° 1113). Vide supra (5291). Porrò :

5299. — I. *Quoad immunitates personales* sequentes adhuc observantur in Galliâ : 1° Si intra exercitium functionis sacræ, minister Dei aliquem lædat, non potest ad tribunalia communia deferri, nisi priùs judicatum fuerit à Consilio Statûs *adfuisse abusum jurisdictionis :* ita pluries Curia Suprema interpretata est legem organicam (Lequeux, n° 1118). 2° Clerici sacris initiati, et alumni seminariorum aspirantes ad sacros ordines eximuntur tum à servitio militari, tum à servitio militiæ urbanæ (*garde nationale*) : leg. 21 mart. 1832; quæ tamen immunitas suppressa est. 3° Quoad tutelam, Cons. Statûs declaravit ministris cultûs applicandum esse artic. 427 Codicis civilis in quo dicitur : « Sont dispensés de la tutelle... tous les citoyens » exerçant une fonction publique dans un département » autre que celui où la tutelle s'établit » ; et juxta sententiam ejusdem Consilii Status 20 nov. 1806 : La dis» pense accordée par l'article (susdit) est applicable non » seulement aux ecclésiastiques desservant des cures ou » des succursales, mais à toutes personnes *exerçant pour*

» *les cultes* des fonctions qui exigent la résidence pour » lesquelles elles sont agréées par Sa Majesté. » 4° Quoad taxam litterarum, vide quid iis sit specialiter concessum in Decreto 14 decembr. 1828, 4 julii ejusdem anni, et Decis. Minister. 6 jul. 1843.

5300. — II. *Quoad immunitates locales* : de jure asyli superest tantùm quòd debitores non possint in ecclesiis corpore apprehendi tempore quo ministri cultûs exercent aliquas functiones sacras (*art.* 781, *Code Procéd. civile*).

5301. — III. *Quoad immunitates reales:* à tributis quæ vulgò apud nos dicuntur *impôts fonciers* eximuntur : 1° ecclesiæ; 2° cœmeteria; 3° domus Episcopalis; 4° presbyteria et horti contigui, quando ad fabricam vel ad communitatem pertinent, non verò quando sunt domus elocatæ ad privatos pertinentes; 5° prata et lucus quæ definitivè annectuntur presbyterio, nec sunt concessiones temporariæ ad nutum municipii revocabiles; 6° seminaria majora et minora, modò sint Instituta publica, non scholæ privato nomine erectæ et directæ; 7° ædes et horti contigui Communitatum religiosarum quæ puerorum utriusque sexûs educationi inserviunt, sicut etiam domus magistrorum scholarium ad communitatem pertinentes; 8° hospitia cujusque generis. (Lequeux, n° 1120.)

A tributo verò quod *personale et mobiliare* nuncupatur non eximuntur ministri cultûs; nec etiam, juxta Consilium Statûs (19 apr. 1838), à tributo portarum et fenestrarum, etsi habitent domum ad statum, vel *districtum* (*département*), vel communitatem (*commune*), etc., pertinentem; à Consilio tamen Municipali, ab hujusmodi tributis exonerari possunt si ipsi libuerit, ex art. 18 legis 21 april. 1832 (Lequeux, n° 1121, 1122), prout pariter exonerari possunt à præstationibus in naturâ, et à laboribus pro reficiendis viis et pontibus (*ib.* n° 1123).

CAPUT II.

DE BONORUM ECCLESIASTICORUM ADMINISTRATIONE.

5302. Dicendum 1° de jure illa administrandi et de iis ad quos jus illud pertinet; 2° de alienatione bonorum ecclesiasticorum; 3° de quibusdam aliis actibus administrationis.

ART. I.

DE JURE ADMINISTRANDI BONA ECCLESIASTICA ET DE IIS AD QUOS JUS ILLUD SPECTAT.

5303. Jus administrandi bona ecclesiastica ad eam auctoritatem pertinere debet ad quam, modo independenti, hujusmodi bona pertinent : accessorium enim sequitur principale; porrò administratio est accessorium et appendix dominii pleni aut saltem utilis; ergo sicut bona ecclesiastica ad Ecclesiam pertinent, ad ipsam pariter spectat eorum administratio : hoc enim jure administrandi potiti fuêre ipsimet Apostoli, quoad collectas et alia bona quæ in *illorum* manus à fidelibus mittebantur; et abdicatâ demum ab ipsis hâc administratione ne cura temporalium à spiritualibus distraherentur, non laicos sed septem diaconos constituerunt qui curæ earumdem rerum rectæque administrationi præessent. (Act. Ap., c. 6; et 1 Cor., c. 16, v. 1-4.)

5304. Initio, cura et administratio omnium Ecclesiæ bonorum penès Episcopum erat: sic enim legitur in can. 21 Apostolorum à Gratiano relato, c. 12, q. 1 : « Præcipimus » ut in potestate suâ Episcopus Ecclesiæ res habeat : si » enim animæ hominum pretiosiores illi sunt creditæ, multò » magis oportet eum curam pecuniarum gerere, ita ut » potestate ejus indigentibus omnia dispensentur per pres- » byteros et diaconos. » Item legitur in canone 25 Concil. Antioch., anni 341 (Cap. *Episcopus* 23, causa 12, q. 1) : « Episcopus ecclesiasticarum rerum habeat potestatem

» ergà omnes qui indigent, cum summâ reverentiâ et
» timore Dei. Participet autem ipse quibus indiget, si
» tamen indiget, tam in suis quàm in fratrum qui ab eo
» suscipiuntur, necessariis usibus... Quòd si contentus
» istis minimè fuerit, convertat autem res Ecclesiæ in suos
» usus domesticos, et ejus commoda, vel agrorum fructus,
» non cum presbyterorum conscientiâ diaconorumque
» pertractet, sed bonorum potestatem domesticis suis
» aut propinquis committat, ut per hujusmodi personas
» occultè res lædantur Ecclesiæ, Synodo provinciæ pœnas
» ipse persolvat. »

5305. Ne autem Episcopi administratio sinè testibus esset, et pariter ut in aliquâ curarum parte levaretur, mox pro dictis bonis administrandis, constituti fuêre œconomi, qui tamen Episcopis suis rationem reddituri erant : de ipsis loquitur Concil. Chalcedon., anno 451, in canone 26 : « Quoniam, inquit, in quibusdam Ecclesiis, præter œco-
» nomos, Episcopi facultates ecclesiasticas tractant, pla-
» cuit omnem Ecclesiam habere *œconomum* de clero pro-
» prio, qui dispenset res secundùm sententiam Episcopi
» proprii, ita ut Ecclesiæ dispensatio præter testimonium
» non sit. » In canone autem 11 Concilii Nicæni II datur Metropolitis aut Patriarchis facultas dictos œconomos constituendi in Ecclesiis suæ Provinciæ, sicubi in hoc Episcopos negligentes invenissent (Vide Soglia, *Inst. jur. priv.*, § 111). Solebant autem Archidiaconi in œconomos eligi (*ib.*).

5306. Unus erat primùm bonorum cumulus unde alebantur Episcopi, clerici et pauperes ecclesiæ addicti, ex quo pariter detrahebantur impensæ quas pro ecclesiæ fabricâ, ornatu, supellectili, cæterisque rebus facere oportebat; postea verò visum est bona ecclesiastica in quatuor partes dividere, ut memorant Simplicius Papa, Epist. 3, ad Florent.; Gelasius Papa, Epistola 9 ad Episc. Lucaniæ, etc., et sua Episcopo, sua clericis, sua item pauperibus, sua denique ecclesiæ fabricæ pars attributa est : in hâc bonorum partitione certi quoque redditus parochialibus ecclesiis adscripti fuêre (ap. Devoti, lib. 2, tit. 13, § 6 et 7). Sic etiam habet cap. *Mos est* 30, causa 12, q. 2, ex S. Greg.

ad August. desumptum : « Mos est Apostolicæ Sedis Epis-
» copis præceptum tradere, ut de omni stipendio quod
» accedit, quatuor fieri debeant partitiones, una videlicet
» Episcopo et familiæ ejus propter hospitalitatem, alia
» Clero, tertia verò pauperibus, quarta ecclesiis repa-
» randis. »

5307. Sic itaque divisis bonis Ecclesiæ, plures necessarii fuêre in singulis diœcesibus administratores : propriæ mensæ bonorum administrationem retinuit Episcopus : bonorum uniuscujusque beneficii cura titulari eorumdem tributa fuit; bona autem ecclesiarum aut fabricarum aut aliorum locorum ab ipsorum rectoribus administrabantur; monasteriorum verò bona à suis Præpositis aut Prælatis; apud Episcopum tamen remansit, etiam post dictam bonorum partitionem, supereminens administratio, si excipias monasteria quæ fuêre ab ipsius administratione exempta : et ideò, quoties instituitur Episcopus, declarat Pontifex electo *curam et administrationem talis Ecclesiæ in spiritualibus et temporalibus* committi : quod consonum est cap. *Is cui* 42, *de elect.*, ubi Bonifacius VIII ait : « Is cui procuratio seu administratio Cathedralis Ecclesiæ *plena et libera in spiritualibus et temporalibus est commissa, potest*, alienatione bonorum immobilium duntaxat *exceptâ*,
« omnia quæ jurisdictionis episcopalis existunt, et quæ
» potest electus confirmatus exequi, liberè exercere. »

5308. Ad providendum variis ecclesiarum necessitatibus institutæ fuêre Fabricæ, seu corpora administratorum quibus cura demandabatur administrandi res ecclesiæ, sumptus suggerendo necessarios ædificationi ac reparationi sacrarum ædium et aliis ad cultum divinum requisitis ; ideò sic vocantur quia institutæ fuêre præcipuè ad reficiendas et *fabricandas* sacras ædes.

5309. Juxta Lequeux (nº 1128 3º), versùs sæculum XIII duntaxat cœperunt laicis committi quædam munia in administrandis Ecclesiæ bonis. Conc. verò Vienn., anno 1310, sequens Decretum tulit circa administrationem xenodochiorum : « Gubernatio viris providis, idoneis et boni testi-
» monii committatur, qui sciant, velint et valeant loca ipsa,

» bona eorum ac jura utiliter gerere ; et eorum proventus
» et redditus in personarum miserabilium usum fidelibus
» dispensare... Illi quibus dictorum bonorum dispensatio
» committitur, ad instar tutorum et curatorum, juramen-
» tum præstare, ac de bonis inventoria conficere, et Ordi-
» nariis, seu aliis quibus hæc loca subsunt, annis singulis
» de administratione suâ teneantur rationem reddere. »
(Clement. *Quia contingit* 2, *de Religiosis domib.*)—Eâdem epochâ et propter similia motiva inducta est fabricarum administratio. (Vide *Prælect. S. Sulpitii*, n° 382, III.)

5310. Matriculariorum nomine (*marguilliers*) ideò vocati fuêre ii quibus cura bonorum Ecclesiæ fuit demandata, quia ortum habuêre ex iis clericis aut pauperibus qui inscribebantur matriculæ seu tabellæ eorum qui ab ecclesiis alebantur, ex quibus selecti fuerunt primùm qui munia externa in ecclesiis adimplerent, eas custodirent, ornarent, campanas pulsarent, etc. (Vide Du Cange, v° *Matricularii*); sed postea amplificata fuêre illorum munera et veri administratores bonorum ecclesiæ effecti fuêre, semper tamen jurisdictioni Episcoporum subjecti, prout multis constat et præsertim ex Concilio Trident. (sess. 22, c. 9, *de ref.*) :
« Administratores tam ecclesiastici quàm laici fabricæ cu-
» jusvis ecclesiæ, etiam Cathedralis, hospitalis, confrater-
» nitatis, eleemosynæ, Montis Pietatis et quorumcumque
» locorum piorum, singulis annis, *teneantur reddere ra-*
» *tionem administrationis Ordinario*, consuetudinibus et
» privilegiis quibuscumque in contrarium sublatis, nisi
» secus fortè in Constitutione et ordinatione talis ecclesiæ
» seu fabricæ expressè cautum fuisset; quòd si ex consue-
» tudine aut privilegio, aliis ad id deputatis ratio red-
» denda esset, tunc adhibeatur etiam Ordinarius : et ali-
» ter factæ liberationes dictis administratoribus minimè
» *suffragentur.* »

5311. Etsi nunc in Galliâ, administratores fabricarum *non* sint omninò independentes ab auctoritate episcopali, tamen fabricæ nostræ non ampliùs sunt hodiè administrationes ecclesiasticæ propriè dictæ : potiùs enim sæculari potestati subduntur quàm spirituali auctoritati : juxta enim

legis civilis præscripta instituuntur, regulantur, administrant bona : uno verbo omninò subjacent decisionibus Gubernii, et quoad eorum existentiam et quoad omnes illorum administrationis actus. Idem est dicendum de administrationibus hospitalium quæ omninò laicæ apud nos effectæ sunt et à solâ auctoritate civili constituuntur et reguntur

5312. Sic autem fabricæ parochiales ordinantur in Galliâ ex Decreto 30 decemb. 1809 : constant duabus partibus : Consilio nempe (*le Conseil*) et Collegio Matriculariorum (*le bureau des marguilliers*) : ad primum spectat deliberatio et potestas decernendi circa ea quæ facienda sunt ; ad secundum executio resolutorum et cura bonorum quotidiana.

Consilium autem fabricæ septem vel undecim membra habere debet : septem quidem in parœciis in quibus non adsunt 5,000 animarum ; undecim verò in parœciis in quibus 5,000 computantur : inter illa de jure recensendi sunt tum parochus tum Major communitatis (*le maire*) ; cætera membra, præter parochum et Majorem communitatis, primâ vice eliguntur pro majore parte ab Episcopo, pro minore autem parte à Præfecto : deinceps verò renovantur ex parte, singulis trienniis, per electionem faciendam à membris quæ nondum tempus expleverunt per quod durare debet illorum officium, id est sex annos.

Fabricæ Consiliarii debent esse catholici, notabiles, et habere domicilium suum in parochiâ.

5313. Convenire debent regulariter quater in anno, videlicet : dominicâ *Quasimodo* et primis Dominicis julii, octobris et januarii : electiones triennales, electio annua præsidis et secretarii, redditio computorum et deliberatio circa budgetum regulariter dominicâ *Quasimodo* sunt peragendæ, circà quod attendendum recenti legi 26 januar 1892 et analogo decreto 27 martii 1893.

5314. Collegium autem (*le bureau*) coalescit ex parocho et ex tribus aliis membris Consilii, quæ ab ipso Consilio primùm designantur et ita deinceps ab eo renovari debent ut unum ex ipsis mutetur singulis annis vel reeligatur

Collegium eligit quotannis, Præsidem, Secretarium et Thesaurarium ; regulariter convenire debet singulis men-

sibus; at potest extraordinariè convenire quotiescumque expetit parochus, vel requirit præses.

Hæc omnia et plura alia quæ spectant compositionem consilii et collegii, munia utriusque, et variorum membrorum quibus constant, perceptionem reddituum, onera fabricæ, præparationem et approbationem budgeti, redditionem computorum, modum acquirendi ac alienandi, locationesque faciendi; uno verbo, omnes actus administrationis fabricarum, explanantur à variis auctoribus qui circa legislationem hujusmodi solà auctoritate civili sancitam, fusè scripserunt, inter quos DD. Affre in suo opere *Traité de l'administr. tempor. des paroisses;* Dieulin in opere *Guide des curés*; et præsertim redactores Diarii cui titulus *Journal des fabriques* pluribus voluminibus comprehensi.

5315. Cùm hujusmodi explanatio multum tempus exposceret, et non sit proprium juris canonici objectum, quippe tota hujusmodi legislatio est potiùs civilis quàm canonica, imò potiùs anticanonica, quatenus potestas sæcularis in eâ usurpet administrationem quæ ad solam Ecclesiam pertinet, ideò hanc materiam remittimus ad auctores qui illam ex professo elucidant, quique sedulò sunt quidem investigandi à clericis : nam etsi parum canonicè, imò admodum anticanonicè multa in eâ statuantur, quia tamen tristis nobis inest necessitas hanc legislationem subeundi, nobis est pariter opus illam penitùs perspectam habere, ut supra diximus (1509), ut non plus fiat onerosa quàm reverà exstat, et ex illius notitiâ etiam arma arripiamus quibus, si fieri potest, aliquando contra injustas vexationes protegamur. Etsi enim hæc legislatio non sit canonica potest tamen à clericis observari in quantum saltem Ecclesia et Episcopi illam tolerant; imò sæpe debet cautè observari ne actus administrationis sint civiliter invalidi, et ideò etiam nos plura passim puncta de eâ delibavimus aut delibaturi sumus.

Cæterùm relegenda sunt quæ diximus supra (263, etc.) circa limites utriusque potestatis spiritualis et temporalis.

Ad quosnam autem spectet administratio bonorum mo-

nasteriorum et congregationum religiosarum, diximus supra (2901-2932).

ART. II.

DE ALIENATIONE BONORUM ECCLESIASTICORUM.

5316. Quæ diximus supra de alienatione bonorum monasteriorum applicanda sunt alienationi cæterorum bonorum ecclesiasticorum : licita quidem esse potest alienatio bonorum mobilium non pretiosorum aut etiam aliquando bonorum immobilium, sed regulariter interdicitur omnibus Episcopis, Ecclesiis, Capitulis, beneficiariis, monasteriis, piis locis bona sua ecclesiastica immobilia vel pretiosa quæ servari possunt alienare, nisi fiat ex justâ causâ, et servatis formalitatibus à jure præscriptis. Nomine autem alienationis intelliguntur non solùm actus quibus transfertur dominium propriè dictum, ut fit per venditionem, donationem, permutationem, sed etiam actus quibus jus in perpetuum vel ad longum tempus conceditur, ut fit per emphyteusim [1], locationem ultra triennium, oppignorationem, hypothecas, impositionem novi gravaminis, servitutis, censûs, etc. Vide supra (2910, etc., 2403, 2404).

5317. Disputatur an necessarium sit beneplacitum Apostolicum casu quo bonum fuit donatum cum expressâ conditione quòd alienari poterit propriâ auctoritate : probabilem reputat sententiam negantem S. Liguor. (lib. 4, n° 187, *not.* 2).

5318. Notandum est autem, quoad formalitates præscriptas, quòd si qua bona ad Ecclesias Cathedrales, aut etiam ad mensam episcopalem vel Capituli, vel ad Collegiatam, aut ad monasterium pertinentia, alienari debeant, requiritur ut Prælatus Capitulum aut collegium consultet an alienatio proposita ad ecclesiæ utilitatem conducat; in eoque negotio, ea sententia valet quæ saltem majori parti

[1] Emphyteusis est contractus quo, retento dominio directo, transfertur alteri ad longos annos dominium utile seu ususfructus. Apud nos potest fieri ad 99 annos ex lege 18 oct. 1790, etsi non jus in re, sed jus ad rem solùm possit transferri. (Vide Theol. Tolos., *de Justitiâ*, diss. 1, cap. 1, *in fine*.)

placuerit ; si verò agatur de bonis ecclesiarum quæ collegium non habent, alienatio ab ecclesiæ rectore solius Episcopi inquisitione et Decreto celebrari potest : sed vide supra (2403), salvo tamen beneplacito Apostolico, quando est necessarium.

5319. Ex *Pontificali*, Episcopi in suâ consecratione juramentum præstant se non fore alienaturos bona ad mensam pertinentia, *inconsulto Romano Pontifice* : diximus supra (2909-2924) quandonam illud beneplacitum requiratur.

5320. In Galliâ autem generatim non habetur ut necessarium hoc beneplacitum pro alienatione bonorum ecclesiarum inferiorum, atque solummodò petitur approbatio Episcopi diœcesani, etiam pro bonis ad Titulum Episcop. non pertinentibus. An autem talis consuetudo possit esse legitima? Affirmat Reiffenst. (lib. 3, tit. 13, n° 32,) et dicit quòd «consuetudine....in Germaniâ et locis ab Urbe remotis, » ubi difficilis est ad Papam aditus, Extravagans *Ambitiosa* recepta non est, saltem quoad hoc ut etiam inferiores Prælati Episcopis subjecti teneantur in ejusmodi » alienationibus consensum Papæ requirere, adeò ut ibi » sufficiat consensus Episcopi . » Posse talem consuetudinem esse legitimam concedit D. Bouix, ut vidimus supra (2923) ; citat tamen Card. De Luca secus sentientem ; et reverà in Decreto Urbani VIII, 7 sept. 1624, ubi prohibitio innovatur erga regulares, dicitur : « Non obstantibus con» suetudinibus, etiam immemorialibus, privilegiis et ordi» nationibus Apostolicis quibuslibet. » Sed dici posset quòd hoc Decretum regulares tantùm respiciat. Et reverà non videtur cur in hâc materiâ legitima non posset evadere consuetudo non expectandi beneplacitum Apostolicum, si adessent conditiones requisitæ. Vide in hoc sensu *Prælect. S. Sulpitii*, n° 588, ubi allegatur Const. Urbani VIII, anni 1641, in quâ excipitur à necessitate beneplacitum petendi, casus tantùm consuetudinis centenariæ.

Notandæ sunt tamen sequentes decisiones S. C. C. : Prima 1 julii 1647 in *Uladislaviensi*, ubi dicitur : « Non usum » dictæ Constitutionis (*Ambitiosæ*) allegabilem non esse ; et » *absque beneplacito* (Apostolico) *alienationes fieri non de-*

» *bere.* » Secunda 13 nov. 1655, in *unâ Mediolan.*, in quâ idem fuit decretum, non *obstante prætenso allegato non usu, seu consuetudine, et die* 20 *nov.* 1655 *factâ relatione Sanctissimo, approbavit.* Vide R. de M. (tom. 2, p. 427); et Ferraris (v° *Alienatio*, art. 4, n° 11).

5321. Expendens autem hoc dubium in suo opere *De Syn.* (lib. 12, cap. 8, n° 8) Bened. XIV concludit quòd si Episcopi deprehendant invaluisse in suâ diœcesi præfatam consuetudinem, aut similem aliam sacris canonibus contrariam, « caveant ne illam Synodali Constitutione fulciant; sed » priusquam aut eam divellere aut confirmare aggrediantur, Sedis Apostolicæ sensum exquirant, ejusque responsum expectent. » Et de hoc proponit exemplum S. Caroli.

5322. Juxta Card. Petra, apud Bouix, *De Capitulis*, p. 392 : « Beneplacitum Apostolicum... supplet omnes et » quascumque juris... solemnitates (proinde consensum » Capituli, nisi sit pars cujus interest in contractu)... tamen nequit supplere causam..: nam causa, et nihil aliud » movet Pontificem ad concedendum beneplacitum... nisi » tamen Papa ageret de plenitudine potestatis, cùm eo » casu esset validus actus alienationis factus sinè causâ: » nam Papa non est simplex administrator rerum Ecclesiæ, » sed habet in illis administrationem dominicalem profluentem ex jure monarchico. » Hoc tamen non admittit S. Liguor., ut vidimus supra (5273, 5276); sed habet ut probabiliorem sententiam quæ non attribuit S. Pontifici dominium rerum ecclesiasticarum; et insuper (lib. 4, n° 187, *not.* 4°) expressè dicit quòd alienatio facta sinè justâ causâ à S. Pontifice, *si fiat in aliam ecclesiam, erit quidem valida*, licet illicita. *Si verò fiat in usus profanos, erit illicita et invalida.* Cf. App. XXII.

5323. A necessitate expectandi beneplacitum Apostolicum excipiendi sunt, juxta S. Liguor. (lib. 4, n° 187, *not.* 6), casus sequentes : 1° si oportet vendere ad solvendum debitum pro quo creditor urget apud judicem ; 2° in casu magnæ necessitatis quæ non permittat expectare hoc beneplacitum; 3° in casu notoriæ utilitatis Ecclesiæ, si expectato consensu Pontificio transiret occasio. In his ta-

men duobus casibus posterioribus requiritur saltem consensus Episcopi nisi fortè ageretur de regularibus exemptis. « Nullâ consuetudine, inquit Reiffenst. (lib. 3, tit. » 24, n° 37), introduci potest quòd Episcopi vel alii » prælati bona Ecclesiæ immobilia vel mobilia pretiosa, » aut alia in magnâ quantitate, seu magni momenti, suis » consanguineis, vel ad aliam causam profanam donare » valeant. » Ratio est quòd illorum bonorum non est dominus sed administrator duntaxat; porrò administrator nec licitè nec validè potest disponere de re quæ non est sua : unde in cap. *Fraternitatem* 2, *de donationibus*, sic Episcopo Parisiensi aiebat Alexander III : « Fraternitatem tuam credimus non latere quòd cùm Episcopus et quilibet Prælatus ecclesiasticarum rerum sit procurator et non dominus, conditionem Ecclesiæ meliorare potest, deteriorem non facere debet. Accepimus quòd prædecessor tuus » graves donationes fecit in detrimentum Ecclesiæ, suis canonicis inconsultis, undè *quoniam donationes hujusmodi* » *de jure non tenent*, indulgemus tibi ut liceat donationes » hujusmodi revocare. »

5324. Possunt tamen Episcopi et alii ecclesiarum Prælati donationes remuneratorias, etiam magnas, modò sint proportionatæ meritis et obsequiis præstitis, facere in gratiam eorum qui in ecclesiam vel in ipsum Prælatum benefici fuêre. Id eruitur ex ipsomet cap. 5, *de donationibus*, ubi remunerationis causâ, tanquam licita et valida probatur infeudatio, licet aliàs infeudatio, sicut donatio, sit prohibita ab Extravagante *Ambitiosæ* : ratio est quia donatio remuneratoria non est mera liberalitas, sed est solutio debiti gratitudinis; hujusmodi tamen donatio si de bonis immobilibus aut mobilibus pretiosis fiat, vestiri debet solemnitatibus requisitis pro talium alienatione. (V. Reiffenst., lib. 3, tit. 24, n[is] 40-43.)

5325. Item ex causâ pietatis Prælati possunt, etiam sinè consensu Capituli, impendere in opera pia, aut ad sublevamen pauperum certam partem bonorum Ecclesiæ quæ determinari debet ex facultatibus Ecclesiæ et aliis circumstantiis, præsertim ex necessitate indigentium : ratio est quia

misericordia et pietas expetunt ut tales elargitiones fiant, adeòque bona ecclesiastica hoc onere gravata sunt (Can. *Aurum*, causa 12, q. 2) : et eas facere pertinet præsertim ad eos quibus competit *plena administratio* in temporalibus et spiritualibus, quales sunt inprimis Episcopi; talem autem non habent potestatem administratores inferiores, *v. g.* fabricarum ; rectores tamen beneficiorum videntur posse eleemosynas vel donationes quasdam remuneratorias facere juxta usum et exigentias. *Prælect. S. Sulpit.*, n° 586. Imò si instet necessitas : v. g., si fames regionem premat, possunt Prælati, ut supra diximus (2911), etiam immobilia aut mobilia pretiosa alienare, etiam absque beneplacito Apostolico si de facili Papa adiri non posset nec aliter posset pauperibus provideri.

5326. Præfata intelligi debent de bonis et redditibus ad Ecclesiam pertinentibus, nam extra controversiam est beneficiarios posse indistinctè disponere de fructibus beneficii quos suos fecerunt, modò in pia opera superfluum impendant, ut infra sumus dicturi (5433). Vide Reiffenst. (lib. 3, tit. 24, n° 46).

5327. Quærit. 1° An absque solemnitatibus pro alienatione bonorum Ecclesiæ requisitis, Prælatus possit repudiare hæreditatem aut donationem Ecclesiæ factam, *quando* agitur de re immobili, aut de re mobili pretiosâ ?

Resp. 1° Certum esse repudiationem illam illicitam esse Ecclesiæque injuriosam, si fiat absque causâ justâ : sic enim Ecclesia privatur bono ad quod jus certè habet : unde Prælatus tenetur ad reparandum damnum Ecclesiæ illatum. (Reiffenst., lib. 3, tit. 10, n° 53.)

5328. — 2° An autem illa repudiatio sit saltem valida? — Plures affirmant, quia in hoc non intervenit vera alienatio, cùm res nondum acceptatæ, non sint sub dominio Ecclesiæ. Vide eumdem Reiffenst. qui in probationem affert L. *Alienationis* 28, ff., *de verb. signific.*, ubi : « Qui occa-
» sione acquirendi non utitur, non intelligitur alienare :
» veluti qui hæreditatem omittit, aut optionem intra cer-
» tum tempus datam non amplectitur. »

Alii negant : 1° Quia Ecclesia, etiam sinè speciali accep-

tationedominium acquirit rerum sibi legatarum vel donatarum, unde repudiatio earum est vera alienatio : sed illa ratio, si agatur de donatione, parum probat, cùm probabilius videatur Ecclesiam non acquirere dominium ante acceptationem rei donatæ (S. Liguor., lib. 3, nº 726); si verò ageretur de re legatâ, statim Ecclesia acquirit dominium, juxta eumdem S. Liguor. (lib. 4, nº 187, *not.* 2º); 2º quia ex L. *Magis* 5, ff., *de Reb. eorum qui sub tut.*, repudiatio legati pupillo relicti, absque Prætoris Decreto non valet, *cùm res sit pupilli;* porrò Ecclesia jure minorum et pupillorum gaudet. Vide Card. Soglia (*Inst. jur. priv.*, § 114, *versùs finem*) : hæc secunda ratio majorem vim probandi habere videtur præsertim apud nos ubi ecclesiæ et communitates (*communes*) habentur ut minores, et ubi validi non habentur actus administrationis bonorum ad minores pertinentium nisi observentur solemnitates à jure præscriptæ (Cod. civ., art. 457, 460, 461, 1314). Non tamen inde concludendum esset requiri beneplacitum Apostolicum pro dictis repudiationibus, cùm probabiliùs non videntur alienationes propriè dictæ : sed requiritur consensus saltem ecclesiarum vel Institutorum quibus fiunt legata aut donationes.

5329. Quærit. 2º An, quando alienationes bonorum ecclesiasticorum sunt invalidæ defectu solemnitatum à jure præscriptarum, hujusmodi invaliditas possit objici ab acquisitoribus qui contractum adimplere nolunt?

Resp. Negativè. « Si Superior, inquit Card. Soglia (*ib.*, » *in fine*), talem contractum ratum habere velit, à tali con» tractu resilire non posse (emptorem)... ex utroque jure » colligitur... » Et reverà sic etiam disponitur in nostro Codice civili art. 1125; et juxta cap. *Auditis, de in integrum restit.*, ecclesiæ habendæ sunt ut minores. Ergo, etc.

5330. Quærit. 3º Quomodo recuperari valeant res non ritè alienatæ?

Ante responsionem notandum est tres esse sententias circa modum quo alienatio bonorum Ecclesiæ non ritè peracta sit nulla : alii dicunt eam esse nullam in solo foro externo; alii dicunt esse nullam in utroque foro interno et

externo; alii tandem dicunt esse nullam quidem etiam in foro externo, sed duntaxat post sententiam Judicis. Secunda sententia probabilior videtur et magis conformior textibus juris : vide cap. *Sinè exceptione* 52, causa 12, q. 2, ubi dicitur : « Irrita enim Episcoporum venditio et » commutatio rei ecclesiasticæ erit absque conniventiâ et » subscriptione clericorum. » R. de M., lib. 4, cap. 5 art. 3, p. 429.—Vide etiam S. Liguor., lib. 4, n° 187, *not.* 5°. His præmissis :

5331. Resp. cum Card. Soglia (*Inst. jur. priv.*, § 105) : « Alienatio non ritè facta duplici modo reparatur. Namque » Ecclesia duplicem habet actionem, alteram personalem » adversùs Prælatum alienantem, ejusve hæredes, ut ex » bonis propriis, si qua suppetant, damnum ecclesiæ illatum præstent : alteram adversùs possessorem rei malè » alienatæ... Utramlibet eam actionem intentare valet ipsemet malè alienans Prælatus, quia dum agitur de publicâ utilitate et præsertim ecclesiæ, allegans propriam » turpitudinem audiendus est : item ejus successor, Capitulum, imò persona quælibet ecclesiastica, aut etiam » patronus ecclesiæ, aut Princeps territorialis : cap. 4 et 6 » *de rebus eccles. non alienandis.* » Vide etiam Reiffenst. (lib. 3, tit. 13, n^is 58, 59, 62, 63), qui insuper (tit. 21, n° 33), loquendo de revocatione donationum, addit quòd defectu præfatorum : « Quivis alius clericus agere posset ad » restitutionem bonorum ecclesiaticorum, præfato modo » donatorum. » Et reverà in cap. *Si quis* 6, *de reb. eccles. non alien.*, dicitur : « Licet quibuscumque ecclesiasticis vocem contradictionis afferre et ut cum fructibus possint » alienata reposcere et ecclesiasticâ auctoritate fulciri. » Imò Glossa hoc jus extendit ad omnem fidelem. (R. de M., lib. 4, c. 5, art. 3, p. 430.)

5332. Quærit. 4° An ad validitatem alienationis bonorum Ecclesiæ, requiratur consensus Principis sæcularis?

Resp. *Regulariter* hunc consensum non requiri, cùm de necessitate hujusmodi consensûs jus canonicum prorsus sileat, et Princeps nullam de se habeat in bona ecclesiastica auctoritatem. Proinde nullæ sunt in foro conscientiæ

leges, quæ sive directè sive indirectè prohibent alienationes hujusmodi bonorum facere absque consensu dicti Principis : solummodo condi possunt leges civiles quibus observatio canonum promoveretur.

5333. Dictum fuit *regulariter* , quia per accidens fieri potest ut necessarius sit consensus patroni aut Principis, v. g. : 1° si in fundatione, constructione, dotatione ecclesiæ hoc jus fuisset reservatum (arg., c. 23, *de Jurepatr.*); 2° si bona alienanda non sint absolutè in dominio ecclesiæ, v. g., si essent donata in feudum, quia tunc dominium directum remanet penès donatorem; 3° si Princeps per Indultum aut Concordatum hoc jus obtinuerit. (R. de M., lib. 4, cap. 5, art. 2, p. 428.)

5334. Quærit. 5° Quænam sint pœnæ in malè alienantes bona Ecclesiæ statutæ?

Resp. Primam pœnam esse excommunicationem majorem quam incurrunt ipso facto, tàm alienantes quàm alienata recipientes aut ipsi subscribentes, ex cap. *Apostolicos*, cap. *Non liceat*, causa 12, q. 2; cap. *Si quis presbyterorum* 6, *de rebus eccles. non alien.*; et Extrav. *Ambitiosæ*. Vide supra (2909). Non est reservata juxta Ferraris (v° *Alienatio*, art. 6, n° 4) et ab eâ excusantur alienantes et cooperantes ex ignorantiâ juris vel facti, dummodo ignorantia non sit crassa et supina, ut expressè habetur cap. *Ut animarum de Constit.*, in 6°; item alienantes absque debitis solemnitatibus qui alienationem revocaverunt ante realem et pacificam traditionem (cap. *Si quis presbyt.* modò citato). Hæc pœna fuit innovata ab Urbano VIII, et extensa fuit ad regulares qui ab eâ ex privilegio immunes antea erant.—Servata est hæc excomm. non reserv. (C. *Ap. Sed.*)

Secunda pœna est quòd Episcopi vel Abbates malè alienantes subjaceant interdicto ab ingressu ecclesiæ, et si per sex menses talem pœnam contumaciter sustinuerint, ab administratione beneficii vel Dignitate sint suspensi; inferiores autem Prælati commendatarii aut alii ecclesiarum rectores, beneficiis quorum bona malè alienaverint sint ipso facto privati. Vide Extrav. *Ambitiosæ*. — Quænam autem pœnæ incurrant regulares diximus supra (2909).

5335. « Advertit Delbene cum communi DD. quòd præ-
» fata Bulla Pii II..., quoad has pœnas, paucis in locis est
» recepta; et quoad obligationem, attendenda est consue-
» tudo locorum...; in citatâ *Extrav*... dicitur *præsumpserit*
» unde excusantur ab his pœnis eas invincibiliter igno-
» rantes. » (S. Liguor., lib. 4, 187.) De his silet C. *Ap. Sed.*

5336. Antequam huic quæstioni alienationis finem imponamus:

Notandum est 1° quòd solemnitates requisitæ pro dictis alienationibus, observandæ sint etiam quando res unius ecclesiæ in gratiam alterius alienatur : olim quidem hoc erat controversum, ut videre est apud Ferraris (v° *Alienatio*, art. 4, n° 48), sed ita pluries judicavit Rota, ut *ib.* videtur: et id etiam patet ex cap. *Dudum*, *de reb. eccles. non alienandis*, in 6°.

5337. Notandum 2° pro casu rei immobilis ab antiquo in feudum vel emphyteusim dari solitæ, quòd, feudo vel emphyteusi cessante, iterum in feudum vel emphyteusim dari potest, absque novis solemnitatibus, dummodo id fiat in evidentem Ecclesiæ utilitatem : vide Reiffenst. (lib. 3, tit. 13, n° 49); Card. Soglia (*Inst. jur. priv.*, § 114) exigit ut consuetudo locandi seu in emphyteusim tradendi comprobetur vel per duas alienationes emphyteuticas non solemnes intra spatium 40 annorum, vel per unam solemniter factam; requiritur etiam ut bona nondum fuerint Ecclesiæ reintegrata priusquam contractus renovetur. Ita S. Congr. Conc. in *unâ Salutiarum*, 20 sep. 1624; item requiritur ut novus contractus non mutet vel saltem non augeat conditiones prioris alienationis.

5338. Solemnitates autem non requiruntur pro locandis rebus ecclesiasticis infra triennium (Extrav. *Ambitiosæ*). Si res fructificet annuatim non potest locari ultra triennium: si verò fructificet alternis annis, ultra sexennium, si ternis ultra novennium. Non prohibetur tamen fieri locatio fructuum ad vitam beneficiarii, cùm successor non teneatur stare tali locationi. (S. Liguor., lib. 4, n° 187, *not.* 6°.)

5339. Potestne adjici contractui quòd, expirato triennio, si antea contrahentes non manifestârint intentionem ab eo

recedendi, locatio eadem ad aliud triennium prorogetur, et ita de triennio in triennium prorogata censeatur? — Circa hanc quæstionem non unanimes sunt DD.: aliqui enim negant, eò quòd locationes hujusmodi non sint inter se distinctæ, sed unam efficiant locationem prohibitam quatenus est duratura ultra triennium. Alii tamen affirmant eò quòd sint diversæ locationes, cùm ante unumquodque triennium contrahentes habent libertatem à contractu recedendi; hæc secunda sententia probabilior videtur. Vide Card. Soglia (*Inst. jur. priv.*, § 117). Apud nos locationes fiunt ultra triennium, permittentibus Episcopis.

3340. Quæri etiam potest an solvantur locationes bonorum ecclesiasticorum morte illius qui ea locavit? — Quâ in re, inquit Card. Soglia (*ibid.*), videndum est num bona locata ad ecclesias, pia loca, an verò ad mensam beneficiati vel Prælati pertineant: in priori casu, non necessariò solvitur contractus morte locatoris, quia tunc contractus non personam locatoris, sed Ecclesiam ligat: ideoque firmatus remanet, licet administrator muneri cesserit, vel obierit; in posteriori casu, contractus corruit morte beneficiati, quia, inquit Card. De Luca, contractus initur tunc ab eo qui in bonis ecclesiasticis et fructibus eorum, jus temporale habet, quamdiu nempè est beneficii possessor; porrò tale jus necessariò resolvitur per mortem aut demissionem beneficiarii possidentis, et proinde cessat tam respectu ipsius quàm habentium causam ab eo: si tamen agri sint consiti, æquitas postulat, pendentibus adhuc fructibus, ut annus inceptus à conductore impleatur.

3341. Observa hic quòd rectores beneficiorum vetentur percipere redditus antequam tempus solutionis veniat: sic enim habet Concil. Trident. (sess. 25, c. 11, *de ref.*): «Magnam ecclesiis perniciem afferre solet cùm earum bona, » *repræsentatâ pecuniâ*, in successorum præjudicium aliis » locantur; omnes igitur hæ locationes, *si anticipatis solutionibus fient*, nullatenus in præjudicium successorum » validæ intelligantur[1], quocumque Indulto, aut privilegio

[1] Juxta jus civile in Galliâ elocari possunt sedilia in ecclesiis pro

» non obstante. Nec hujusmodi locationes in Curiâ Ro» manâ vel extra eam confirmentur. » Imò ex Bened. XIV Const. *Universalis Ecclesiæ*, beneficiati nequeunt bona ecclesiastica locare ad vitam pro pretio semel soluto, ne dignitas clericalis in discrimen adducatur, et in egestatem Jejiciatur beneficiarius.

De solemnitatibus autem observandis ut validæ civiliter habeantur apud nos tam locationes quàm cæteræ alienationes, aut acquisitiones, vide auctores qui de his tractant: DD. Affre; Dieulin; *Journal des fabriques*, etc.

5342. *Nota* quòd sicut res privatorum alienari possunt præscriptione, ita pariter et bona ecclesiastica, quibusdam tamen exceptis, nempe immobilibus quæ ad cultum Dei immediatum consecrantur vel benedicuntur, ut templa, cœmeteria, etc. Hoc nihilominus est discrimen inter ecclesiam et privatos, quòd ad immobilia vel jura privatorum præscribenda sufficiunt in omni casu triginta anni, imò si adsit titulus coloratus, decem tantùm anni requiruntur inter præsentes, et viginti inter absentes, etiam quando ab Ecclesiâ præscribuntur, ut constat ex cap. *Sanctorum* 3, *de Præscript.*, dùm ad præscribenda immobilia Ecclesiæ necessarii sunt quadraginta anni. Ita plura juris canonici capitula et expressè cap. *Illud* 8, *de Præscript.*, ubi dicitur : « Illud autem te scire volumus et tenere » quòd adversus Ecclesias minorem præscriptionem quàm » 40 annorum Romana Ecclesia non admittit, licet qui» dam canones (ut c. 1 et 2, causa 16, q. 3, cap. *Quicumque* » et c. *Placuit*) comprobent tricennalem (30 annorum). » Imò si agatur de bonis ad Romanam Ecclesiam pertinentibus sola centenaria præscriptio patrocinari potest, ex cap. *Ad audientiam, de Præscript.*

5343. In lege autem civili romanâ (*Inst. de usuc.*) dicitur: « Cautum est ut res quidem mobiles per triennium usuca» piantur »; controvertitur inter DD. an hoc tempus triennii sufficere valeat ad res mobiles Ecclesiæ præscribendas :

pretio semel soluto. Vide Decret. 30 decemb. 1809, art. 68. Cùm id non fiat, aut non soleat fieri in præjudicium successorum, non videtur esse contra dispositionem Concilii Tridentini.

alii affirmant et alii negant. Negantes nituntur canonibus qui 40 annos requirunt ad præscriptionem bonorum ecclesiasticorum sinè distinctione inter mobilia et immobilia. Utraque sententia est satis probabilis juxta S. Liguor. Apud nos in Galliâ mobilia solâ possessione præscribuntur (Cod. civ., art. 2279), modò tamen non possideantur titulo precario aut non agatur de rebus amissis aut furto sublatis, pro conscientiâ tamen semper necessaria supponitur bona fides.

De præscriptione limitum diximus supra (358); de præscriptione quoad onera missarum et conditionum fundationum, supra (3520). Circa conditiones ad legitimam præscriptionem requisitas, vide dicenda infra (6047).

ART. III.

DE QUIBUSDAM ALIIS ACTIBUS ADMINISTRATIONIS BONORUM ECCLESIÆ.

5344. Pauca dicturi sumus in præsenti articulo: diximus enim supra:

I. Quòd ad Episcopum pertineat procurare executionem legatorum piorum: vide dicta (1049).

II. Item diximus supra (4765, etc.) quibusnam incumbant reparationes aut restaurationes in ecclesiis faciendæ: quædam tantùm sunt hìc addenda pro Galliâ: ex art. 92, Decreti 30 dec. 1809, quando fabricæ non sibi sufficiunt ad varias expensas necessarias, subvenire ipsis debent, in quantum est necesse, communitates (*les communes*).

5345. Sic autem est procedendum pro obtinendis hujusmodi subsidiis: 1° Actus æstimatorius expensarum (*devis*) conficitur vel à Majore communitatis (*le maire*) vel à Præsidente fabricæ. 2° Fabrica deliberat circa utilitatem aut necessitatem reparationum vel constructionum; item an habeat pecunias sufficientes; si verò non habeat, velitque tamen ut fiant reparationes aut constructiones propositæ, statuit recursum esse habendum ad communitatem, ad quam petitionem dirigit, rogans ut quàm citissimè opera

conficiantur : promittens se associaturam communitati ad postulandum, si opus sit, subsidium à gubernio. 3° Non solùm petitio fabricæ, sed actus æstimatorius, et deliberationis exaratio simul cum budgeto fabricæ ab Episcopo approbata remitti debent Majori communitatis. 4° Casu quo Consilium Municipale petitionem fabricæ benignè accipit, negotium ad Præfectum transmittitur ut executioni mandari valeat : si verò hanc petitionem repellat Municipale Consilium, præses fabricæ requirit varia documenta Majori remissa, videlicet actum æstimatorium, budgetum, eaque mittit ad Sub-Præfectum ut ipso mediante ad Præfectum perveniant, qui, consulto Episcopo, statuit quid sit agendum : si petitio fabricæ non admittatur à Præfecto, superest fabricæ ut viâ petitionis recurrat ad Ministrum cultuum. Admissâ tandem à Præfecto et à Gubernio fabricæ petitione, communitas impensas necessarias suppeditare debet, et si renuat imponuntur à Præfecto. Vide *Journ. des fabr.*, tom. 4, p. 345, et tom. 5, p. 55; *Ord. Valent. pro anno* 1842; *Ordonn. de Mgr Chatrousse*, n° 10, p. 7.

5346. — III. Bonorum ecclesiasticorum administratores debent illa administrare ut boni patresfamiliâs, et providere ut nullum patiantur detrimentum, imò ut meliorentur quantùm moraliter fieri potest ; ipsorum proinde est, ut si ædes reparatione indigeant, opportunè reparentur, prædia excolantur, alienata vindicentur, deperdita recuperentur, debitores ad solutionem compellantur. Si autem ipsorum culpâ aliquid depereat, aut deterius fiat, si v. g., vites in fundis, aut quid aliud fructiferum succidatur, damnum proprio beneficiati vel administratoris ære est resarciendum, quemadmodum disponitur à legibus quoad tutores aut publicos administratores.

Quod statutum fuit à Clement. *Quia contingit*, supra relatâ (5309), de xenodochiis, quòd nempe ipsorum administratores, *instar tutorum teneantur juramentum præstare de bonis inventarium conficere, et Ordinariis seu aliis quibus loca subsunt, annis singulis, de administratione suâ rationem reddere* ; hoc extendi etiam debet ad administratores

cæterorum institutorum ecclesiasticorum, nempe Capitulorum, Collegiatarum, parochiarum, omniumque aliorum beneficiorum : quâ de re consulenda est Constit. Sixti V *Provida* anni 1586. Vide Card. Soglia (*Inst. juris privati*, § III) et prædicta de administratione temporali parochiarum (1505).

5347. — IV. De administratione emolumentorum episcopalium, Sede vacante, vide supra (1285, 1286); de partitione verò fructuum beneficiorum occasione mortis vel mutationis titularis vide supra (535, 536); pro autem episcopatibus, vide (1073).

CAPUT III.

DE PRÆCIPUIS SPECIEBUS BONORUM ECCLESIASTICORUM.

ART. I.

DE PRIMITIIS, DECIMIS ET OBLATIONIBUS.

5348. — I. *Primitiæ* sunt primi fructus agrorum et pecudum qui in veteri lege ex præcepto divino solvendi erant (Exod. 23, 19). Primitiæ præstitæ fuêre à christianis ante ipsas decimas : de illis mentio fit lib. 8, cap. 40 Constitut. Apostolic. et in canone 4 Apostolorum et vix ampliùs de iis agitur post sæculum V (Vide Devoti lib. 2, tit. 17, § 1 et 2). Causa primitiarum fuit tum ut recognosceretur divina liberalitas ob fructus concessos, tum ad subveniendum variis ministrorum Dei indigentiis.

5349. — II. Nomine autem *decimarum*, de quibus prioribus Ecclesiæ sæculis omninò siletur, intelligitur determinata *pars fructuum vel lucri*.

Dicitur *determinata pars fructuum*, quia non est necessariò *decima*, sed interdum est major vel minor, juxta variam locorum consuetudinem : si hæc pars sit fructuum, decimæ vocantur *prædiales*, etiam casu quo fructus sunt prædiorum urbanorum, nempe ædificiorum; vocantur verò *personales* si illa pars sit lucri.

Ratione prædiorum decimæ erant, vel veteres vel novæ seu *novales*, prout prædium jamdiu coli consueverat, aut de novo fuerat excultum.

Personales debitæ erant ex rebus industriâ et arte comparatis : veluti ex lucro negotiationis, militiæ, venationis; non autem ex rebus donatione, successione, legato, etc., acquisitis. Vide titulum *de decimis*, *primitiis*, etc. Doctores adhuc distinguebant tertiam decimarum speciem, quas mixtas vocabant, nempe decimas fructuum qui partim industriâ partim naturâ comparabantur, videlicet ex pecorum fœtu, lacte, et similibus. Vide Card. Soglia, *Institutiones juris privati*, § 4.

5350. Nec primitiæ nec decimæ debentur ex jure divino in novâ lege obligante, sed ex jure divino tenentur fideles subvenire necessitatibus Dei ministrorum. (Vide Devoti, lib. 2, tit. 16, § 2.)

5351. Post partitionem bonorum ecclesiasticorum, regulariter decimæ erant parochis impendendæ propter curam animarum. Vide cap. *Apostolicæ Sedis;* cap. *Cùm contingat*, et cap. *Cùm tua*, *de decimis*. Sed ex variis titulis, fundatione, privilegio, etc., aliquando etiam aliis ecclesiis et locis solvebantur [1], imò quandoque etiam laicis (Devoti, *ib.*, tit. 16, § 6, 7 et 8). Hodie in multis regionibus et præsertim apud nos per Concordatum 1801 omninò suppressæ sunt; hæcque suppressio videtur implicitè contineri in art. 14 Concordati, ubi dicitur : « Gubernium Gallicanæ » Reipublicæ *in se suscipit*, tum Episcoporum tum paro» chorum... sustentationem quæ cujusque statum deceat. » Propterea multa ad hanc materiam spectantia consultò omittimus utpote non ampliùs hodie practica. Suppressæ fuerant decimæ à lege civili in famosâ nocte 4 august. 1789.

5352. Etsi decimarum suppressio legitimari potuerit per

[1] Nempe Capitulis et cœnobiis quæ censebantur curati primitivi, et curam animarum gerebant per *vicarium perpetuum* cui conferebatur *portio congrua* fructuum, quæ in Galliâ ex Edicto 1570 erat tantùm 120 librarum; sed ex Edicto 1629 ad 300 libras fuit evecta, et ex Edicto 1768 ad 500 libras, independenter ab oblationibus et decimis *novalibus* quæ *vicario perpetuo* solvebantur. Vide Lequeux (n° 1229, *in fine*).

præscriptionem, legitimam consuetudinem, aut alium justum titulum, lex tamen naturalis et divina quâ fideles tenentur subministrare necessaria suis pastoribus aboleri non potuit. (Vide Soglia, § 76.)

5353. — III. « *Oblationis* nomine intelligitur quidquid » offertur ecclesiæ quocumque modo in missâ, vel in ec- » clesiâ, vel extra. » Ita summarium capituli *Cùm inter* 23, *de verbor. significatione.*

« Antiquissimus earum usus est, inquit Devoti (lib. 2, » tit. 17, § 3), atque ab ipsâ Apostolorum ætate repeten- » dus. Nemo offerre cogebatur, sed turpe erat, eum non » offerre qui posset, et illorum quorum præclara erant mu- » nera in ecclesiâ, nomina publicè recitabantur... » : in quorum confirmationem Devoti refert multa loca S. Cypriani et aliorum SS. Patrum.

5354. Tria erant oblationum genera : *primum* earum rerum quæ ad altare tempore missæ ferebantur et quæ præsertim in pane et vino, ex quibus Eucharistia conficiebatur, consistebant, sed quibus etiam addebantur oleum, incensum, novæ spicæ, aliaque munera quæ altari aut clericis alendis inservirent : hujusmodi munera offerre ad altare prohibebantur publici pœnitentes ante suam reconciliationem, hæretici, excommunicati, pauperum oppressores, eò quòd communicare videbantur.

Secundum erat earum rerum quæ extra sacrificium ad domum Episcopalem, vel in gazophylacium inferebantur, ex quibus comparanda erant omnia ad cultum divinum spectantia aut necessaria ad alendos clericos et pauperes sublevandos.

Tertium denique erat earum rerum quas fideles sacerdotibus largiebantur, occasione exequiarum, vel in receptione sacramentorum, aliisque cæremoniis sacris, unde nata sunt jura stolæ quæ præcipuè parochis post administrationem sacrorum tribuuntur. Vide Card. Soglia (*Inst. jur. priv.*, § 73). Hæ oblationes initio erant voluntariæ, sed temporis lapsu in laudabiles consuetudines abierunt, ita ut à Concilio Lateranensi IV sancitum fuerit ut liberaliter quidem sacramenta cæteraque sacra officia administra-

rentur, sed fideles tamen oblationes consuetas præstarent, recusantesque ab Episcopis cogi possent : non verò dantur ut pretium rerum sacrarum, in quo esset simonia, sed tanquam præmium laboris, et tanquam alimenta ministris debita. Vide Devoti (lib. 2, tit. 17, § 6).

De iis ad quos oblationes pertinent sufficienter diximus supra (1381, 1389, 1390). — Quoad stipendia missarum, vide supra (3493, etc.).

5355. *Nota* 1° circa præstanda ob assistentiam exequiis et missis pro defunctis, quòd nihil debeat percipi pro personis qui non intersunt per se aut per alium, nisi fortè absentes essent ob gravem necessitatem ministerii : in eo enim casu meritò fideles præsumuntur consentire hujusmodi absentiæ, si talis vigeat alicubi consuetudo. Vide *Administ. tempor. des paroisses*, DD. Affre (p. 203, 4ª edit.); et Lequeux, n° 1223, *in fine*.

5356. *Nota* 2° quòd ad lucrandas oblationes pro funeribus non sufficiat interesse, aut privatim orare pro libitu, sed est cantandum, psallendum aut alio modo funeribus inserviendum. Sacra enim Congr. Rituum consulta : « Utrum » parochus aliique sacerdotes, exequiis mortuorum, officiisque quotidianis pro iisdem assistentes, *teneantur* » per se officium defunctorum persolvere, ita ut *solummodò* assistentes, et non cantantes, vel *psallentes*, » fructus non faciant suos : an verò sufficiat ut assistant, » et schola officium persolvat, ipsis interea pro suo libitu » alias preces fundentibus, v. g. breviarium recitantibus » pro suâ quotidianâ obligatione? — Respondendum censuit : ***Affirmativè quoad primam partem***, — ***Negativè*** » ***quoad secundam*** » : 9 maii 1837. **Sed** vide infra — App. XXIII.

In confirmationem præfatorum allegari potest cap. *Clerici* 10, causa 1, q. 1, in quo dicitur : « Clerici omnes « qui ecclesiæ ***vigilanter*** deserviunt, ***stipendia sanctis*** » ***laboribus debita***, ***secundùm servitii sui meritum*** per ordinationem canonum à sacerdotibus consequantur. »

5357. Quærit. 1° An Episcopus habeat jus oblationes

inter sacerdotes dividendi prout magis expedire judicaverit?

Resp. 1° Regulariter oblationes ad parochum pertinent, vel ad loca quibus destinantur ab offerentibus, ut supra diximus (1389); proinde Episcopus non habet jus absolutum illas dividendi prout magis expedire judicaverit, cùm præsertim ex titul. 12, libr. 3 Decretalium, *Ecclesiastica beneficia sinè diminutione conferri debent* : unde Innocent. III, cap. *Pastoralis* 9, *de his quæ fiunt à Prælatis sinè*, etc., exigit licentiam S. Pontificis ut Episcopus valeat *sinè voluntate sui Capituli obventiones parochialis ecclesiæ viris religiosis conferre, etiam sustentatione vicarii reservatâ.*

5358. — 2° His tamen non obstantibus, potest Episcopus dividere oblationes ad procurandam sustentationem vicariis aliisque sacerdotibus quorum ministerio parochiæ indigent: hoc manifestè eruitur ex verbis Concilii Trident. (sess. 21, cap. 4, *de ref.*), quibus tribuitur Episcopo potestas cogendi parochos qui nequeunt soli regere suas parœcias ad sibi adjungendum tot sacerdotes quot sufficiunt ad sacramenta ministranda cultumque divinum celebrandum.

5359. Item ex redditibus parochiarum Episcopi possunt aliquid exigere pro variis necessitatibus, v. g. sextam partem redditûs sedilium (6° *des bancs et chaises*) ad subveniendum presbyteris infirmis vel senio confectis : habent enim Episcopi ex Concil. Lateran., facultatem postulandi *subsidium charitativum* : vide supra (1072). « Sustinemus, » inquit Concil. sub Alexandro III, pro multis necessita» tibus quæ aliquoties superveniunt, ut si manifesta ac ra» tionabilis causa exstiterit, *cum charitate moderatum* ab eis » (rectoribus parochiarum) valeant auxilium postulare » (Cap. *Apostolus* 6, *de censibus*).—Vide etiam cap. *Conquerente*, *de Officio judicis.*

5360. Item possunt in auxilium venire parochiis indigentibus, ut constat ex Concil. Trid. (sess. 24, c. 13, *de reform.*) : « In parochialibus ecclesiis quorum fructus adeò » exigui sunt ut debitis nequeant oneribus satisfacere,

» curabit Episcopus, si per unionem beneficiorum id fieri » non possit, ut *primitiarum* vel *decimarum* aut per paro- » chiarum *symbola ac collectas* aut quâ commodiori ratione » ei videbitur, tantùm redigatur quod pro rectoris aut pa- » rochiæ necessitate decenter sufficiat. » Vide infra (5395). Quibus verbis sat evidenter legitimatur praxis nonnullorum locorum, v. g. Parisiorum, certam partem oblationum ex funeralibus provenientium detrahendi, ut inde efformetur communis pecuniæ acervus quo subveniri possit singularum parochiarum necessitatibus. V. *Prælect. S. Sulpitii*, n° 554.

ART. II.

DE FUNDATIONIBUS.

5361. Fundatio est affectatio boni alicujus Instituto ecclesiastico facta sub conditione certi operis præstandi, vel in perpetuum vel saltem in diuturnum tempus: unde ab oblationibus differunt quæ, vel sinè conditione fiunt, vel sub conditione operis mox peragendi, v. g. missas per hebdomadam aut per annum celebrandi. Vide *De Syn. Diœc.* (lib. 13, caput ultim., n° 4).

5362. Fundationes approbari debent à Prælatis ecclesiarum quibus sunt factæ, proinde ab Episcopis, si fiant ecclesiis parochialibus aut aliis locis sub jurisdictione Episcoporum constitutis : illud constat ex praxi, et deduci posse videtur ex variis canonibus quibus Prælati astringuntur ad invigilandum, majori quâ possunt curâ ut suis in diœcesibus pia legata executioni mandentur. Vide cap. *Nos quidem*, cap. *Si hæredes* et cap. *Tua nobis*, *de Testamentis;* et Concil. Trid. (sess. 22, c. 8; sess. 25, c. 5 *de ref.*); supra (1048) et infra (5368). Non enim verisimile est quòd Episcopi tam strictè alligarentur solâ voluntate subditorum à seipsis non approbatâ. Ex Decreto Urbani VIII supra relato (1041) certum est consensum Episcopi esse necessarium pro perpetuis missarum fundationibus; patet aliundè non esse bonæ et prudentis administrationis quòd

Instituta ecclesiastica possint in perpetuum, vel ad diuturnum tempus gravari absque consensu eorum quorum regimini subsunt.

5363. Debet autem Prælatus antequam suum præbeat consensum fundationi diligenter expendere an dos constituatur sufficiens ad sustinenda onera per ipsam imposita. Juxta Lequeux (n° 1138), generatim in Galliâ observatur regula quòd nulla fundatio sit acceptanda nisi tertia pars reddituum assignatorum liberè ad Institutum seu fabricam pertineat, cùm suppeditet locum, vestes sacras, panem, vinum, etc.

5364. Auctor autem fundationis adjicere potest in limine erectionis quascumque conditiones sibi benè visas, etiam juri communi contrarias, dummodò non sint turpes, impossibiles, aut alio modo vetitæ, et à Prælato sint admissæ : vide cap. *Significatum* 11, *de Præbendis;* cap. *Præterea* 23, *de Jurepatron.*, et cap. *Quantò*, *de censibus.* Unde decisum fuit à S. Congr. Conc. et admissum à Rotà 12 jan. 1606 quòd in beneficio simplici jurispatronatûs, locum non habet dispositio Concil. Trident. (sess. 23, c. 6, *de ref.*) : vi cujus tale beneficium obtinens debet esse 14 annis major, quando in fundatione dicti patronatûs dispositum fuit quòd etiam minores poterunt eligi; et juxta Fagnanum, S. Congr. respondit Episcopo Nepesino Canonicatum Cathedralis posse conferri ante ætatem à jure communi determinatam, si ita dispositum fuit à fundatore in fundationis limine, et talem conditionem in erectione appositam posse ab Episcopo admitti.

5365. Exhinc infertur quòd patronus hæres seu successor fundatoris, nequeat etiam cum consensu Episcopi mutare conditiones fundationis, quamvis juri communi contrarias. Ita censuit ipsamet Congr. Concil., ut videre est apud Ferraris (v° *Beneficium*, art. 2, n° 18), ex Decreto Trident., ubi sancitur quòd non ampliùs sit in potestate Ordinariorum derogare conditionibus in fundatione appositis etiam de consensu patronorum : sic habet Concilium (sess. 25, cap. 5, *de reform.*) : « Ratio postulat ut illis quæ » benè constituta sunt, contrariis ordinationibus non de-

» trahatur. Quando igitur ex beneficiorum quorumcum-
» que erectione seu fundatione, aut aliis constitutionibus,
» qualitates aliquæ requiruntur, seu *certa illis* onera sunt
» injuncta... iis non derogetur.... et aliter facta provisio
» subreptitia censeatur. »

5366. Imò neque fundator etiam de consensu Episcopi potest conditiones à se appositas in fundatione et ab Ordinario acceptatas, mutare, si talis mutatio esset in præjudicium Ecclesiæ vel tertii, quia Tridentinum et declarationes S. Congr. non distinguunt inter patronum viventem et mortuum. Vide Ferraris (v° *Beneficium*, art. 2), et Card. Soglia (*Inst. jur. priv.*, § 84, *in fine*).

5367. « Il peut arriver cependant, inquit DD. Affre » (*Adm. tempor.*, 4ª edit., p. 53), que telle cérémonie, » par exemple, autrefois sans inconvénient, paraisse au- » jourd'hui ridicule ou offre quelqu'autre inconvénient: » dans ce cas, nous croyons que l'Évêque aurait le droit » de la supprimer »; sed dici potest quòd talis cæremonia etsi in fundatione imposita, non obliget ob mutationem temporum, et quòd præsumi debeat talem fuisse intentionem ipsiusmet fundatoris. Idem est dicendum de casu quo locus ubi sacrum esset faciendum, foret interdictus, vel si interdicti essent saerdotes in fundatione designati.

5368. Episcopis maximè incumbit cura procurandi executionem piarum fundationum. Citavimus supra (5362) cap. *Nos quidem, de testamentis*, in quo Gregorius IX injungit Calaritano Episcopo ut det operam quominus religiosa cujusdam hominis voluntas monasterium ædificandi, quæ ab illius hærede nondum fuerat executioni demandata, impleatur. In capite autem *Tua nobis* ejusdem tituli, idem Pontifex declarat onus esse Episcopi ut legata pia curet impleri, etiamsi cavisset testator ne Episcopus se rei hujusmodi quandocumque immisceret, quia privata testatoris dispositio generalem legis nequit sanctionem immutare ejusque effectum impedire. Potest quidem fundator aliquem designare testamenti executorem, et tunc Episcopus non potest se interponere nisi talis executor negligens deprehendatur: sed in hoc casu ad Episcopum transit cura

exsequendi quod alii neglexerunt : ita etiam expressè Concilium Trident. (sess. 22, cap. 8, *de reform.*), ubi dicitur quòd « Episcopi, etiam tanquam Sedis Apostolicæ » delegati, in casibus à jure concessis, *omnium* piarum » dispositionum tam in ultimâ voluntate quàm inter vivos » sint executores. » Vide dicta supra (1048, etc.); idem sancitum est à jure civili in Galliâ : vide art. 29 Decreti 30 decembr. 1809.

5369. Quod dicitur de Episcopis extendi etiam debet ad Prælatos inferiores, habentes territorium separatum et jurisdictionem quasi-episcopalem. In probationem Benedict. XIV (*De Syn.*, lib. 13, cap. ult., nº 2) refert Decisionem S. Congr. Concilii in *causâ Milevitanâ*, 15 apr. 1684, in quâ dicitur Vicarium Capitularem dictæ Ecclesiæ non modò potuisse sed debuisse examen adimpletionis oneris missarum ex officio aggredi.

5370. Ut autem accuratiùs adimpleantur fundationes, Innocent. XII in Constit. suâ cui initium *Nuper à congregatione* (§ 26 et 27), sancivit ut in singulis ecclesiis conficeretur catalogus seu tabella onerum quæ in perpetuum vel ad certum tempus ipsis imposita fuerunt, ac respectivè acceptata ; utque itidem in sacrario duo asservarentur libri in quorum altero perpetua vel temporaria hujusmodi onera, in altero verò missæ manuales et adventitiæ inscriberentur unà cum fideli ac distinctâ adnotatione subsecutæ utrorumque impletionis[1]. Ut insuper faciliùs possit Episcopus executioni fundationum invigilare, tabella generalis earum, pro totâ diœcesi confici posset, annotata distinctim præ se ferens perpetua et temporaria earum onera, unà cum indicatione testamenti aut alterius legalis actus à pio fundatore exarati, et designatione loci in quo sacra aut alia

1. Sic fert Decret. 1809. « Art. 26. Un extrait du sommier des titres » contenant les fondations qui doivent être desservies pendant le cours » du trimestre, sera affiché dans la sacristie, au commencement de » chaque trimestre, avec les noms du fondateur et de l'ecclésiastique » qui acquittera chaque fondation.

» Il sera rendu compte à la fin de chaque trimestre, par le curé ou » desservant, au bureau des marguilliers, des fondations acquittées » pendant le cours du trimestre. »

onera sunt peragenda, sicut etiam numeri missarum ac temporis quo celebrandæ sunt. Ita sancitum fuerat à S. Carolo in Concil. Provinciali Mediolanensi IV; ita pariter Clemens XI pro urbe Româ : vide *De Syn. Diœces.* (*ib.*, n° 4), DD. Affre (*Administr. temp.*, p. 542, 4ª edit.).

5371. Ut verò fundationes institutis in quorum gratiam factæ fuerunt, onerosiores non evadant, confirmata fuit ab eodem Pontifice Innocent. XII (*ib.*) sanctio sequens Urbani VIII : « § 6. Præterea ne in ecclesiis in quibus onera » missarum in perpetuum imposita sunt, sacerdotes, in » eis, ut par est, adimplendis, eò tepidiores ac segniores » reddantur quòd onera hujusmodi cum nullâ aut parvâ » sint utilitate conjuncta, statuit atque decernit ut pecu- » niæ ac bona mobilia ecclesiis, Capitulis, collegiis, » hospitalibus, societatibus, congregationibus, mona- » teriis, conventibus, ac locis omnibus, tàm sæcularibus » quàm regularibus, atque illorum personis in futurum » simpliciter acquirenda cum onere perpetuo missarum » celebrandarum ab iis ad quos pertinet, sub pœnâ inter- » dicti ab ingressu ecclesiæ ipso facto incurrendâ à die » realis acquisitionis, statim deponi debeant penès ædem » sacram, vel personam fide et facultatibus idoneam, ad » effectum illa, seu illorum pretium, quàmprimùm in- » vestiendi in bonis immobilibus fructiferis, cum expressâ » et individuâ mentione oneris quod illis annexum repe- » ritur. » (De illo interdicto silet C. *Apost Sedis.*)

« § 7. Ac si eadem bona immobilia auctoritate Apostolicâ » deinceps alienari contigerit, eorumdem pretium sub » eâdem pœnâ, ut supra, deponi, atque in aliis bonis sta- » bilibus itidem fructiferis, cum ejusdem repetitione atque » annexione converti debeat. »

5372. Existimat autem *S. Sulpitii Prælectionum* auctor (n° 558) quòd census annui certi locum tenere valeant bonorum immobilium, præsertim in nostris regionibus : quod reverà videtur posse admitti, eà tamen conditione quòd si census redimatur, capitale, vel in rebus immobilibus fructiferis erit hypothecandum, vel ex eo alius census annuus certus erit acquirendus.

5373. Quando perit fundus qui fuerat datus in assecurationem fundationis aut iste in perpetuum desinit esse fructifer, tunc onera fundationis, nisi ex culpâ rectorum id contingat, penitus cessant : vide dicta supra (3488, 3516); an autem cessent per præscriptionem, vide (3520).

5374. Quærit. A quonam reduci valeant onera fundationum ?

Resp. Vide dicta supra (1048).

Quoad formalitates tunc observandas indicantur in rescriptis à S. Sede concessis. Ubi verò esset consuetudo legitimè præscripta quâ has reductiones peragere valerent Episcopi, observandæ essent tunc etiam formalitates quæ in hujusmodi locis vigerent. Concilium autem Trident. (sess. 25, c. 4) præscribit ut reductiones fiant in *Synodo diœcesanâ;* sed quomodo intelligi debeat facultas data à Concilio, vide explicatum ab Urbano VIII supra (1045); multa de his referuntur à DD. Affre quæ utiliter legi possunt, etsi non omnino conformia juri canonico. (Vide *Admin. tempor. des paroisses*, 4ª edit., p. 556, etc.)

ART. III.

DE BENEFICIIS ECCLESIASTICIS.

§ I.

Quid et quotuplex sit Beneficium.

5375. — I. Beneficium ecclesiasticum definitur a canonistis : *Jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiæ propter officium aliquod spirituale auctoritate constitutum et proprio nomine exercendum ;* pauló aliter quidem definitur à theologis, uti est videre apud Card. Soglia (*Inst. jur. priv.*, § 81), sed definitiones facilè in idem reduci possunt.

5376. Duo, à se invicem separabilia, distinguuntur in beneficiis, nempe : 1° jus seu potestas exercendi munus spirituale ; 2° jus percipiendi redditus ecclesiasticos : posterius fundatur in priori, de quo fusiùs diximus in primo

libro; superest igitur ut specialiùs nunc loquamur de beneficiis quatenus dant jus percipiendi redditus ecclesiasticos, sub quo respectu etiam *Præbendæ* vocantur, juxta Devoti (lib. 2, tit. 14, § 3); sed vide dicta supra (2250).

5377. Dicitur 1° *jus perpetuum* : hæc autem perpetuitas duplici modo intelligi potest : ratione beneficii quod semel erectum semper permanet; 2° ratione beneficiarii, qui non ad tempus, sed quamdiù vixerit, jus ad percipiendos fructus beneficii consequitur. Communiter DD. asserunt perpetuitatem in utroque sensu acceptam de naturâ esse beneficii ecclesiastici : hoc tamen non ab omnibus admittitur, et Leurenius à Card. Soglia citatus (*Inst. jur. priv.*, § 81) solam admittit ut essentialem beneficiis perpetuitatem prioris generis, et inter vera beneficia accenset manualia quæ ad nutum adimi possunt, quæque à laicalibus in eo tantùm discrepant quòd à potestate ecclesiasticâ concedantur. Sententiam Leurenii amplectitur D. Bouix, *De Parocho* (p. 207); item S. Liguor. (lib. 3, n° 673), ubi de capellaniâ dicit : « Quælibet capellania conferenda ab » Episcopo et ejus auctoritate erecta, est verè beneficium, » etsi *sit ad nutum amovibilis* : secus si non sit erecta » auctoritate Episcopi, licet ab ipso conferatur. » Ita Salm., *de horis canonic.*, c. 5, n° 59, cum Suar., Pelliz., Vill., etc. Vide dicta supra (1314).

5378. Ex dictis colligitur beneficia non esse tum pensiones ecclesiasticas, quæ morte pensionarii extinguuntur quin ipsi successor subrogari debeat; tum capellanias laicales pro quibus assignati quidem fuêre fundi seu redditus, et ad quas etiam ab Episcopo nominantur clerici, sed quæ ipsius auctoritate non fuerunt erectæ, etsi fundi ipsius licentiâ fuerint acceptati. Vide Card. Soglia (*Inst. jur. priv.*, § 81, 82).

5379. Dicitur 2° *Percipiendi fructus ex bonis Ecclesiæ* : bona autem ecclesiastica non tantùm in terris vel domibus consistunt, sed etiam in censibus aut redditibus annuis, ut videre est apud Devoti (lib. 2, tit. 14, § 3) : proinde bona Ecclesiæ nuncupari possunt etiam subventiones à Guberniis datæ, si reverà à Guberniis ex justitia Ecclesiæ

debentur prout in Gallià : Ecclesia enim per art. 13 Concordati 1801 non abjicit jus quod habebat in bona à Gubernio usurpata et ab ipso alienata, nisi eà conditione quòd Episcopis et parochis assignaretur congrua subventio : unde jus strictum habet Ecclesia ut subventio hujusmodi à Gubernio conferatur et hoc jus est pretium bonorum quorum alienationi consensit ipsa Ecclesia : proinde est bonum ad ipsam pertinens et quod dare potest beneficiariis propter officium spirituale ab ipsis explendum, ac reverà fuit datum in Gallià in dotem Ecclesiarum Episcopalium et parochialium à Card. Caprara, Decret. 9 apr. 1802, in quo dicitur : « Cathedralibus Ecclesiis erectis, illud superesset ut de » earum *dotatione*...statueremus. Sed cùm hanc dotationem » Gubernium in se receperit, declaramus earumdem » Ecclesiarum *dotationem* ex iis redditibus conflatam fore, » qui ab ipso Gubernio quamprimùm assignandi erunt... » Et quoniam... nova ab Episcopis parœciarum circums- » criptio facienda est..., singulis ecclesiis parochialibus » erigendis pro congruà rectorum sustentatione, eos red- » ditus, qui ut in supradictà conventione statutum est, » assignandi erunt, iidem Episcopi loco dotationis habi- » turos fore declarabunt. »

5380. Erravit ergo D. Emery dicendo, p. 45 et 56 operis cui titulus : *Nouveaux opuscules de Fleury :* « Il n'y a plus » de biens ecclésiastiques et qu'on puisse dire consacrés à » Dieu : il n'y a donc plus de bénéfices....; les curés, les » Chanoines, les Evêques, tirent aujourd'hui leur subsis- » tance, non des biens appartenant à l'Eglise et consacrés » à Dieu, mais d'une pension que le gouvernement leur » assigne sur le trésor de l'Etat, semblable à celle que » reçoivent les fonctionnaires publics. » Facile enim est discernere quàm magnum sit discrimen inter salaria civili munere fungentibus à Gubernio præstita et salaria ministris Ecclesiæ ab eodem Gubernio solvenda : Gubernium enim posset supprimere sinè injustitià munia civilia et simul pensiones pro iis assignatas, sed non posset idem Gubernium sinè injustitià supprimere pensiones præstandas ministris Ecclesiæ, nisi ei restituendo summam æqui-

valentem bonis quæ injustè ab eo olim fuerant erepta. Vide D. Bouix, *De Capitulis*, *supplem.* 1, p. 661-665, ubi citatur responsio S. Pœnitentiariæ præfatam doctrinam confirmans; consulta enim «... 2° An honoraria sacerdo-» tibus à Gubernio data, seu ex functionibus ecclesiasticis » provenientia, sint bona quasi-patrimonialia [1]. S. Pœni-» tentiaria... respondendum censuit... ad 2m aliàs fuisse à » selectâ Congregatione S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalium » responsum : quòd si agatur de pensionibus constitutis » loco redditunm quos beneficiarii antea percipiebant ex » fundis seu à loco suorum beneficiorum, eos censeri » *redditus ecclesiasticos*, non quasi-patrimoniales; secus » verò si agatur de stipendiis quæ dantur laborantibus, » inserviendo functionibus ecclesiasticis, tanquam merces » operis et ad operantis sustentationem : hæc enim bona » censentur quasi-patrimonialia. Datum Romæ in Sacrâ » Pœnitentiariâ, die 9 jan. 1823 : J. B. Bussi, S. P. Re-» gens. » Vide etiam Lequeux (n° 1212).

5381. Dicitur 3° *Propter aliquod officium spirituale*. Vide cap. *Quia per ambitiosam* 15, *de rescriptis*, in 6° : « Non » enim, inquit Devoti (lib. 2, tit. 14, § 6), *clericos otiosos* » *et nihil agentes ex ecclesiasticis redditibus* vivere oportet.» Officium autem spirituale à beneficiariis præstandum, est v. g., obligatio recitandi horas canonicas, deserviendi alicui ecclesiæ administrando sacramenta, prædicando, missas celebrando, etc., etc.: hoc officium spirituale est quidem fundamentum et causa beneficii, sed non est beneficium. Vide Reiffenst., *De Benef.*, dist. 1, quæst. 1, n° 4 (*Cursus Complet.*, tom. 13, p. 691). Proprio nomine exerceri debet, nam qui alterius nomine officium exercet non est ipse beneficiarius, sed tantùm illius vicarius.

5382. Dicitur 4° *Auctoritate Ecclesiæ constitutum*, videlicet S. Pontificis vel Episcopi : « Cùm enim, inquit Devoti » (*ib.*, § 5), ecclesiastici redditus, et multò magis sacra » ministeria, quæ duo beneficium completitur, sinè Eccle-

[1] Vide infra dicenda (5427).

» siæ auctoritate dari nequeant, manifestum est, sinè
» hâc auctoritate nullum esse et haberi beneficium posse;
» quare omnes redditus, licet perpetuò clericis ob spiri-
» tuale aliquod officium attributi, uti legata pia et capella-
» niæ, beneficia non sunt, nisi Episcopi accedat auctoritas,
» sed mera stipendia, aut eleemosynæ censentur. »

5383. Primis Ecclesiæ sæculis ignota fuêre beneficia: tunc enim bona Ecclesiæ in communi posita erant, et singuli clerici ex communi massâ sustentabantur, sed ineunte sæculo VI, et factâ bonorum partitione, cœperunt Episcopi, humanitatis causâ, aut meritorum intuitu, prædiola quædam ecclesiastica in usumfructum concedere; hujusmodi concessiones nondum erant propriè dicta beneficia, cùm non in titulum, nec ratione spiritualis officii ab Episcopis præstabantur, et ipsa prædia spirituali officio perpetuò non erant annexa, ita ut, clerico moriente, aut elapso tempore concessionis, ad commune ærarium revertebantur; sed paulatim evenit ut certis hujusmodi bonorum partibus, suus cuique titulus et officium spirituale perpetuò annecteretur, et inde originem habuêre propriè dicta beneficia. Vide Card. Soglia (*Instit. jur. priv.*, § 81); Devoti (lib. 2, tit. 14, § 1 et 2).

5384. — II. Beneficia dividuntur: 1° in *sæcularia* quæ pro sæcularibus, et *regularia* quæ pro regularibus instituta sunt: porrò sinè dispensatione nec sæculare regulari, necècontra conferri potest. Omne autem beneficium præsumitur esse sæculare nisi probetur esse regulare, vel ex primâ suâ institutione, vel per possessionem pacificam 40 annorum; per eam enim ex sæculari fit regulare et vice versâ. Vide apud S. Liguor. (lib. 4, n° 84).

5385. — 2° In *majora* et *minora*. « *Majora* dicuntur
» quibus primi in Ecclesiâ gradus cum animarum curâ et
» externâ jurisdictione adhærent, veluti Pontificatus, Pa-
» triarchatus, Archiepiscopatus, Episcopatus, Abbatiæ
» cum jurisdictione quasi-episcopali, et Cardinalatus sal-
» tem ratione tituli. *Minora* censentur reliqua omnia be-
» neficia. Quâ in re illud præcipuum est quod majora
» beneficia, præsertim in odiosis non veniunt beneficii

» nomine generatim sumpto, cùm beneficia simpliciter » non sunt, sed apices Dignitatum. » Cardin. Soglia (*ib.*, § 83).

5386. — 3° *In parochialia et curata* : « Parochialia, in» quit idem Card. Soglia (*ib.*), dicuntur quibus animarum » cura cum jurisdictione in foro interno, aliaque paro» chialia jura adnexa sunt; curata autem quæ curam » quidem animarum habent et jurisdictionem in foro in» terno, non tamen reliquis parochialibus juribus prædita » sunt, et præsertim jure assistendi matrimoniis, et Bap» tismatis administrandi carent. » Tales reputantur ecclesiæ *filiales* appellatæ.

5387. — 4° In *duplicia* et *simplicia* : « Duplicia vocantur » quæ jurisdictionem, præcedentiam, sive administratio» nem quamdam adjunctam habent, qualia sunt Dignitates, » Personatus et Officia[1]; contra autem simplicia sunt, qui» bus nec cura animarum, nec ulla jurisdictio, aut præ» cedentia, vel administratio incumbit. Beneficiis simpli» cibus accensendi sunt Cathedralium et Collegiatarum » Canonicatus, licet Canonicatus, præsertim Cathedralium » quasi Dignitatibus accedant, atque ita vulgari nomine » beneficiorum simplicium in odiosis non contineantur. » Soglia, *ibidem*.—Vide etiam S. Liguor. (lib. 4, § 4).

5388. — 5° *In compatibilia et incompatibilia*, prout in eâdem personâ conjungi possunt vel nequeunt. *Incompatibilia* esse possunt vel ratione præbendæ, si nempe redditus unius beneficii ad congruam beneficiarii sustentationem sufficiant; aut ratione officii, si munera utriusque beneficii ab uno et eodem expleri ritè nequeant. Card. Soglia (*ibid.*).

5389. — 6° In *electiva* quæ per electionem et superioris confirmationem obtinentur; *patronata*, quæ per patroni præsentationem aut nominationem et Episcopi institutionem; *collativa* seu *libera* quæ per liberam Superioris collationem sinè præviâ electione aut alterius præsentatione conferuntur. Card. Soglia (*ibidem*).

[1] Quid sint Dignitates, Personatus et Officia, vide explicatum supra (2184).

§ II.

De erectione beneficiorum.

5390. « Erectio beneficiorum est actus legitimus quo » sacrum aliquod officium vel ministerium in certâ eccle» siâ vel altari à clerico obeundum constituitur cum per» petuo redditu, quem clericus jure suo percipiat tùm » alimentorum et stipendii causâ, tum ad ferenda onera » beneficii. » Ita Card. Soglia (*Inst. jur. priv.*, § 84).

5391. Ad erectionem ergo quatuor requiruntur : 1° legitima Superioris ecclesiastici auctoritas ; 2° determinatio officii spiritualis et loci in quo istud officium est peragendum ; 3° constitutio dotis seu bonorum ex quibus rector beneficii annuos fructus percipiat : hæc autem dos constitui debet per publicum instrumentum, et juxta Concil. Trid. (sess. 24, cap. 13, *de ref.*) producere debet summam annuam mille scutorum si de congruâ Episcoporum agatur, si verò de congruâ parochorum, centum scutorum; pro reliquis tandem beneficiis summa decernenda relinquitur judicio Episcoporum ; 4° Decretum erectionis quo Superior, prævio consensu eorum quorum interest obtento, beneficium in perpetuum titulum ecclesiasticum erigit, dotem ei applicat, legesque et conditiones à fundatore impositas approbat. (Card. Soglia, *ibidem.*)

5392. Semel ritè peractâ beneficii erectione ab Ordinario, ita ad jus publicum pertinent ipsius conditiones, « ut neque » à fundatore ipso vel ejus hæredibus, aut successoribus, » accedente etiam consensu Episcopi, neque ab Episcopo » cum consensu fundatoris ejusdem, vel ejus hæredum, » seu successorum debeant ampliùs immutari, nec pos» sint omnino » : potestas autem immutandi has conditiones aut iis derogandi reservatur S. Pontifici (Cardin. Soglia, *ib.*).—Præfatæ regulæ quædam tamen exceptiones sunt apponendæ : casus enim sunt in quibus beneficia uniri, dividi, dismembrari aut etiam supprimi possunt. Quinam autem sint illi casus, diximus supra loquendo de erectione parochiarum (336, etc.).

5393. *Nota* tantùm, quoad uniones, 1° quòd à Concil. Trident. (sess. 7, cap. 4, *de ref.*) prohibitum fuerit « ne » plura beneficia per viam unionis ad vitam reciperentur » aut retinerentur » ; quapropter docente Fagnano, in cap. *Exposuisti* 33, *de Præbendis*, unio ad vitam non est propriè unio, sed magis quædam palliata dispensatio prohibitæ pluralitatis beneficiorum. Vera enim unio debet esse realis et perpetua, nec propter personas, sed pro bono Ecclesiæ peracta (Soglia, *ib.*, § 85). Vide dicta supra de Lectoribus theologiæ vel grammaticæ, etc., ad parochias, in quibus non resident, nominatis (369).

5394. — 2° Uniones, cessante causâ, dissolvi possunt, nempe si populus creverit, si redditus fuerint aucti, si ædes sacræ sint restitutæ : dissolvuntur, præsertim si, mutatis circumstantiis, unio noxia esse cœperit. Iisdem autem solemnitatibus dissolvuntur uniones ac quibus fuerunt peractæ. Vide Card. Soglia (*Inst. jur. priv.*, § 86, *in fine*).

5395. *Nota* insuper, quoad *dismembrationem beneficiorum*, esse genus dismembrationis diversum ab eo de quo locuti sumus supra (341) : per illud enim de quo nunc, salvâ beneficii unitate, non pars territorii, sed pars aliqua fructuum ab ipso detrahitur et alteri beneficio seu piæ causæ attribuitur, quod fit, v. g., pensionem constituendo, *aut* taxam imponendo : porrò, etsi jure ordinario hæc dismembratio sit pariter prohibita, aliquando tamen licita efficitur, casibus nempe à jure permissis : unde, v. g., ex Concil. Trident. (sess. 23, cap. 18) pro erectione seminarii detrahi potest tum à mensâ episcopali, tum ex Canonicatibus, Dignitatibus aliisque beneficiis, taxa trium scutorum pro centum, et si non sufficiant, usque ad scuta quinque augeri possunt. Vide insuper dicta supra (5337-5360).

Cæterùm generatim à Concilio Lateranensi III (cap. *Prohibemus*, *de censibus*) prohibitum fuit « ne ab Episcopis » novi census imponantur ecclesiis... ; sed libertatem quam » sibi majores conservare desiderant, minoribus suis » bonâ voluntate conservent. Si quid aliter fecerint irritum » habeatur » : quod innovatum fuit à Trident. (sess. 25, cap. 5). « Nihil in ullâ provisione detrabatur », inqui

S. Synodus. (Vide etiam sess. 24, c. 14, *de reform.*)

De casu quo dismembratur territorium beneficii unius, ut pars dismembrata alteri assignetur, vel quo pars jurisdictionis ab uno transfertur in alterum, sufficienter diximus supra (356, 357). Vide Card. Soglia (*ib.*, § 87).

5396. Hìc est aliquid addendum de *annatis* quæ quidem non erant impositio *novi oneris*, sed taxa Cameræ Apostolicæ persolvenda, occasione obtentionis beneficiorum quæ in ipsâ Curiâ Romanâ conferebantur. Ea taxa censebatur repræsentare annuum beneficii redditum: unde illi nomen *annata*. Ad Joannem XXII refertur communiter ejus institutio, et ob necessitates Ecclesiæ Romanæ ad sustentationem ejus Officialium instituta fuit. Apud nos hodie summa præstatur à Gubernio quando expetuntur Bullæ quibus electi confirmantur.

§ III.

De variis modis quibus acquiruntur vel conferuntur beneficia.

5397. — I. Beneficia uno ex tribus modis communiter acquiruntur : 1° per *electionem* vel etiam *postulationem* et *confirmationem* Superioris ; 2° per *præsentationem* patroni et *institutionem* Prælati ; 3° per *collationem liberam*, quando beneficium solo jure Prælati datur. De variis illis modis beneficia acquirendi etiam disseruimus supra (387-465) ; superest igitur ut hìc tantùm adjiciamus quædam circa juspatronatûs : pauca delibabimus, cùm beneficia, saltem inferiora, non sint apud nos subjecta juripatronatûs.

5398. — II. Per *juspatronatûs* intelligitur *præsertim* jus nominandi seu præsentandi clericum instituendum ad beneficium vacans. Diximus *præsertim*, quia sunt canonistæ qui volunt posse sic vocari quædam jura honorifica iis qui Ecclesias Cathedrales aut Collegiatas fundârunt concessa, etsi jus nominandi aut præsentandi ipsorum Prælatos vel dignitates non comprehendant. Vide Card. Soglia (*Inst. jur. priv*, § 101).

5399. Jus autem patronatûs multiplici modo acquiri potest: 1° *fundatione*, *constructione et dotatione;* non autem sufficit concessio fundi, aut constructio, nisi addatur simul et dotatio; si tamen plures in opus absolvendum concurrant, alius nempe aream, alius expensas ad ædificationem et alius congruam dotem conferendo, singulis patronatus acquiritur et ideo quilibet ipsorum suam vocem ad clericum præsentandum consequitur: ita ut tamen duæ voces deberentur ei qui fundum simul et ædificationem præstaret, et unam vocem ei qui congruam dotem duntaxat suppeditaret.

5400. Si ecclesia primùm ædificata, ruinæ proxima sit, aut lapsa, aut si ejus redditus defecerint, tunc solâ ædificatione, aut dotis constitutione jus patronatûs acquiritur, cùm hæ liberalitates æquiparentur; æquum tamen erit veterem patronum adire an ipse malit iterum ædificare vel dotare: quòd si renuat et necessitas urgeat, Episcopus potest juspatronatûs alteri tribuere, non privando tamen suo jure illum qui primùm præstiterat fundum et ecclesiam ædificaverat.

Non sufficit autem augere dotem jam sufficientem aut conferre aliquid ad ornamentum ut juspatronatûs *sit* debitum.

5401. Quærit. An ad obtinendum juspatronatûs opus sit ut fundator sibi tale jus stipuletur?

Resp. Si agatur de Cathedralibus et Collegiatis non solùm requiritur hujusmodi reservatio, sed etiam necesse est ut ipsa approbetur Auctoritate Apostolicâ; si verò sit quæstio de ecclesiis inferioribus, minimè requiritur ut reservatio stipuletur, sufficit quòd Ordinarius fundationem aut dotationem acceptet, nisi fundator aut dotans juripatronatûs expressè aut tacitè renuntiasset.

5402. — 2° Acquiri potest juspatronatûs privilegio à S. Sede concesso, et hoc non est contra Trident. (sess. 25, c. 9, *de ref.*) modò adsit causa: Episcopus autem hanc facultatem concedere non valet juxta S. C. Conc. (apud Leuren., à Card. Soglia citatum) ubi dicitur: « Juspatro» natûs ex privilegio Episcopi concessum in cujus pacificâ

» possessione exstiterunt prætensi patroni per annos 140, » non prodest; cùm enim constet de titulo ex privilegio » invalido, centenaria possessio prodesse non potest ob » malam fidem. »

3° An autem et quatenus juspatronatûs consuetudine acquiratur, vide apud Card. Soglia (*ibid.*, 3, § 102).

5403. Juspatronatûs transmitti potest cum bonis quibus hoc est adnexum, et tunc necessarius non est Episcopi consensus; sed opus est ut consentiat si juspatronatûs sinè ullâ hæreditate in laicum transferatur, aut vendatur laico res cui in particulari hoc jus adnectitur; secus si venderentur omnia bona, aut si cessio fieret in gratiam loci religiosi, aut co-patroni.

5404. Dividitur juspatronatûs 1° in *ecclesiasticum et laicale : ecclesiasticum* ecclesiæ vel Dignitati adhæret, et exercetur ab eo qui eam ecclesiam aut Dignitatem possidet aut administrat; *laicale* est illud quod pertinet ad aliquem sive clericum, sive laicum, non ratione beneficii et Dignitatis, sed ratione sanguinis, successionis, vel alio simili titulo; juspatronatûs ad unum ratione ecclesiæ, ad alterum ratione successionis pertinens dicitur *mixtum*.

5405.—2° Dividitur in *reale* quod alicui competit intuitu bonorum et rerum; *in personale* quod personis adhæret, v. g., ratione agnationis per virilem sexum. Vide alias divisiones apud Card. Soglia (*ib.*, § 103), ubi etiam dicitur quomodo hoc jus ad alios transeat.

5406. *Nota* quòd juspatronatûs, fundo inhærens, seorsim à fundo vendi, permutari, vel locari non potest; si secus fiat, ex Concil. Trid. (sess. 25, cap. 9, *de reform.*), venditor illud jus et emptor ipsius pretium amittit.

5407. Præcipuum patronorum jus in præsentatione consistit, ut supra diximus (5398); porrò quatuor menses patrono laico conceduntur ad exercendam hujusmodi facultatem; sex verò patrono ecclesiastico ejusque co-patrono laico.

5408. Præterea si patronus ecclesiasticus indignum præsentaverit, eâ vice privatur jure præsentandi, et collatio libera efficitur. Si verò laicus indignum præsentet, jubetur

alium substituere, quia laicus præsumi potest hoc fecisse per ignorantiam.

Quomodo autem fieri debeat electio et præsentatio quando plures sunt patroni, vide dictum apud Card. Soglia (*ib.*, § 104).

5409. An autem currat tempus præsentationis quando lis oritur super jurepatronatûs, negandum est si lis sit inter Episcopum et patronum, vel inter ipsos præsentatos; secus si inter patronos, v. g., si non conveniant in præsentando, vel si sit contentio cui competat jus præsentandi. S. Liguor. (lib. 4, nº 89); et Card. Soglia (*ib.*).

5410. Præter jus præsentandi, sunt alia jura honorifica, veluti honor processionis, thuris, precum, sedis, aquæ benedictæ et sepulturæ : de his vide Card. Soglia (*ib.*, § 105), ubi, loquendo de honore sedis, dicit in eo consistere quòd patrono sedes fixa et specialis constituatur in navi ecclesiæ patronatæ, aut etiam in presbyterio, choroque cleri proximior.

5411. *Nota*, quoad aquam benedictam, quòd sit vetitum aspergillum cuique porrigere sive sacerdoti, sive laico patrono, excepto solo Episcopo. (Card. Sogl., *ibid.*); quoad autem jura utilia aut onerosa, vide apud eumdem (*ib.*)

Quoad tandem causas cessationis jurispatronatûs vide apud eumdem (*ib.*, § 106).

5412. — III. Paragraphum modorum quibus acquiruntur beneficia, absolvere non debemus quin brevem nomenclaturam tradamus effectuum captæ possessionis; sequentes igitur effectus ex captâ possessione profluunt :

1° In beneficiis liberæ collationis vim et effectum collationis habet capta possessio si beneficium tradatur ab eo qui habet potestatem conferendi.

2° Regulariter onus probandi possessori non incumbit : « Quisquis enim possidet, jure possidere æstimatur. » L. 2, Cod., *de acquir. et ret. poss.*

3° In pari causâ melior est conditio possidentis. Cap. 31. *de Præbend.*, in 6°.

4° Possessio cum justo titulo et bonâ fide jus tribuit percipiendi fructus officiumque spirituale exercendi.

5413. — 5° Qui contendit jus habere in beneficium ab alio possessum per unum annum, is omnino debet nomen et gradum possessoris indicare et causam certam proferre ob quam contendit beneficium à possessore retineri non posse. Debet insuper possessorem intra sex menses in judicium vocare, causamque intra alios sex menses prosequi. Interea verò possessor in suâ possessione manet donec lis dirimatur : ita reg. 35 Cancellariæ.

5414. — 6° Si autem possessio fuerit triennalis, ex regulâ 36 ejusdem Cancellariæ ita in tuto ponitur tunc possessor, ut in jus vocari et possessione exturbari ampliùs non possit. Sed ad hoc requiritur ut possessio sit continua, completa, ita ut ne unus quidem dies deficiat; pacifica, id est sinè lite vel controversiâ sive in possessorio, sive in petitorio excitatâ; debet etiam esse cum bonâ fide, ex titulo colorato qui, absque simoniâ aut alio patenti vitio, ab eo sit datus cui jus erat beneficium conferendi. Vide Card. Soglia (*ib.*, § 96), et supra (479).

5415. De modo mittendi in possessionem diximus supra (285, 465, 2262) : jus autem in possessionem mittendi videtur olim pertinuisse ad Archidiaconos : in capite enim *Ad hæc* 7, *de Officio Archidiaconi*, dicitur : « Jam aliâ vice » nos meminimus expressisse quòd *institutio corporalis* » tàm super beneficiis quàm etiam Dignitatibus ad *ipsum* » *debeat pertinere.* » Ex capitulo autem *In tantum* 36, *de Simoniâ*, videtur usu introductum esse ut etiam Decani minores mitterent in possessionem. Hodie verò in Galliâ hoc jus exercetur ab Episcopi delegatis sive specialiter sive generaliter.

Ad hujusmodi delegatum non pertinet expendere an promotus habeat dotes requisitas.

Multi sunt beneficiarii à quibus emitti debet fidei professio in assumptione possessionis beneficii : vide quid de hâc emissione diximus supra (421, 1442, 2365-2369).

5416. Quoad autem momentum quo beneficiarii in Galliâ jus habeant sua emolumenta recipiendi, statutum quidem fuerat per Decretum 30 thermid. anni XI quoad Episcopos, et per Edictum 9 jan. 1816 quoad Vicarios Ge-

nerales, Canonicos, parochos, deservitores, quòd illa reciperent à die nominationis suæ : nempe Episcopi à die nominationis à Gubernio, et cæteri à die nominationis ab Episcopo; sed dispositiones hujusmodi revocatæ fuêre, et sancitum fuit quòd possessionis assumptio esset conditio necessaria ad stipendium percipiendum : hoc sancitum fuit quoad Episcopos per Edictum 4 sept. 1820, et quoad cæteros per Edictum 13 martii 1832, quod sic se habet :

« Art. 1. Les Vicaires Généraux, Chanoines et Curés dont » la nomination a été agréée par Nous, jouiront du traitement attaché à leur titre à dater du jour de leur prise » de possession. Il sera dressé procès-verbal de cette prise » de possession : pour les Vicaires Généraux et Chanoines » par le Chapitre, et pour les curés par le bureau des » marguilliers.

» Art. 2. Le traitement des desservants et vicaires datera également de leur installation constatée par le bureau des marguilliers.

» Art. 3. Expédition de chaque procès-verbal sera aussitôt adressée à l'Évêque diocésain et au Préfet du département, pour servir à la formation des états de » payement. »

Stipendium verò Vicariorum Generalium Capitularium currit à die quo à Capitulo fuerunt nominati usque ad diem quo novus Episcopus possessionem assumit. Ita respondit Consilium Statûs 3 decembris 1840. Vide apud Lequeux (n° 1207 *in notâ*).

§ IV.

De pluralitate beneficiorum.

5417. Certum est pluralitatem beneficiorum, nisi ex justâ causâ honestetur, vetitam esse in genere : illud constat multis juris canonici capitulis, prout ex cap. *Clericus* 1, *Causa* 27, *de Præbendis;* Concil. Trid. (sess. 24, c. 17, *de ref.*) : et ratio est quia pluralitas hujusmodi magnam inordinationem involvere solet, cùm ex eâ ordinariè minuatur cultus divinus, Ecclesia operariis, fundator pii

intentione, pauperes ministri, futuri ecclesiæ utiliores, sustentatione priventur.

5418. Disputatur an hæc pluralitas sit prohibita non solùm jure canonico, sed etiam jure naturali : sententia communis et tenenda, juxta S. Liguor. (lib. 4, n° 117), docet hanc pluralitatem, secundùm se, esse contra jus naturale, quando unum beneficium sufficit ad sustentationem, ob rationes supra expositas, ita ut plura beneficia, nec etiam cum dispensatione Papæ valeant retineri sinè peccato mortali; sed tamen non ita juri naturali adversari ut non possit ex aliquibus circumstantiis cohonestari.

5419. Causæ autem cohonestantes pluralitatem beneficiorum sunt sequentes : 1° necessitas Ecclesiæ, nempe si desint alii ministri idonei; 2° utilitas Ecclesiæ, si unus videlicet, licet absens, magis reputetur profuturus suâ auctoritate, doctrinâ et prudentiâ quàm alter suâ præsentiâ: propter hanc rationem aliquando filiis principum, etiam ante ætatem à jure requisitam plures Episcopatus collati fuêre, ut potentiùs contra hæreticos ecclesiæ protegerentur; 3° evidens meritorum prærogativa, cùm aliquis præstat doctrinâ, consilio, instructione, scriptione, et hoc consonum videtur doctrinæ Apostoli dicentis (1 Tim., c. 5, v. 17) : « Qui benè præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maximè qui laborant verbo et doctrinâ. »

5420. Requiritur autem ordinariè, in iis casibus, dispensatio legitimi Superioris; sunt tamen casus in quibus licet plura simul habere beneficia etiam sinè dispensatione, videlicet :

1° Si utrumque beneficium sit adeo tenue ut neutrum seorsim sufficiat ad sustentationem beneficiarii, hoc tamen modò utrumque sit simplex nec residentiam requirat;

2° Quando parochia annexa est Canonicatui, sed substituendus est vicarius in parochiâ, nisi esset parochia Cathedralis;

3° Quando beneficia sunt legitimè unita;

4° Quando alius idoneus et dignus non reperitur;

5° Quando unum beneficium habetur in titulum et alterum in commendam non perpetuam sed ad aliquot menses,

donec de idoneo provideatur. Vide apud S. Liguor. (lib. 4, n° 115).

5421. Incompatibilia, ut supra diximus (5388), sunt beneficia quæ simul haberi nequeunt; duplicis generis sunt : alia nempe dicta *incompatibilia primi generis* in quibus, acceptâ pacificâ possessione secundi, vacat prius, qualia esse solent beneficia curata, item plures Dignitates, personatus, uniformia sub eodem tecto, nempe quæ ad easdem functiones concurrunt, eodem loco et tempore; et alia dicta *incompatibilia secundi generis*, qualia sunt duo Canonicatus et omnia quæ residentiam requirunt.

5422. Disputatur an, quoad omnia beneficia incompatibilia, verum sit quòd, obtento secundo, vacet ipso jure primum, et si quando quis utrumque retinere præsumit, ipso pariter jure, utroque beneficio privetur.—Certum quidem est utrumque esse verum quando agitur de beneficiis incompatibilibus *primi generis*, prout constat ex Concil. Trident. (sess. 24, c. 17, et sess. 7, c. 4); item ex cap. *De multâ*, *de Præbendis;* Extrav. *Execrabilis*, *de Præbendis;* cap. *Litteras, de conc. præb.;* ac Clement. fin., eodem titulo.

Quoad autem beneficia incompatibilia secundi generis, controvertitur an, obtento secundo, vacet ipso jure primum, aut volens utrumque retinere ipso jure utroque privetur : sententia affirmans magis placet S. Liguorio, præsertim ob quamdam Declarationem S. C. Conc. à Fagnano relatam (lib. 4, n° 116).

5423. Controvertitur pariter circa beneficia simplicia, an casu quo quis, habens unum beneficium sufficiens ad suam sustentationem, accipit secundum sinè causâ cohonestante, primum ipso facto vacet : et iterum S. Liguor. sententiam affirmantem vocat *meliorem et communiorem*, juxta Declarationem S. C., eò quòd hæc sententia conformior videatur verbis aut saltem menti Tridentini (lib. 4, n° 118).—Dicit tamen Devoti (lib. 2, tit. 14, § 17 : « Nunc » ex consuetudine ubique receptâ, nemo in foro contro- » versiam patitur quòd duo possidet beneficia, etiamsi » unum satis præbeat ad vitam honestè traducendam, modò

» utrumque residentiam non requirat »: sed non est indè concludendum quòd hoc fieri possit in conscientiâ.

5424. Dicta modò non obstant tamen quominus in aliquo casu *evidentis necessitatis sive utilitatis*, ut supra diximus (5419), possit Papa dispensare ut aliquis obtineat plura beneficia etiam curata, prout S. Gregorius Magnus præfecisse fertur Martinum, Paulinum et alios duobus Episcopatibus: idque patet ex Trident. (sess. 7, c. 5); habens tamen plura hujusmodi beneficia extra *casum necessitatis* aut evidentis *utilitatis*, non potest esse tutus in conscientiâ, juxta S. Liguor. plures alios citans (*ib.*, n° 116).

§ V.

De obligationibus beneficiariorum.

5425. Obligationes beneficiariorum diversæ sunt et variantur juxta diversitatem beneficiorum. Illas verò passim exposuimus tractando de variis officiis ecclesiasticis, episcopatu nempe, parochiatu, canonicatu, etc.

Communis est omnibus beneficiariis obligatio horas canonicas recitandi : de illâ locuti sumus supra (5082-5161, etc.).

5426. Quærit. 1° An beneficiarius obligationes suas adimplere omittens, teneatur ad restitutionem fructuum non solùm ex jure positivo, sed etiam ex jure naturali?

Resp. Vel agitur de omissione recitationis horarum canonicarum, vel de cæteris omissionibus : si priùs, probabilius habet S. Liguor. (lib. 3, 665) beneficiarium non teneri ad restitutionem nisi ex jure positivo et post omissionem culpabilem horarum canonicarum, etsi tamen ad hoc teneatur ante judicis sententiam etiam declaratoriam. Vide supra (5100-5102).

Si posteriùs, verius putat S. Liguorius, omittentes suas obligationes implere teneri ad restitutionem fructuum, non solùm ex jure positivo, sed etiam ex jure naturali: ratione nempe contractûs aut quasi-contractûs quo quisque, acceptando officium, se adstringit ad adimplendas

ipsius obligationes. Vide S. Liguor. (lib. 4, nº 127, *dub.* 3); et dicta supra (1481, 2363).

5427. Ad quid teneatur beneficiarius ratione fructuum sui beneficii?

Resp. I. Bonorum clericorum quatuor distingui species: 1° *patrimonialia* quæ ipsis obveniunt ex quâcumque causâ profanâ; 2° *quasi-patrimonialia* seu industrialia quæ acquirunt clerici ob functiones ecclesiasticas sinè beneficio, ut ex missis, concionibus, etc.; 3° *merè ecclesiastica* quæ habentur ex beneficiis; 4° *parcimonialia* quæ clericus ex bonis ecclesiasticis subtraxit in suâ sustentatione, vivendo parciùs quàm honestè vivere potuisset.

II. Non agitur hîc de bonis patrimonialibus : de iis enim clericus potest liberè disponere, cùm plenum eorum habeat dominium. Cap. *Relatum* 12, *de Testam.*

5428. — III. Idem est dicendum de bonis industrialibus, juxta sententiam communem, quidquid nonnulli in contrarium dicant : unde clericus qui de suis bonis patrimonialibus aut industrialibus viveret, aut in pias causas expenderet, posset tantumdem accipere de bonis ecclesiasticis, nisi fortè, ut excipit S. Lig. (lib. 3, nº 481, I), clericus non haberet superfluum de bonis ecclesiasticis, atque propter necessitatem indigentis teneretur hîc et nunc huic *subvenire* ex propriis; secus autem si hîc et nunc non teneretur ad eleemosynam et habuisset intentionem compensandi.

Probabilius est in profanos usus posse expendi distributiones chorales. Vide S. Liguor. (lib. 3, nº 491, et lib. 4, nº 184); Bened. XIV (*De Syn.*, lib. 13, cap. 12, nº 22).

5429.—IV. Idem sat communiter dicitur de bonis parcimonialibus, ex auctoritate S. Thomæ (2, 2, q. 185, art. 7), ubi ait : « De his autem quæ sunt specialiter tuo usui » (scilicet clerici) deputata, videtur esse eadem ratio quæ » est de propriis bonis. » Et ratio est quia fructus beneficii dantur in stipendium laborum saltem juxta honestam sustentationem, unde in iis plenum jus habet beneficiarius, et si quid ab honestâ sustentatione detrahat, potest de eo plenè disponere : aliundè bona parcimonialia non tam sunt fructus ecclesiastici quàm fructus industriæ.

5430. – V. Major est difficultas de bonis merè ecclesiasticis quæ honestæ sustentationi supersunt. Certum est quidem beneficiarios teneri sub mortali elargiri in usus pios aut eleemosynas omnes redditus qui supersunt suæ honestæ sustentationi : ita S. Thom. (2, 2, q. 185, art. 7), et alii communiter : sic enim habet cap. *Quisquis* 19, causa 12, q. 2 : « Quisquis Episcopus vel Abbas inventus » fuerit de salariis Episcopi, vel monasterii alii personæ » conferre, irritum sit quod datum esse constiterit... » Vide etiam cap. *Res ecclesiæ* 25, causa 12, q. 1.

5431. In hoc autem ut materia censeatur gravis, multò major requiritur quantitas quàm in furto : quidam volunt ad hoc requiri quartam vel quintam partem superfluorum; *sed veriùs*, inquit S. Liguorius (*ib.*, IV), sufficit pars vigesima ad materiam gravem constituendam.

5432. « Congrua sustentatio non est æqualis respectu » omnium, quia plus requirit Episcopus quàm Decanus, » Decanus quàm Canonicus, Canonicus in ecclesiâ prin- » cipali quàm parochus, debilis et tener quàm robustus et » valens, et quod sufficit in uno loco non sufficit in alio : qua- » propter attendi debet ad usum aliorum timoratæ conscien- » tiæ in eodem gradu, etc. Nec obstat quòd beneficiarius » emerserit ex humili, quominus possit statui suo conve- » nientes sumptus facere. » (Apud S. Lig., lib. 4, n° 182.)

5433. Disputatur autem an beneficiarius teneatur in pios usus superfluum bonorum ecclesiasticorum impendere ex justitiâ vel solùm ex virtute religionis ; proinde an teneatur ad restitutionem si expendat in usus profanos : duplex est sententia : *prima*, quæ est valde communior inter modernos, negat, et sat probabilem eam vocat S. Lig., præsertim ob auctoritatem S. Thomæ qui illam amplectitur in *Quodlibeto* 6, art. 12, ad 3 ; ratio quâ præcipuè nituntur ipsius patroni est quòd post divisionem bonorum ecclesiasticorum in quatuor partes, de quâ pluries diximus, pars clericis assignata in dominium ipsis fuit data : unde verba Concil. Trident. (sess. 24, c. 12, *de reform.*) : « Pri- » vetur dimidiâ parte fructuum quos ratione etiam præ- » bendæ ac residentiæ *fecit suos*. » Si beneficiarii *suos* fa-

ciunt fructus, ergo illi fructus in eorum dominium transeunt. Aliam rationem addit Cabassut cum Azor, nempè quòd fundatores beneficiorum liberè et sinè ullo pacto donant clericis eorum fructus, unde illi non tenentur impendere superfluos in pios usus nisi ex lege ecclesiasticâ et ex motivo religionis et charitatis, et non ex justitiâ strictè dictâ.

Secunda sententia, quæ à multis propugnata fuit et cui tanquam probabiliori adhærere videtur S. Liguor. (*ib.*, q. 8) affirmat, et hâc ratione probatur : Ante divisionem bonorum ecclesiasticorum, clerici non erant illorum bonorum domini, ut omnibus constat ; sed minimè probatur illa bonorum ecclesiasticorum divisio, atque valde est incerta : aliunde naturam et destinationem illorum non mutavit ; ergo nec etiam hodie clerici sunt illorum bonorum domini. Quòd autem fundatores intenderint bona sua in dominium clericorum relinquere, hoc etiam minimè probatur, et potiùs est præsumendum quòd voluerint relinquere in manus Ecclesiæ, ut ipsa postmodum ea bona per Prælatos committeret ministris ut ex eis sustentarentur et superfluum pauperibus erogarent : talem autem fuisse fundatorum mentem, testatur Concilium Aquisgranense, anno 816, in can. 116, in quo dicitur : « Fideles ob animarum suarum remedium suis facultatibus sanctam locupletem » fecerunt Ecclesiam, ut his et milites Christi alerentur, » *ecclesiæ exornarentur et pauperes recrearentur*. » — Et licet alia fuisset intentio fundatorum, dici potest quòd Ecclesia quæ bonorum ecclesiasticorum supremum habet dominium noluit suos ministros acquirere jus in ea bona nisi limitatum et cum onere superfluum pauperibus aut aliis piis operibus impendendi : illud multis probatur, ut videri potest apud S. Liguor. (lib. 3, n° 492) ; sufficiat referre verba I Concil. Mediolan. anni 1565, sub S. Carolo : « Si verò qui beneficia ecclesiastica obtinent quorum fructus ad eos sunt attributi, si uberiores sint quàm ad tuendam vitam requiratur, dubitare non debent ad eum finem » hanc copiam illis esse attributam, ut præter ea, quæ ad » vitam satis essent, suppeterent etiam *quibus pauperum* » *inopia sublevaretur*. »

5434. His non obstantibus, S. Liguor., ut jam diximus, priorem sententiam habet ut satis probabilem, præsertim ob auctoritatem S. Thomæ qui asserit pro certo factam fuisse bonorum divisionem. Et reverà legitur in cap. *Quatuor* 27, *de redditibus*, causa 12, q. 2, quòd SS. Pontifices, Simplicius maximè et Gelasius præscripserint ut tàm de redditibus quàm de oblationibus fidelium fierent portiones « quarum una sit Pontificis, altera clericorum, tertia pauperum, quarta fabricis applicanda » : sed non benè constat hanc partitionem fuisse reipsà peractam.

5435. Sed positâ præfatâ controversiâ quæritur an peccet graviter et teneatur ad restitutionem qui bona ecclesiastica dono accipit à beneficiario?

Resp. 1° Quoad obligationem restituendi, distinguendum est : vel per talem donationem beneficiarius impotens redditur ad restituendum superfluum, et tunc probabiliùs accipiens cum dubiâ fide tenetur ad restituendum, saltem partem juxta probabilitatem contrariæ sententiæ ; ad nihil autem èçontra probabiliùs teneretur si accepisset cum bonâ fide, ut videri potest apud Theologos in Tract. de Justitiâ ; vel beneficiarius non redditur impotens, et tunc accipiens, nihil tenetur restituere, quia donans potest et debet satisfacere, et si non faciat illius malitiæ est imputandum.

5436. — 2° Quoad peccatum in sententiâ probabili quòd donatio, in casu, non est contra justitiam controvertitur an in hâc hypothesi peccatum committat accipiens : dicunt Mazzotta et Sanchez cum aliis adesse peccatum in casu, quia accipiens cooperatur peccato donantis contra religionem aut charitatem ; sed probabiliùs dicit S. Liguor. accipientem in factâ hypothesi non peccare, neque contra religionem, neque contra charitatem. — Non contra religionem quia per ablationem rei donatæ peccatum consummatur, nihilque malitiæ ei superaddit acceptatio et retentio. — Neque contra charitatem, ratione damni quod ex illâ donatione pauperibus obvenit, quia charitas non obligat ad vitandum damnum alienum cum suo æquali incommodo. — (S. Liguor., *ib.*, q. 8.)

5437. Quæritur 2° An superfluum bonorum ecclesiasti-

eorum sit potiùs pauperibus impendendum quàm in alios pios usus?

Resp. Vel sunt pauperes in gravi necessitate temporali constituti, vel non; si priùs, præferendi sunt dicti pauperes, quia tunc urget præceptum naturale charitatis ex quo qui habet bona superflua statui tenetur sub gravi pauperibus in gravi necessitate constitutis subvenire. Hujusmodi autem pauperes inquirere tenentur pastores, quales sunt Episcopi et parochi, non tamen beneficiarii non pastores. Si posteriùs, superfluum potest erogari sive in pauperes, sive in alios pios usus pro arbitrio, cùm solùm vetetur illud dissipari. Vide Concil. Trident. (sess. 25, c. 1, *de reform.*).

5438. Quinam verò veniant nomine pauperum?... « Ve-
» niunt..., inquit S. Liguor. (lib. 3, nº 491, q. 2), non
» solùm ostiatim mendicantes, sed etiam ii qui aliter
» nequeunt suum statum conservare; veniunt etiam con-
» sanguinei, si verè pauperes sint, ita ut aliàs non possint
» proprium statum sustinere...: patet ex Concil. Trident.
» (sess. 25, c. 1, *de reform.*) ubi interdicitur beneficiariis
» *ne ex redditibus ecclesiasticis consanguineos familiaresve*
» suos augere studeant..; sed si pauperes sint, iis ut pauperi-
» bus distribuant..., hos autem consanguineos indigentes
» potest clericus præferre aliis pauperibus, etiam graviùs
» egentibus...: quia... subventio propinquorum egentium
» pertinet etiam ad proprium statum clerici servandum,
» cùm illorum paupertas in ipsius dedecus redundet....
» Advertunt Laymann, Roncagl..., Viva... quòd si bene-
» ficiarius statum suum mutet ex assumptione ad benefi-
» cium, tunc potest subvenire consanguineis, saltem pro-
» ximioribus, ut ipsi quodammodo decenter vivant,
» juxta suam dignitatem. Hoc tamen rectè ait Roncaglia...
» procedere pro Episcopis aut assumptis ad similem Digni-
» tatem, non verò pro parochis. »

5439. Non videtur esse obligatio præferendi pauperes loci, quia canones (cap. *Sancimus* 31, causa 12, q. 3) indistinctè eleemosynam præcipiunt fieri sive in cives sivè in exteros : excipit Mol. si aliud exigat bonum commune diœ-

cesis, puta si subveniendum sit collegio educandorum (S. Liguor., *ib.*, q. 3).

5440. Veriùs docet S. Thomas superflua posse reservari in futurum ad pios usus (2, 2, q. 185, art. 7, ad 4) : benè tamen advertit Holzmann quòd in eo casu caveri debeat ne, morte adveniente, tales redditus à consanguineis diripiantur. (S. Liguor., *ib.*, q. 4.)

5441. Quidquid dicant nonnulli certum est beneficiarium posse se sustentare ex redditibus ecclesiasticis, etsi haberet unde ex suis vivere posset : « Quis (enim ait Apostolus, » 1 Cor. c. 9, v. 7) militat suis stipendiis unquam ? » Excipiendus est tamen casus quo pauper adesset in gravi necessitate. Canones *Ex his* 22 et *Episcopus* 23, causa 21, in contrarium allegati, vel mitiorem interpretationem accipere debent, vel successu temporis fuerunt immutati. (S. Liguor., *ib.*, q. 5.)

5442. Controvertitur an etiam pensionarii teneantur superfluum erogare in usus pios : affirmat Sanchez cum aliis multis, in hypothesi quòd pensio sit ecclesiastica, aut detur ecclesiasticis, quia etiam pensionariis bona ecclesiastica dantur cum onere in pios usus superfluum expendendi; satis tamen probabiliter plures alii negant (apud S. Liguor., lib. 3, nº 491, q. 6), quia extrahendo pensionem ex fructibus beneficii, jam S. Pontifex eamdem applicat in usus pios, nec illis imponit obligationem iterum illam in hujusmodi usus applicandi. Pro hâc sententiâ adest decisio Rotæ Romanæ in quâ dicitur : « Pensiones decur» sas et non solutas non computari inter spolia, sed tran» sire ad hæredes, *quia pensio non est beneficium*, *sed con» sistit in merâ temporalitate.* » (S. Liguor., lib. 4, nº 139.)

5443. Secus dicendum asserit Busembaum (apud S. Liguor., lib. 4, nº 184) de eo qui beneficium habet in commendam, quia substituitur beneficiario, et hoc sanè multùm probabile apparet; S. Liguor. tamen (lib. 3, nº 491) secus videtur sentire eò quòd à Gregorio XIII concessum fuerit testari equitibus commendatariis S. Jacobi Calatravæ, Alcantaræ et S. Stephani Florentiæ, etc., et hoc argu-

mentum probat, si reverà ipsis concessum fuerit testari etiam in profanas causas.

5444. Ex consuetudine autem multis in locis receptâ, licitè possunt clerici testari de redditibus beneficiorum, non tamen nisi ad causas pias : etsi enim ubi consuetudo invaluit, validè testentur in usus profanos, peccant tamen mortaliter nisi illud faciant ex Indulto Papæ. Apud S. Liguor., lib. 4, n° 187.

De potestate quam habent clerici testandi, legendi sunt tituli 25 et 26 libri 3 Decretalium : in cap. *Quia nos* 9, *de Testam.*, sic habet Alexander III : « Licet clerici de his quæ » paternæ successionis vel cognationis intuitu, aut de artificio sunt adepti, seu dono consanguineorum, aut amicorum, non habito respectu ad Ecclesiam, pervenerunt » ad ipsos, liberè disponere valeant; de his tamen quæ » consideratione Ecclesiæ perceperunt, nullum de jure » possunt facere testamentum. » Addit autem cap. *Relatum* 12, de eod. tit. : « Consuetudinis tamen non est improbandæ ut de his (bonis) pauperibus et religiosis locis, » et illis qui viventi servierant, sive sint consanguinei, sive » alii aliqua juxta servitii meritum conferatur [1]. »

5445. Si clericus superflua expenderit in usus profanos, emendo, v. g., bona immobilia, non potest sic acquisita retinere, sed ea sunt Ecclesiæ sub gravi restituenda, saltem virtute religionis, quia adhuc in pios usus possunt expendi. (Apud S. Liguor., lib. 4, n° 186.)

Hæredes autem beneficiariorum eisdem obligationibus ligantur quoad bona ecclesiastica ipsis relicta ac ipsimet beneficiarii. (Lequeux, n° 1218.)

5446. Quærit. 3° An præfata obligatio impendendi superfluum bonorum ecclesiasticorum in usus pios, applicari debeat salariis à Gubernio in Galliâ ministris cultûs catholici præstitis ?

Resp. Plures negare, eò quòd illa salaria non sint, ut

[1] Ex prohibitione testamentum faciendi, natum est *jus spoliorum*, vi cujus quidquid clericus relinquebat ad patrimonium non pertinens, devolutum censebatur Episcopo qui tenebatur in usus pios impendere. Ferè ubique hodie spoliorum jura obsoleverunt. Vide Lequeux, n° 1218.

aiunt, bona ecclesiastica : sed ex dictis supra (5379, 5380) omnino est affirmandum, quia revera hæc salaria sunt bonum ecclesiasticum, utpote Ecclesiæ debita in compensationem bonorum à Gubernio usurpatorum, prout stipulatum fuit in Concordato 1801 : unde S. Pœnitentiaria de his consulta pluries respondit ea salaria *induere naturam beneficiorum seu bonorum ecclesiasticorum* : sic habetur in unâ ex ejus responsionibus : « An salaria quæ in Belgio à » Gubernio solvuntur pastoribus et Canonicis *induant naturam beneficiorum seu bonorum ecclesiasticorum*, *et annexam* » *habeant obligationem inhærentem his bonis*, scilicet » strictam et canonicam obligationem expendendi superflua » pauperibus seu piis causis et residentiæ, sub pœnâ non » faciendi fructus suos? — S. Pœnitentiaria, perpensis » expositis, respondit jam aliàs à S. Sede, de Consilio se- » lectæ Congreg., responsum fuisse affirmativè. » Die 19 jan. 1819.

Altera Decisio sic habet : « An responsio pro Belgio diei » 19 jan. 1819, applicari debeat *solis salariis* fixis 1,000 fr. » pro parochis, et 750 pro deservientibus, vel extendi de- » beat ad oblationes fidelium? — S. Pœnitentiaria super » noviter expositis respondendum censuit *affirmativè* quoad » primam partem; *negativè* verò quoad secundam. Die » 9 aug. 1821. »

Eædem decisiones datæ fuerunt pro Galliâ, qualis est quam supra retulimus (5380). Vide Lequeux (nº 1212), qui probabile reputat eamdem decisionem esse applicandam supplementis quæ à municipiis præstantur.

SCHOLIUM.

5447. Utile ducimus hîc quædam annotare circa quotitatem emolumentorum hodie in Galliâ ministris Ecclesiæ à Gubernio persolvendorum.

Ascribuntur ergo 1° Cardinalibus.(suppress.) 10,000 fr. ultra emolumenta ipsis assignata tanquam Episcopis aut Archiepiscopis, et præter 30,000 fr. quæ ipsis persolvuntur tanquam Senatoribus.

2° Archiepiscopo Parisiensi nunc 15.000

3° Cæteris Archiepiscopis. . . . . 15,000 fr

4° Episcopis. 10,000

Sic reducta ea quæ statuebantur decreto 15 jan. 1853 et 28 decemb. 1847. Solent insuper adscribi 1,000 fr. pro sumptibus visitationis annuæ diœcesis.

5° Primo Vicario Generali Archiepiscopi Parisiensis. 4,500

6° Duobus aliis Vicariis General. ejusdem. 3,500

7° Primo Vicario Generali Archiepiscoporum. 3,500

8° Aliis Vicariis Generalibus sive Archiepiscoporum sive Episcoporum. 2,500

Ita decernitur pro his diversis Vicariis Generalibus in Decreto 22 jan 1853 quod legi poterit in collectaneis gallicè dictis *Nouveau Journal des fabriques*, 7° livr., avr. 1853, p. 169 et 170.

9° Canonicis, usque ad extinctionem. 1,600

10° Parochis 1 classis, iis nempe qui ministerium exercent in urbibus 5,000 animarum continentibus, et quibusdam aliis ex privilegio. . 1,500

Iisdem, si 70 annos compleverint (*art.* 181 *du règlement des cultes de* 1841). 1,600

11° Parochis 2 classis. 1,200

Iisdem si 70 annos compleverint (*art.* 181 *du règlement des cultes de* 1841). 1,300

12° Deservitoribus (*loi des finances* 4 *juin* 1858) 900

Si sint sexagenarii. 1,100

Si sint septuagenarii. 1,200

Si compleverint annum 75. 1,300

(Décr. 14 août et loi des fin. 13 mai 1863.)

13° Vicariis locorum qui non habent 5,000 animarum. 450

(Décr. 23 mars 1872).

(In urbibus autem 5,000 animarum, non à Gubernio vicarii suum accipiunt stipendium, sed à municipiis vel à Fabricis.)

14° Presbyteris qui regunt coloniarum ecclesias (præter impensas itineris). . . . . . 2,000 fr.

15° Parocho, descrvitori, vel vicario deservienti parochiæ succursali vacanti. 200

5448. Circa hoc ultimum sic habet littera Ministri D. Barthe 1 aug. 1834 :

« 1° Le droit à l'indemnité de binage n'existe qu'autant » que la paroisse légalement érigée en succursale (non en » cure) a été réellement desservie en y disant la messe le » dimanche ou tout autre jour de la semaine, suivant que » l'Evêque diocésain l'a ordonné, en y allant faire les ins» tructions, en visitant les malades et en y administrant » les sacrements...

» 2° Le binage... ne peut être exercé que par les desser» vants de succursales, les curés et les vicaires des curés. » Il s'ensuit que les vicaires des desservants sont exclus » des droits à l'indemnité, et que si quelqu'un d'eux est » appelé à faire le service, il est censé ne le faire que pour » le desservant lui-même qui seul peut être porté sur » l'état.

» 3° Sous aucun prétexte, le même curé, vicaire de » curé, ou desservant, ne peut avoir droit à une double » indemnité, lors même qu'il ferait le service dans deux » paroisses vacantes.

» Des attestations sur la réalité du service fait par ceux qui » ont reçu l'autorisation de desservir une succursale vacante, » doivent être délivrées par un curé ou desservant du can» ton, chargé spécialement de ce soin par l'Evêque diocé» sain, pour être jointes à l'état que l'administration » diocésaine doit adresser au préfet...»

5449. Hic est autem modus quo stipendia ab ærario publico in Galliâ solvuntur : initio cujusque anni Episcopus mittit ad Præfectum tabulam omnium sacerdotum ministerium sacrum in diœcesi exercentium; initio autem singulorum trimestrium, eidem indicat omnes mutationes, extinctiones, destitutiones, etc., quæ contigêre; Præfectus deinde dispensatori denariorum mandat ut solvat stipendium unicuique debitum pro elapso trimestri (*donne un*

mandat adressé au payeur du département). Dispensator solet statim mandatum consignare ut ab Exceptoribus possit exsolvi (*par les Receveurs d'arrondissement ou même par les Percepteurs du canton*), ubi primùm titularis parochus nempe vel alius ipsum præsentabit. Mandata titulari transmittuntur à Præfecto per Sub-Præfectos, aut etiam per Majores communitatum qui tamen jus non habent ea detinendi; nec ipse Præfectus potest ea denegare, ex Circulari minister. 2 apr. 1832. Titularis mandatum Exceptori præsentat, et stipendium ab eo recipiens illud consignat ut sit loco apochæ (*quittance*); casu autem quo titularis defunctus fuisset, mandatum datur ejus hæredibus postquam probaverint sibi competere hunc successionis titulum. (Vide Lequeux, n° 1209.)

§ VI.

De modis quibus amittuntur beneficia.

5450. Amittuntur beneficia, morte beneficiarii, demissione, translatione, privatione : de iis satis diximus supra (499, etc.).

Attamen circa resignationem quæ est genus demissionis conditionatæ : annotanda est dispositio Constitutionis S. Pii V *Quanta Ecclesiæ Dei*, in quâ dicitur : « Caveant » Episcopi, itemque omnes electores, præsentatores et » patroni... ne verbo quidem, aut nutu vel signo, futuri » beneficiis et officiis successores ab ipsis resignantibus, » aut aliis eorum significatione, vel hortatu, designentur, » aut de his assumendis promissio inter eos, vel etiam » intentio qualiscumque intercedat. Cæterùm præcipimus » atque interdicimus ne ipsi Episcopi aut alii collatores » de beneficiis et officiis resignandis, aut suis aut dimittentium consanguineis, affinibus, vel familiaribus..... » audeant providere; quòd si secus, si etiam quidquid » præter vel contra formam prædictorum, fuerit à quocumque temerè attentatum, id totum ex nunc vires et » effectum decernimus non habere. »

5451. Unde quando beneficium vacat per resignationem,

Episcopis et aliis collatoribus aut electoribus, vetitum est ne illud suis aut resignantium cognatis, affinibus, aut familiaribus conferant. Et juxta Congr. Conc., si agatur de parœciâ, Episcopi non debent etiam ad examen admittere suos aut resignantis consanguineos, ut illis beneficium conferatur si digniores deprehensi fuerint, uti videre est ap. Bened. XIV (*De Syn.*, lib. 13, cap. 23, n^is 3 et 4); sed hoc non est extendendum ad casum quo beneficium vel parochia vacat per mortem : nam in hoc casu, non sunt timendæ collusiones, quæ facilè contingere possent in casu vacationis per resignationem (*De Syn.*, *ib.*, n^is 5 et 6); nec etiam extendendum ad casum permutationis beneficiorum, cùm Bulla præfata loquatur de casu resignationis, minimè verò de casu permutationis quæ à resignatione multùm differt. Excipiendum est tamen si permutatio malâ fide fieret, v. g. si beneficia essent reddituum valde disparium, et is qui pingue beneficium possidet jam esset provectus ætate, infirmâ valetudine, et vellet permutare cum beneficio tenuioris redditûs quod suus vel Episcopi consanguineus possidet : hujusmodi permutatio non esset ad canonum normam erecta, sed potiùs dolosa, et Pianæ Constitutioni adversa. Ita sentire S. Congr. Concil. asserit Bened. XIV (*ib.*, n^is 8-10). Superiùs tamen diximus quòd, juxta multos, præfata Constitutio S. Pii V non sit ubique recepta (504, etc.).

ART. IV.

DE COMMENDIS ET PENSIONIBUS ECCLESIASTICIS.

§ I.

De Commendis.

5452. *Commenda est provisio facta clerico sæculari de beneficio regulari, cum dispensatione professionis religiosæ* (Lequeux, n° 1192). Commendarum origo est antiqua : primùm temporariæ duntaxat erant et ad quascumque Ecclesias extendebantur : de ipsisque fit mentio in Epist.

S. Ambrosii : « Commendo tibi, fili, inquit, Ecclesiam » quæ est ad Forum Cornelii... *donec ei ordinetur Epis-* » *copus.* » Postea concessæ fuêre in perpetuum quando tales esse causa postulabat : vastatis enim hostium impetu Cathedralibus Ecclesiis, expulsos ab iis Antistites, Pontifices Romani aliis Ecclesiis Cathedralibus vacantibus præficiebant, vel ipsis Abbatias perpetuò commendabant : sic S. Gregorius Magnus Agnellum Fundorum Episcopum, destructâ ab hostibus ipsius civitate, Terracinensis Ecclesiæ Episcopum constituit : « Ita ut, inquit (Epist. 13, lib. 3), » Fundensis Ecclesiæ Episcopus esse non desinas, nec » curam gubernationemque ejus prætereas. » Idem factum fuit cum aliis ex causâ quòd clerici non habebant quantùm eis esset necessarium. Vide monumenta à Devoti relata (lib. 2, tit. 14, § 24).

5453. Justis de causis ergo Commendæ institutæ fuêre; verùm in abusum verterunt cùm laici bona ecclesiastica invadere cœperunt : tunc enim potissimùm principes illa militibus suis commendabant ut opes haberent ad gerendum bellum : sic Hugo Magnus Franciæ Dux Capeti Pater plura monasteria in commendam possidebat, unde illi nomen *Abbatis.* Contra hujusmodi abusus conclamaverunt Concilia et imprimis Romani Pontifices, qui tandem obtinuerunt ut nonnisi clericis, et solùm quando graves poscebant causæ, beneficia ecclesiastica committerentur.

5454. Commendæ *neque laudari neque improbari* generatim possunt, ait Rigantius apud Devoti (*ibid.*, § 26) : noxiæ enim esse possunt. Etenim non est difficile intelligere quòd si monasteria sæcularibus etiam clericis, commendentur, à regimine suorum Prælatorum subtrahuntur et inde sæpe pessumdabitur disciplina; item, commendatario quàm maximam poterit bonorum partem sibi adscribente, cura monachorum, ædificiorum, ecclesiæ, divini cultûs, etc., neglecta erit quasi necessariò, et inde ita minuetur regularium numerus ut in solitudinem redigantur ipsæmet domus quæ priùs majori famâ clarescebant. Ex aliâ parte utile esse potest ipsismet monasteriis ut aliquando commendentur viris potentibus, Episcopis nempe aut aliis

qui eorum jura efficaciùs tueantur. Insuper sunt plura monasteria amplos redditus possidentia, quæque infortunio temporum paucos tantùm monachos alunt. Porrò tunc ampli illi redditus opportunè dari poterunt Prælatis aliisque clericis iis indigentibus, et suâ scientiâ, ingenio, auctoritate, etc., Ecclesiæ magnam utilitatem afferentibus. Utiles ergo et legitimæ esse possunt commendæ : unde Synodus Tridentina rem omnem prudentiæ ac pietati Sanctæ Sedis dimisit, voluitque esse æstimandam juxta rationem temporum (sess. 25, cap. 21, *De Regul.*). Sedes autem Apostolica non solet commendas concedere nisi ex justissimis causis, ac persæpe etiam Principum importunas preces repulit : Clemens V (Extrav. 2, *De Præbendis*) sustulit commendas quæ, non benè cognitis expensisque rebus, datæ fuerant; Bened. XII ac Leo X commendas quas in perniciem monasteriorum atque ecclesiasticæ disciplinæ redundare animadverterant, abrogârunt. Synodus Tridentina monasteria in posterum vacatura regularibus tantùm spectatæ vitæ concedi jubet, eaque monasteria quæ sunt Ordinum capita ac primates, jure commendæ aliquem retinere prorsus vetat; Romanoque Pontifici committit ut pro suâ prudentiâ ac pietate, quantùm ratio temporum ferre poterit, reliquis monasteriis jam commendatis regulares præficiant. (Devoti, *ib.*, § 26, 27.)

5455. Nihilominus post Concilium Tridentinum commendæ substiterunt : videri potest apud Durand de Maillanne, v° *Abbaye*, *Prieurés*, enumeratio beneficiorum quæ in Gallia in commendam tradebantur ante perturbationem 1789; sed hodie apud nos commendæ locum ampliùs non habent : ubi autem adhuc subsistunt à solo Papâ conceduntur, ad quem solum spectat relaxare canones qui vetant sæcularibus regularia conferre beneficia (cap. 27 *de Elect.*, cap. *Cùm de beneficio*, *de Præbendis*, in 6°; Concil. Trid., sess. 14, cap. *de ref.*).

5456. Verbis autem potiùs quàm re, inquit Devoti (*ib.*, § 28), nunc à beneficiis commendæ differunt, quoniam et hæ in perpetuum dantur, et « titulum præstant ad » ordines suscipiendos, et clerici commendatarii iisdem

» fermè prærogativis ac juribus quibus beneficiarii fruun-
» tur. Quare liberam habent reddituum administratio-
» nem, et jus præsentandi, eligendi, conferendi; ve-
» rùm monasteria visitantur à regularibus Superioribus,
» quibus subsunt, atque ad eos regimen et cura pertinet
» regularis Instituti.—Conc. Trid., sess. 25, c. 20, *de Re-*
» *gul.*, etc.

» Clerici commendis aucti, ut plurimùm suam habent
» mensam à conventuali distinctam, et quartam ejus par-
» tem in Ecclesiæ necessitates aut pauperum alimenta
» conferre debent (ubi autem communis mensa est, dari
» debet tertia pars omnium fructuum Monasterii commen-
» dati, pro omnibus illis oneribus supportandis et susten-
» tatione monachorum, ut, inquit Leo X Constit. *Su-*
» *pernæ* 8, § 10)... Semper autem beneficia commendata
» pristinam retinent naturam suam, quanquam longo usu
» iis concedantur qui ejusdem Ordinis atque Instituti ac
» veri titulares non sunt. » Ita Devoti (ut supra).

5457. Quamvis commendatarii nullam jurisdictionem propriè dictam exercerent in monasteriis sibi commendatis, ita ut totum regimen internum Priori Conventuali pertineret, plurimis tamen juribus, non tantùm utilibus, sed etiam honorificis gaudebant, et veluti Dignitates habebantur.

§ II.

De pensionibus.

5458. Pensio est jus certam portionem fructuum ex alieno beneficio percipiendi.

Triplicis generis est : 1° *Temporalis*, quæ datur propter officium temporale, v. g. cantori, æditu, Patrono et defensori Ecclesiæ.

2° *Spiritualis*, quæ fundatur titulo merè spirituali, ut quæ datur concionatori, coadjutori Episcopi, parocho, etc.

3° *Media*, quæ fundatur statu spirituali, non tamen officio spirituali, ut quæ datur clerico pauperi vel parocho

seni ad sustentationem, vel quæ datur causâ resignationis et litis componendæ.

Duæ posteriores dicuntur clericales, quia clericis dantur; prima laicalis, quia laicis tantùm. Vide apud S. Liguor., lib. 4, n° 137.

5459. Antiquissima est origo pensionum : de iis exempla inveniuntur in Conciliis Chalcedonensi, act. 10, et Ephesino, act. 7; in variis epistolis S. Gregor. Magni. Vide Devoti (lib. 2, tit. 14, § 30).

5460. Initio pensiones detrahebantur ex Ecclesiæ redditibus qui erant tunc communes : unde Episcopus, justâ causâ accedente, illas clericis assignabat; at post institutionem beneficiorum jus pensiones constituendi ad solum Romanum Pontificem delatum est : per pensiones enim scinduntur beneficia, aut saltem iis onus imponitur : porrò cùm utrumque sit prohibitum à sacris canonibus (cap. 8 *de Præbendis*, et cap. 7 *de Censibus*), necesse est ut interveniat S. Pontificis auctoritas (Devoti, *ib.*, § 31). Attamen plures apud Lessium sentiunt posse pensiones ab Episcopis imponi in causis specialibus et necessariis, v. g. propter paupertatem et senium resignantis, ad conciliandos litigantes circa beneficium, ad æquandos fructus in permutatione beneficiorum (S. Liguor. lib., 3, n^is 74-79; Reiffenst., lib. 3, tit. 12, n° 88 qui allegat cap. *Nisi essent* 21, *de Præbendis*). Vide dicta supra (505) et infra dicenda (6166).
» Sed omnes, inquit Devoti (lib. 2, tit. 14, § 32), inter » pensionem à Pontifice atque ab Episcopo impositam, » magnum discrimen faciunt : nam pensio Pontificis ipsi » hæret beneficio cum quo transfertur ad omnes ejus pos» sessores, et Episcopi pensio solùm afficit beneficiarium » cujus obitu extinguitur. » Et ratio discriminis est quòd sit prohibitum beneficia conferre cum dismembratione (tit. 12, lib. 3 Decret.): unde solus Papa pensionem imponere potest quæ hæreat beneficio et transeat ad omnes ejus possessores, dum Episcopus potest tantùm imponere pensionem ad vitam beneficiarii : hâc enim pensione non minuitur beneficium, cùm possit, defuncto beneficiario, sinè onere ad alios conferri; sed gravatur sola persona benefi-

ciarii, qui percipit quidem omnes fructus, sed tenetur per suam vitam pensionem ex iis solvere. Vide Reiffenst. (*ib.*, n° 90).

5461. Alii tamen aliter sentiunt: juxta auctorem *Prælect. S. Sulpitii* (n° 569), qui adhæret sententiæ Pirrhing et Schmalzgrueber dicentium « saltem vi consuetudinis Epis- » copos posse imponere pensiones ad pensionarii vitam » se extendentes », eò quòd secus non satis provideretur sustentationi clerici qui suo beneficio renuntiavit. Sed hoc expressè contradicit cap. *Nisi essent* 21, *de Præbendis* (vide Ferraris, v° *Pensio*, n[is] 20, 21).—Et revera S. Congr. Conc. in *causâ Capuanâ*, consulta « an et quomodo pen- » siones sustineantur in casu ?— Respondit, 29 julii 1861 : » *Affirmativè* quoad pensiones personales, ita ut cessent » morte beneficiarii, vel pensionarii. » *Revue des sciences ecclésiast.* (20 sept. 1861, p. 273).

5462. Pensio debet esse moderata, et relinquenda est beneficiario sustentatio sufficiens : talis autem plerumque censetur tertia pars fructuum. Devoti dicit soleri à Pontifice reservari etiam dimidiam partem (vide lib. 2, tit. 14, § 33). Innocentius verò XII, in suâ Constit. 7 febr. 1687 relatâ à Ferrari (v° *Pensio*), prohibet dari pensiones ultra medietatem. Concilium autem Trident. (sess. 24, c. 13, *de ref.*) vetat onerari pensionibus Ecclesias Cathedrales, quæ annuos ducatos mille, et parochiales quæ centum suis fructibus non superant.

5463. Non requiritur consensus patroni cùm illi nullum fiat præjudicium per impositionem pensionis : quippe non habet jus percipiendi fructus, sed tantùm præsentandi, quod ei non adimitur, et insuper nullum jus requirit talem consensum.

5464. Per Constitut. S. Pii V, pensionarius si sit clericus tenetur recitare officium B. V., nisi majus officium recitet, nec facit fructus suos si omittat. S. Liguor. (lib. 4, n° 138; et lib. 3, n° 74, *not.* 1).

5465. Ad acquirendam pensionem requiritur : 1° Ut obtinens sit capax ; proindè ut sit ligitimus, non excommunicatus, etc., et saltem tonsuratus; requiritur 2° justa

causa, v. g., ad alendum pauperem, ob bonum Ecclesiæ, ad æquitatem compensandam; aliàs, inquit S. Liguor., lib. 3, n° 73 : « Obtinens non erit tutus in conscientiâ, » etiamsi Papa dispensaverit. »

5466. Pensio in materiâ odiosâ non venit nomine beneficii, benè tamen in materiâ favorabili. Vide Ferraris (v° *Pensio*, n° 8).

5467. Quærit. Utrum sit licitum resignare beneficium ecclesiasticum, reservatâ annuâ pensione?

Resp. Jam fuisse satisfactum huic quæstioni : vide (505). Addendum est hîc quòd ex S. Liguor. (lib. 3, n° 72) resignantes possunt se obligare etiam ad pœnam solvendam, si consensum retrahant : hoc tamen dependenter à consensu Prælati, quia obligatio non potest esse nisi conditionata.

5468. Adde insuper quòd is qui resignat cum pensione in favorem tertii non potest exigere hypothecam, vel fideijussionem, aut anticipatam solutionem, nisi hæc simul à Papâ admittantur, quia jura prohibent circa beneficia omnia pacta quæ de jure eis non insunt. (S. Liguor., lib. 3, n° 74, *not.* 2.)

5469. Casu quo commutatio effectum non haberet, controvertitur an permutantes valeant propriâ auctoritate ad beneficia redire : negantium rationes sunt quòd renuntians amittit titulum et indiget novâ collatione; insuper afferunt in probationem plures decisiones Sacræ Rotæ; affirmantes verò dicunt renuntiationem fuisse tantummodo conditionatam, proinde nullam esse deficiente conditione (S. Liguor., *ibid.*).— Vide supra (518).

5470. Notandæ sunt insuper dispositiones Edicti jussu Innocentii XII emanati 11 novembr. 1692 : « Præcipimus » et statuimus ne in posterum graventur parochiales, etiam » juris patronatûs laici, pensionibus : atque hoc etiam » observetur ab ipsis locorum Ordinariis, in provisionibus » ad ipsos spectantibus. Præterea ne admittantur resigna- » tiones aut permutationes parochialium cum reservatione » pensionum, ad cujuscumque favorem et sub quocumque » titulo, etiam præstationis alimentorum multòque minùs » reserventur pensiones super easdem parochiales, etc. »

5471. Exinde tamen concludendum esse non vult Reiffenstuel (*ib.*, n° 102, etc.) quòd ex justâ gravique causâ, puta quia resignans est ætate decrepitus, vel infirmus, aut quia pro bono pacis fit resignatio beneficii litigiosi, etc., non possit Episcopus pensionem resignanti concedere ad vitam clerici gravati, juxta receptissimam sententiam Barbosæ et Fagnani : Decretum enim excludit quidem motivum *favoris* et *quemcumque titulum ;* sed per hoc meritò potest intelligi quicumque titulus non fundatus et frivolus, cùm addat ut casum magis dubitabilem *etiam præstationis alimentorum*, nihil dicens de casu quo resignans est infirmus aut decrepitus et similibus. Aliter tamen sentit Devoti (lib. 2, tit. 14, § 34) ubi ait : « Nunc in parochiis omnibus » *indiscriminatim* pensiones non imponuntur, ut paro» chus integros habeat redditus cum quibus pauperibus » opem ferre possit », citatque Bened. XIII Const. *Quanta*, apud Ferraris (v° *Pensio*), quâ Constitutione confirmatum fuit Edictum præfatum Innoc. XII.

5472. Pensiones extinguuntur morte pensionarii. Posset tamen Papa ex plenitudine potestatis facere ut essent perpetuæ; sed tunc non videntur differre à beneficio. Vide Ferraris (v° *Pensio*, n^is 3, 6, 7). Tolluntur insuper per redemptionem quæ fit per anticipatam solutionem plurium annuarum pensionum ; sed in eâ re intervenire debet S. Pontificis auctoritas (Ferraris, *ib.*, n^is 99-101). Item extinguntur professione Religionis, matrimonio, degradatione, crimine hæreseos aut læsæ majestatis, promotione ad Episcopatum : uno verbo, cæteris ferè modis quibus ipsa beneficia amittuntur. Vide plura alia apud Ferraris (*ib.*).

5473. « Pensio excedens summam scutorum 60 de » Camerâ, extinguitur eo ipso, sinè ullâ monitione, cita» tione, judicis Decreto, aut ministerio, si pensionarius » non deferat habitum et tonsuram clericalem tanto tem» pore ut ab omnibus reputetur laicus : sic expressè » Sixtus V Constit. incip. *Pastoralis.* » Ferraris, *ibidem*, n° 72.

FINIS TOMI TERTII.

APPENDICES

APPENDIX I.

CIRCA COMMUNIONEM DANDAM ET MISSAM DE REQUIEM DICENDAM CUM PARAMENTIS NIGRIS.

(Ad p. 18.)

Controversiæ de quibus n. 3395-3397 hodie nullum locum amplius habere queunt, prouti constat ex sequenti decreto :

Eminentissimi ac Reverendissimi Patres S. R. C. præpositi..... responderunt:... Posse in missis defunctorum cum paramentis nigris, sacram communionem fidelibus ministrari etiam ex particulis præconsecratis, extrahendo pixidem a tabernaculo. Posse item in paramentis nigris ministrari communionem immediate post missam defunctorum ; data autem rationabili causa, immediate quoque ante eamdem missam. In utroque tamen casu omittendam esse benedictionem. Missas vero defunctorum celebrandas esse omninò in paramentis nigris ; adeo ut violacea adhiberi nequeant, nisi in casu quo, die 2 novembris, sanctissimæ Eucharistiæ sacramentum publicæ fidelium adorationi sit expositum pro solemni oratione 40 Horarum, prout cautum est in decreto sacræ hujus Congreg. diei 16 sept. anni 1801. Et ita decreverunt, ac ubique locorum, si Sanctissimo Domino Nostro placuerit, servari mandarunt, die 17 junii 1868.

Facta autem per me Sacretarium Sanctissimo Domino Nostro Pio Papæ IX relatione, Sanctitas Sua decretum S. Congreg. approbavit et confirmavit, die 23 julii anni ejusdem.

C. Episc. Portuensis et S. Rufinæ,
Card. PATRIZI, *S. R. C. Præf.*
D. BARTOLINI, *S. R. C. Secret.*

APPENDIX II.

CIRCA RETENTIONEM PARTIS STIPENDII MISSARUM

(Ad p. 52.)

Præter casus ab auctore enumeratos, qui a lege generali de integro stipendio missæ celebranti tradendo eximuntur, attendendus est etiam sequens, juxta varias responsiones S. C. C. Sane, quoties stipendia missarum non induunt rationem beneficii, integra tradenda sunt celebranti, prout resolvit S. C. in *Colonien.*, die 18 Julii 1868 et 25 Julii 1874. At si hæc stipendia, eo quod solito majora sint, computari contingit velut pars congruæ parochialis, tunc videntur induere naturam beneficii, et pars taxam excedens retineri potest. Unde in *Monacen.*, ejusdem diei 25 Julii 1874, responsum est : « Attento quod eleemosynæ missarum, de quibus in precibus, pro parte locum teneant congruæ parochialis, licitum esse parocho, si per se satisfacere non possit, eas missas alteri sacerdoti committere, attributa eleemosyna ordinaria loci, sive pro missis lectis, sive cantatis ».

Similis prorsus erit casus, si una cum missæ stipendio comprehendantur in oblatione jura parochialia seu *stolæ*, tam pro exsequiis, quam pro matrimoniis. Hinc in eadem *Colonien.*, ad II, cum quæsitum esset : « Utrum pro missis nuptialibus et exsequialibus, quando parochus aliis eas celebrandas committit, manualem eleemosynam tradere possit, retento pinguiori stipendio ex lege diœcesana illis assignata ? » responsum est : « Cum agatur de juribus stolæ, satis esse si parochus retribuat celebranti eleemosynam ordinariam ».

Hinc demum in *Treviren.*, diei 11 Maii 1888, propositis dubiis : « 1° Utrum parochi, si ob legitimas causas vicariis missam fundatam persolvendam committunt, totum stipendium eis tradere debeant, an illam partem quæ taxam diœcesanam excedit, retinere possint ? —

2° Utrum parochi, pro missis nuptialibus vel exsequialibus, si eas aliis celebrandas committant, ordinariam tantummodo eleemosynam tradere possint, retento pinguiori stipendio, quod pro iisdem missis specialiter fixum est? — 3° Utrum, si H. S. C. placeat ad duas propositas quæstiones responsum dare parochis contrarium, licita sit conventio qua sive expresse sive tacite inter aliquos parochos vicariosque statuitur, ut pro commodiore victu vicariis concedendo, parochis cedant in cumulo fructus fundationum pinguiorum, et vicariis tribuatur stipendium ab Ordinario taxatum ; an potius conventio hæc Const. Bened. XIV *Quanta cura* comprehendatur? »

Responsum est: « In voto consultoris », nempe: « Ad I: Parochi, si ob legitimas causas vicariis missam fundatam, ut in casu, persolvendam committunt, non tenentur totum stipendium eisdem tradere, sed possunt eam partem retinere quæ taxam diœcesanam excedit. — Ad II: Affirmative. — Ad III: Jam provisum in responsione ad præcedentia dubia ».

Notandum vero has facti circumstantias apud nos in Galliis locum non habere.

APPENDIX III.

CIRCA TURPE MERCIMONIUM QUOAD ELEEMOSYNAS MISSARUM. — DECRETA S. C. C.

(Ad pag. 57.)

1. — *Decretum* 9 *Sept*. 1874.

Cum circa eleemosynas missarum graves quædam quæstiones S. Sedi propositæ fuerint, eas SSmus D. N. Pius divina providentia Papa IX EEmis DD. S. Rom. Ecclesiæ Cardinalibus Concilio Tridentino interpretando ac vindicando præpositis expendendas ac resolvendas

mandavit. Itaque injuncto sibi muneri, ea qua par est diligentia et consilii maturitate, iidem Emi Patres satisfacere cupientes, infra scripta dubia desuper concinnari voluerunt.

I. An turpe mercimonium sapiat, ideoque improbanda et pœnis etiam ecclesiasticis, si opus fuerit, coercenda sit ab Episcopis eorum bibliopolarum vel mercatorum agendi ratio, qui, adhibitis publicis invitamentis et præmiis, vel alio quocumque modo missarum eleemosynas colligunt, et sacerdotibus, quibus eas celebrandas committunt, non pecuniam sed libros aliasve merces rependunt?

II. An hæc agendi ratio ideo cohonestari valeat, vel quia nulla facta imminutione, tot missæ a memoratis collectoribus celebrandæ committuntur, quot collectis eleemosynis respondeant, vel quia per eam pauperibus sacerdotibus eleemosynis missarum carentibus subvenitur?

III. An hujusmodi eleemosynarum collectiones et erogationes tunc etiam improbandæ et coercendæ, ut supra, sint ab Episcopis, quando lucrum, quod ex mercium cum eleemosynis permutatione hauritur, non in proprium colligentium commodum, sed in piarum institutionum et bonorum operum usum vel incrementum impenditur?

IV. An turpi mercimonio concurrant, ideoque improbandi atque etiam coercendi, ut supra, sint ii, qui acceptas a fidelibus vel locis piis eleemosynas missarum tradunt bibliopolis, mercatoribus, aliisque earum collectoribus, sive recipiant, sive non recipiant quidquam ab iisdem præmii nomine?

V. An turpi mercimonio concurrant, ideoque improbandi et coercendi, ut supra, sint ii, qui a dictis bibliopolis et mercatoribus recipiunt pro missis celebrandis libros, aliasve merces harum pretio sive imminuto, sive integro?

VI. An illicite agant ii, qui pro missis celebratis recipiunt stipendii loco libros vel alias merces, seclusa quavis negotiationis vel turpis lucri specie?

VII. An liceat Episcopis sine speciali S. Sedis venia ex eleemosynis missarum, quas fideles celebrioribus sanctuariis tradere solent, aliquid detrahere, ut eorum decori et ornamento consulatur, quando præsertim ea propriis reditibus careant?

VIII. An et quid agendum ab Episcopis, ne in iisdem sanctuariis plures missarum eleemosynæ congerantur, quam quæ ibi intra præscriptum, seu breve tempus absolvi queant?

IX. An et quid agendum ab Episcopis, ut missæ, sive quæ singulis sacerdotibus, sive quæ ecclesiis et locis piis a fidelibus celebrandæ committuntur, accurate et fideliter persolvantur?

Quibus dubiis non semel in propriis comitiis sedulo et accurate perpensis, tandem in Congregatione generali habita in Palatio Apostolico Vaticano die 25 julii 1874, iidem EE^mi Patres in hunc modum respondendum censuerunt, videlicet:

Ad I, Affirmative. Ad II, Negative. Ad III, Affirmative. Ad IV, Affirmative. Ad V, Affirmative Ad VI, Negative. Ad VII, Negative, nisi de consensu oblatorum. Ad VIII et IX, standum constitutionibus Apostolicis et Decretis alias datis [1].

Factaque die 31 augusti 1874 de his omnibus SS^mo D. N. per me infra scriptum Secretarium relatione, Sanctitas Sua resolutiones S. Congregationis Apostolica sua auctoritate adprobavit et confirmavit, atque ad Episcopos transmitti jussit, ut ipsis eas intra propriæ jurisdictionis limites exequendas, perpetuoque et inviolabiliter servandas curent. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romæ, ex Secretaria S. Congregationis Concilii, die 9 septembris 1874.

P. CARD. CATERINI, *Præf.*
P. Archiepiscopus Sardianus, Secr.

1. Vide Benedict. XIV, *Instit. Eccles.* 56; *De Synodo Diœces.* lib. 5, cap. 8 seq.; *De sacrificio miss.*, lib. 3, cap. 21 seq.

2. — *Decretum* 25 *Maii* 1893.

Vigilanti studio convellendis eradicandisque abusibus missarum celebrationem spectantibus jugiter incubuit hæc S. C., pluraque edidit decreta, quibus omne hac in re damnabile lucrum removeri voluit, piasque testantium voluntates et obstrictam benefactoribus fidem adamussim servari religioseque custodiri mandavit.

Quapropter ad cohibendam pravam quorumdam licentiam qui ad ephemerides, libros aliasque merces facilius cum clero commutanda, missarum ope utebantur, nonnulla constituit, eaque, Pio PP. IX fel. rec. approbante, edi et Ordinariis nota fieri curavit ut ab omnibus servarentur. Propositis namque inter alia dubiis :

« I. An turpe mercimonium sapiat », etc. (sunt dubia I, II, III, IV, V et VII, quæ supra, cum respectivis responsionibus).

Sed cum postremis hisce annis constiterit salutares hujusmodi dispositiones ignorantia aut malitia sæpius neglectas fuisse, et abusus hac in re valde lateque invaluisse, Emi Patres S. C. Tridentini interpretes ac vindices, rebus omnibus in duplici generali conventu mature perpensis, officii sui esse duxerunt, quod *pridem* decretum erat in memoriam plenamque observantiam denuo apud omnes revocare, et opportuna insuper sanctione munire.

Præsenti itaque decreto statuunt, ut in posterum si quis ex sacerdotali ordine contra enunciata decreta deliquerit, suspensioni a divinis S. Sedi reservatæ et ipso facto incurrendæ obnoxius sit : clericus autem sacerdotio nondum initiatus eidem suspensioni quoad susceptos ordines similiter subjaceat, et inhabilis præterea fiat ad superiores ordines suscipiendos ; laici demum excommunicatione latæ sententiæ Episcopis reservata obstringantur.

Præterea cum experientia docuerit, mala quæ deplorantur ex eo potissimum originem viresque ducere, quod in quorumdam privatorum manus major missarum nu-

merus congeritur quam justa necessitas exigit, ideo iidem Emi Patres, inhærentes dispositionibus a Romanis Pontificibus, ac præsertim ab Urbano VIII et Innocentio XIII in const. *Cum sæpe contingat*, alias datis, sub gravi obedientiæ præcepto decernunt ac mandant, ut in posterum omnes et singuli ubique locorum beneficiati et administratores piarum causarum aut utcumque ad missarum onera implenda obligati, sive ecclesiastici sint, sive laici, in fine cujuslibet anni missarum onera, quæ reliqua sunt, et quibus nondum satisfecerint, propriis Ordinariis tradant juxta modum ab iis definiendum. Ordinarii autem acceptas missarum intentiones cum adnexo stipendio primum distribuent inter sacerdotes sibi subjectos qui eis indigere noverint ; alias deinde aut S. Sedi, aut aliis Ordinariis committent, aut etiam, si velint, sacerdotibus aliarum diœceseon, dummodo sibi noti sint, omnique exceptione majores, et legitima documenta edant inter præfixum congruum tempus quibus de exacta earum satisfactione constet.

Denique, revocatis quibuscumque indultis et privilegiis usque nunc concessis, quæ præsentis decreti dispositionibus utcumque adversentur, S. Congregatio curæ et officio singulorum Ordinariorum committit, ut præsens decretum omnibus ecclesiasticis suæ jurisdictioni subjectis, aliisque quorum ex præscriptis interest, notum sollicite faciant, ne quis in posterum ignorantiam allegare, aut ab hujus decreti observantia se excusare quomodolibet possit, et insuper ut sive in sacra Visitatione sive extra sedulo vigilent ne abusus hac in re iterum inolescant.

Facta autem de his omnibus relatione SSmo D. N. Leoni PP. XIII per infrascriptum S. Congregationis Præfectum, Sanctitas Sua hoc Emorum Patrum decretum ratum habuit, confirmavit atque edi mandavit, contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Datum Romæ, die 25 Maii 1893.

ALOYSIUS, Card. Epus Sabinensis, *Præf.*
L. SALVATI, *Secretarius.*

APPENDIX IV.

CIRCA FACULTATEM CELEBRANDI MISSAM EXTRA ECCLESIAM.

(Ad p. 68.)

Quæ hic dicuntur, n. 3563, 2°, intelligenda sunt de ecclesia parochiali, aut si de alia, per modum actûs tantum; nam S. R. C. die 27 aprilis 1836 (Gardellini, n° 4788), facultatem denegavit celebrandi extra ecclesiam, quum ageretur tantum de quadam capella ad quam, diebus B. M. V. sacris, multi confluebant fideles.

APPENDIX V.

CIRCA OLEUM LAMPADIS CORAM SS^{mo} SACRAMENTO ARDENTIS.

(Ad p. 78.)

Aliquantulum imminuta est severitas legis juxta quam lampas coram SSmo Sacramento ardens, alenda unice esset ex oleo olivarum. Petentibus quippe pluribus Galliarum episcopis ut « attentis difficultatibus et ecclesiarum paupertate, oleo olivarum substitui possint alia olea, quæ ex vegetalibus habentur, ipso non excluso petroleo », S. R. C., die 9 julii 1864, in una *plurium diœcesium*, respondit : « Generatim utendum esse oleo olivarum ; ubi vero haberi nequeat, remittendum prudentiæ episcoporum ut lampades nutriantur aliis oleis, quantum fieri possit, vegetabilibus ». — Unde in casu veræ necessitatis, ipsum petroleum permittere possent episcopi.

Ex qua responsione concludi nequit petroleum absque causa adhiberi posse ad illuminandas ecclesias, modo lampas SSmi Sacramenti oleo olivarum alatur. Consulenti enim vicario diœcesis Faventin, S. C. R. respondit: « Minime adhiberi posse petroleum vel aliud oleum ex

vegetabilibus ad illuminandam ecclesiam, sed in casu tantum necessitatis ex prudentia Ordinariorum ». Atque ita rescripsit et servari mandavit, die 20 martii 1866 (*Analecta*, 162ᵉ Livr., col. 884).

APPENDIX VI

CIRCA VESTES SACRAS EX LANA CONFECTAS ET USUM COLORIS AUREI.

(Ad p. 88 et 89.)

S. R. C. in *Senen.*, 18 dec. 1877, interrogata : « an planetæ ex lana confectæ permittuntur », respondit : « Usus ecclesiarum laneas casulas non admittit ». Et ita rursus in litteris ejusdem S. R. C. diei 28 julii 1881.

Quo vero spectat ad colores paramentorum, notum est vi privilegii permitti colorem cæruleum in festis B. M. V. in regionibus hispanicis vel quæ olim Hispaniæ fuerunt.

Pluries interrogata S. R. C. circa usum coloris flavi serici aut aurei, colorem flavum prorsus eliminandum censuit, toleravit autem usum paramentorum ex auro contextorum. Sic v. g. in *Syren.* 5 dec. 1868, quum quæsitum fuisset : « Color flavus, tum sericus tum ex auro contextus potestne adhiberi pro albo, viridi, rubro et violaceo; præsertim in ecclesiis pauperioribus paramenta singulorum colorum a Rubrica præscriptorum facere non valentibus ? » Respondit : « quoad paramenta coloris flavi, *negative* ; quoad paramenta ex auro contexta, *affirmative*, excluso tamen colore violaceo. »

APPENDIX VII

CIRCA CALICES EX ALUMINIO CONFECTOS.

(Ad p. 92.)

Propositum dubium circa usum calicum ex aluminio puro, aut potius ex ære quodam cujus pars præcipua

esset aluminium (metallum nitidum et argento comparabile), una cum voto consultoris referunt *Acta S. Sedis*, t. II, p. 232. Ea autem fuit mens consultoris ut nihil quidem innovaretur quoad legem generalem, indulta vero concederentur Ordinariis, data necessitate. Ideoque S. R. C. die 1 sept. 1866, respondit : « Nihil innovandum. » — Dein, novis porrectis precibus et novo habito voto, permissi sunt calices ex ære aluminii rite deargentati per totum, cum cuppa aurata (Decr. 6 dec. 1866, ap. *Acta S. Sedis*, t. VI, p. 589).

APPENDIX VIII.

CIRCA MISSAS EXEQUIALES SINE CANTU DIEBUS OFFICII RITUS DUPLICIS.

(Ad p. 120.)

Varia jam possunt hujusmodi indulta afferri (cf. *Canoniste contemp.*, 1890, p. 374). Horum initium est responsio S. R. C. data in *Curien.*, die 19 jun. 1700, his verbis : « Utrum in ecclesiis parochialibus ruralibus, in quibus per annum plerumque unus tantum sacerdos celebrat, et sine cantu, possit dici missa de *Requiem*, quando anniversaria ex testatorum dispositione, eorum recurrente obitus die, incidunt in festum duplex minus » ? Resp. : « Quoad missas et anniversaria, recurrente obitûs die, affirmative ».

Cohærenter ad hanc decisionem approbata est consuetudo vigens in diœcesibus Brugensi et Mechliniensi, juxta quam, favore pauperum, parochi missas exequiales lectas celebrabant in festis ritus duplicis minoris et etiam majoris. S. R. C. 12 sept. 1804 (n. 4897, 1); 22 maii 1841 (n. 4921, 6).

Sed et quibusdam ecclesiis non parochialibus simile concessum est indultum, ut hospitio surdo-mutorum,

d. 5 sept. 1861, et recentius, d. 26 febr. 1890, quoad nosocomia quibus inserviunt Filiæ Charitatis S. Vincentii a Paulo.

APPENDIX IX.

CIRCA ORATIONES ET SEQUENTIAM IN MISSIS DE REQUIEM. DE PLURIBUS MISSIS LECTIS DE REQUIEM IN DIE SEU PRO DIE OBITUS VEL DEPOSITIONIS.

(Ad p. 120, 125.)

Quot et quænam orationes dicendæ sint in Missis pro defunctis, item quandonam dicenda vel cantanda sequentia *Dies iræ*, aperte declaratur in sequenti decreto generali d. 30 junii 1896, quo statuitur :

» I. Unam tantum esse dicendam orationem in Missis omnibus quæ celebrantur in Commemoratione Omnium Fidelium defunctorum, die et pro die obitus seu depositionis, atque etiam in Missis cantatis, vel lectis, permittente ritu, diebus tertio, septimo, trigesimo, et die anniversaria, necnon quandocumque pro defunctis Missa *solemniter* celebratur, nempe sub ritu qui duplici respondeat, uti in anniversariis late sumptis.

» II. In Missis quotidianis quibuscumque, sive lectis, sive cum cantu, plures esse dicendas orationes, quarum prima sit pro defuncto vel defunctis certo designatis, pro quibus Sacrificium offertur, ex iis quæ inscribuntur in Missali, secunda ad libitum, ultima pro omnibus defunctis.

» III. Si vero pro defunctis in genere Missa celebratur, Orationes esse dicendas, quæ pro Missis quotidianis in Missali prostant, eodemque ordine quo sunt inscriptæ.

» IV. Quod si in iisdem quotidianis Missis plures addere orationes Celebranti placuerit, uti Rubricæ potestatem faciunt, id fieri posse tantum in Missis

lectis impari cum aliis præscriptis servato numero, et Orationi pro omnibus defunctis postremo loco assignato.

» V. Quod denique ad Sequentiam attinet, semper illam esse dicendam in quibusvis cantatis Missis, uti in lectis quæ diebus ut supra privilegiatis fiunt : in reliquis, vel recitari posse vel omitti ad libitum Celebrantis juxta Rubricas. »

Præterea, novæ factæ sunt concessiones quoad missas lectas, etiam plures celebrandas in quibusvis oratoriis et ecclesiis, paucis diebus exceptis, die seu pro die obitus vel depositionis defuncti, per decretum generale d. 19 maii, approbatum d. 8 junii 1896.

Porro statutum est : « I In quolibet sacello sepulcreti rite erecto vel erigendo, Missas, quæ inibi celebrari permittentur, posse esse de Requie diebus non impeditis a Festo duplici 1. vel 2. classis, a Dominicis aliisque Festis de præcepto servandis, necnon a Feriis, Vigiliis, Octavisque privilegiatis ; item II. in quibuslibet ecclesiis et oratoriis cum publicis tum privatis, et in sacellis ad Seminaria, Collegia et Religiosas vel pias utriusque sexus Communitates spectantibus, Missas privatas de Requie, præsente, *insepulto*, vel etiam sepulto non ultra biduum, cadavere, fieri posse die vel pro die obitus aut depositionis : verum sub clausulis et conditionibus quibus, juxta Rubricas et Decreta, Missa solemnis de Requie iisdem in casibus decantatur, exceptis duplicibus primæ classis et Festis de præcepto. »

Jamvero, ex decreto S. R. C., in *Romana*, d. 12 januarii 1897, hujusmodi Missæ lectæ permittuntur quidem in quibusvis oratoriis seu ecclesiis, sed ea conditione ut pro defuncto applicentur, et « dummodo cadaver sit physice vel moraliter præsens ; sed si agatur de ecclesiis et oratoriis publicis, fieri debet etiam cum missa exéquiali ».

APPENDIX X

CIRCA SIMULATAM ABSOLUTIONEM COMPLICIS.

(Ad pag. 166.)

Certum quidem est illum confessarium non incurrere excommunicationem in Const. *Apostolicæ Sedis*, n. 10, inter specialiter reservatas enumeratam, qui complicem in tribunali audiret, et statim remandaret, nec absolvens, nec absolutionem simulans. At quidquid S. Liguorio (n. 3866 cit.) visum sit, tenendum est illam excommunicationem non vitari ab illo qui simulat se absolvere. Interrogata enim S. Pœnitentiaria, die 1 martii 1878, respondit : « Confessarios simulantes absolutionem complicis in peccato turpi, non effugere excommunicationem reservatam in Bulla Benedicti XIV *Sacramentum Pœnitentiæ* ». Et cf. S. C. Inquis. die 10 decemb. 1883.

Præterea, quamvis S. Pœnitentiaria, die 16 maii 1877 respondisset : « Privationem jurisdictionis absolvendi » complicem in peccato turpi et adnexam excommuni- » cationem, quatenus confessarius illum absolverit, » esse in ordine ad ipsum peccatum turpe, in quo idem » Confessarius complex fuit » ; die tamen 19 februarii 1896, approbante SSmo Dno Nostro Leone PP. XIII, declaravit : « Excommunicationem reservatam in » Bulla *Sacramentum Pœnitentiæ* non effugere confes- » sarios absolventes vel fingentes absolvere eum com- » plicem, qui peccatum quidem complicitatis, a quo » nondum est absolutus, non confitetur, sed ideo ita » se gerit, quia ad id Confessarius pœnitentem induxit » sive directe, sive indirecte. »

APPENDIX XI.

SS. D. N. LEONIS PAPÆ XIII EPISTOLA ENCYCLICA « ARCANUM » 10 FEBR. 1880, DE MATRIMONIO CHRISTIANO.

(Ad pag. 206.)

Arcanum divinæ sapientiæ consilium, quod Salvator hominum Jesus Christus in terris erat perfecturus eo spectavit, ut mundum, quasi vetustate senescentem, ipse per se et in se divinitus instauraret. Quod splendida et grandi sententia complexus est Paulus Apostolus, cum ad Ephesios ita scriberet : *Sacramentum voluntatis suæ... instaurare omnia in Christo, quæ in cælis et quæ in terra sunt* [1]. Revera cum Christus Dominus mandatum facere instituit quod dederat illi pater, continuò novam quamdam formam ac speciem rebus omnibus impertiit, vetustate depulsa. Quæ enim vulnera piaculum primi parentis humanæ naturæ imposuerat Ipse sanavit : homines universos, natura filios iræ, in gratiam cum Deo restituit ; diuturnis fatigatos erroribus ad veritatis lumen traduxit ; omni impuritate confectos ad omnem virtutem innovavit ; redonatisque hæreditati beatitudinis sempiternæ spem certam fecit, ipsum eorum corpus, mortale et caducum, immortalitatis et gloriæ cœlestis particeps aliquandò futurum. Quo verò tam singularia beneficia, quamdiu essent homines, tamdiu in terris permanerent, Ecclesiam constituit vicariam muneris sui, eamque jussit, in futurum prospiciens, si quid esset in hominum societate perturbatum, ordinare ; si quid collapsum, restituere.

Quanquam verò divina hæc instauratio, quam diximus, præcipue et directo homines attigit in ordine gratiæ supernaturali constitutos, tamen pretiosi ac salutares ejusdem fructus in ordinem quoque naturalem

1. Eph. I, 9-10.

largiter permanârunt ; quamobrem non mediocrem perfectionem in omnes partes acceperunt cum singuli homines, tum humani generis societas universa. Etenim, christiano rerum ordine semel constituto, hominibus singulis feliciter contigit, ut ediscerent atque adsuescerent in paterna Dei providentia conquiescere, et spem alere, quæ non confundit, cœlestium auxiliorum ; quibus ex rebus fortitudo, moderatio, constantia, æquabilitas pacati animi, plures denique præclaræ virtutes et egregia facta consequuntur. Societati verò domesticæ et civili mirum est quantum dignitatis, quantum firmitudinis et honestatis accesserit. Æquior et sanctior effecta principum auctoritas ; propensior et facilior populorum obtemperatio ; arctior civium conjunctio ; tutiora jura domini. Omnino rebus omnibus, quæ in civitate habentur utiles, religio christiana consuluit et providit ; ita quidem, ut, auctore S. Augustino, plus ipsa afferre momenti ad bene beateque vivendum non potuisse videatur, si esset parandis vel augendis mortalis vitæ commodis et utilitatibus unice nata.

Verum de hoc genere toto non est Nobis propositum modo singula enumerare ; volumus autem de convictu domestico eloqui, cujus est in *matrimonio* principium et fundamentum.

Constat inter omnes, Venerabiles Fratres, quæ vera sit matrimonii origo. — Quamvis enim fidei christianæ vituperatores perpetuam hac de re doctrinam Ecclesiæ fugiant agnoscere, et memoriam omnium gentium, omnium sæculorum delere jamdiu contendant, vim tamen lucemque veritatis nec debilitare potuerunt. Nota omnibus et nemini dubia commemoramus ; posteaquam sexto creationis die formavit Deus hominem de limo terræ, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, sociam illi voluit adjungere, quam de latere viri ipsius dormientis mirabiliter eduxit. Qua in re hoc voluit providentissimus Deus, ut illud par conjugum esset cunctorum hominum naturale principium ex quo scilicet

propagari humanum genus, et numquam intermissis procreationibus, conservari in omne tempus oporteret. Atque illa viri et mulieris conjunctio, quo sapientissimis Deus consiliis responderet aptius, vel ex eo tempore duas potissimum, easque in primis nobiles, quasi alte impressas et insculptas præ se tulit proprietates, nimirum unitatem et perpetuitatem. Idque declaratum aperteque confirmatum ex Evangelio perspicimus divina Jesu Christi auctoritate ; qui Judæis et Apostolis testatus est, matrimonium ex ipsa institutione sua duntaxat inter duos esse debere, scilicet virum inter et mulierem ; ex duobus unam veluti carnem fieri ; et nuptiale vinculum sic esse voluntate intime vehementerque nexum, ut a quopiam inter homines dissolvi, aut distrahi nequeat. « *Adhærebit* (homo) *uxori suæ, et erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet* [1]. »

Verum hæc conjugii forma, tam excellens atque præstans, sensim corrumpi et interire apud ethnicos populos cœpit ; et penes ipsum Hebræorum genus quasi obnubilari atque obscurari visa. — Nam apud hos de uxoribus susceperat consuetudo communis, ut singulis viris habere plus una liceret ; post autem, cum *ad duritiam cordis* [2] eorum indulgenter permisisset Moyses repudiorum potestatem, ad divortium factus est aditus. — In societate veró ethnicorum vix credibile videatur, quantam corruptelam et demutationem nuptiæ contraxerint, quippe quæ objectæ fluctibus esset errorum uniuscujusque populi et cupiditatum turpissimarum. Plus minus gentes dediscere notionem germanamque originem matrimonii visæ sunt; eamque ob causam de conjugiis passim tunc ferebantur leges, quæ esse e republica viderentur, non quas natura postularet. Solemnes ritus, arbitrio legumlatorum inventi, efficiebant ut

1. Matth. XIX, 5 et seq.
2. Ibid. 8.

honestum uxoris, aut turpe concubinæ nomen mulieres nanciscerentur; quin eo ventum erat, ut auctoritate principum reipublicæ caveretur quibus esset permissum inire nuptias, et quibus non esset, multum legibus contra æquitatem contendentibus, multum pro injuria. Præterea polygamia, polyandria, divortium causæ fuerunt, quamobrem nuptiale vinculum magnopere relaxaretur. Summa quoque in mutuis conjugum juribus et officiis perturbatio extitit, cum vir dominium uxoris acquireret, eamque suas sibi res habere, nulla sæpe justa causa, juberet; sibi verò ad effrenatam et indomitam libidinem præcipiti impune liceret *excurrere per lupanaria et ancillas, quasi culpam dignitas faciat, non voluntas* [1]. Exsuperante viri licentia, nihil erat uxore miserius, in tantam humilitatem dejecta, ut instrumentum pene haberetur ad explendam libidinem vel gignendam sobolem comparatum. Nec pudor fuit, collocandas in matrimonium, emì, vendi, in rerum corporearum similitudinem [2], data interdum parenti maritoque facultate extremum supplicium de uxore sumendi. Talibus familiam ortam connubiis necesse erat aut in bonis reipublicæ esse, aut in mancipio patrifamiliâs [3], cui leges hoc quoque posse dederant, non modo liberorum conficere et dirimere arbitratu suo nuptias, verum etiam in eosdem exercere vitæ necisque immanem potestatem.

Sed tot vitiis, tantisque ignominiis, quibus erant inquinata conjugia, sublevatio tandem et medicina divinitus quæsita est; quandoquidem restitutor dignitatis humanæ legumque mosaicarum perfector Jesus Christus non exiguam, neque postremam de matrimonio curam adhibuit. Etenim nuptias in Cana Galilææ Ipse præsentia sua nobilitavit; primoque ex prodigiis a se editis fecit memorabiles [4]; quibus causis vel ex eo die in

1. Hieronym., *Oper*. tom. I, col 455.
2. Arnob. *adv. Gent.*, 4.
3. Dionys. Halicar., lib. II, c. 26, 27.
4. Joan. II.

hominum conjugia novæ cujusdam sanctitudinis initia videntur esse profecta. Deinde matrimonium revocavit ad primævæ originis nobilitatem, cum Hebræorum mores improbando quod et multitudine uxorum et repudii facultate abuterentur; tum maxime præcipiendo, ne quis dissolvere auderet quod perpetuo conjunctionis vinculo Deus ipse constrinxisset. Quapropter, cum difficultates diluisset ab institutis mosaicis in medium allatas, supremi legislatoris suscepta persona, hæc de conjugibus sanxit : *Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ad fornicationem, et aliam duxerit, mœchatur ; et qui dimissam duxerit, mœchatur* [1].

Verum quæ auctoritate Dei conjugiis decreta et constituta sunt, ea nuncii divinarum legum Apostoli plenius et enucleatius memoriæ litterisque prodiderunt. Jamvero Apostolis magistris accepta referenda sunt quæ *sancti Patres nostri, Concilia et universalis Ecclesiæ traditio semper docuerunt* [2], nimirum Christum Dominum, ad Sacramenti dignitatem evexisse matrimonium ; simulque effecisse ut conjuges, cœlesti gratia quam merita ejus pepererunt septi ac muniti, sanctitatem in ipso conjugio adipiscerentur : atque in eo, ad exemplar mystici connubii sui cum Ecclesia mire conformato, et amorem qui est naturæ consentaneus perfecisse [3], et viri ac mulieris individuam suapte natura societatem divinæ caritatis vinculo validius conjunxisse. *Viri*, Paulus inquit ad Ephesios, *diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret .. Viri debent diligere uxores suas ut corpora sua... nemo enim unquam carnem suam odio habuit ; sed nutrit et fovet eam, sicut et Christus Ecclesiam ; quia membra sumus corporis ejus, de carne ejus et de ossibus ejus. Propter hoc relinquet homo patrem et*

1. Matth., XIX.
2. Trid., sess XXIV.
3. Trid., sess. XXIV, cap I *de Reform. matr.*

matrem suam, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est : ego autem dico in Christo et in Ecclesia [1]. — Similiter Apostolis auctoribus didicimus unitatem, perpetuamque firmitatem, quæ ad ipsa requirebatur nuptiarum origine, sanctam esse et nullo tempore violabilem Christum jussisse. *Iis qui matrimonio juncti sunt*, idem Paulus ait, *præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere ; quod si discesserit, manere innuptam aut viro suo reconciliari* [2]. Et rursus : *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit : quod si dormierit vir ejus, liberata est* [3]. Hisce igitur causis matrimonium extitit *sacramentum magnum* [4], *honorabile in omnibus* [5], pium, castum, rerum altissimarum imagine et significatione verendum.

Neque iis duntaxat quæ commemorata sunt, christiana ejus perfectio absolutioque continetur. Nam primo quidem nuptiali societati excelsius quiddam et nobilius propositum est, quam antea fuisset ; ea enim spectare jussa est non modo ad propagandum genus humanum, sed ad ingenerandam Ecclesiæ sobolem, *cives Sanctorum et domesticos Dei* [6] ; *ut* nimirum *populus ad veri Dei et Salvatoris nostri Christi cultum et religionem procrearetur atque educaretur* [7]. — Secundo loco sua utrique conjugum sunt officia definita, sua jura integre descripta. Eos scilicet ipsos necesse est sic esse animo semper affectos, ut amorem maximum, constantem fidem, solers assiduumque præsidium alteri alterum debere intelligant. — Vir est familiæ princeps, et caput mulieris ; quæ tamen, quia caro est de carne

1. Ad Ephes., v., 25, 28 et seq.
2. I Cor., VII, 10, 11.
3. Ibid., VII, 39.
4. Ad Eph., V, 32.
5. Ad Hebr., XIII, 4.
6. Ad Eph., II, 19.
7. Catech. Rom., cap. VIII

illius et os de ossibus ejus, subjiciatur pareatque viro, in morem non ancillæ, sed sociæ ; ut, scilicet obedientiæ præstitæ nec honestas nec dignitas absit. In eo autem qui præest et in hac quæ paret, cum imaginem uterque referant alter Christi, altera Ecclesiæ, divina caritas esto perpetua moderatrix officii. Nam *vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ... Sed sicut Ecclesia subjecta est Christo, ita mulieres viris suis in omnibus* [1]. — Ad liberos quod pertinet, subesse et obtemperare parentibus, hisque honorem adhibere propter conscientiam debent, et vicissim in liberis tuendis atque ad virtutem potissimum informandis omnes parentum curas cogitationesque evigilare necesse est: *Patres... educate illos* (filios) *disciplina et correctione Domini* [2]. Ex quo intelligitur, nec pauca esse conjugum officia, neque levia ; ea tamen conjugibus bonis, ob virtutem quæ Sacramento percipitur, non modo tolerabilia fiunt, verum etiam jucunda.

Christus igitur cum ad talem ac tantam excellentiam matrimonia renovavisset totam ipsorum disciplinam Ecclesiæ credidit et commendavit. Quæ potestatem in conjugia christianorum omnium tempore, tum loco exercuit, atque ita exercuit, ut illam propriam ejus esse appareret, nec hominum concessu quæsitam, sed auctoris sui voluntate divinitus adeptam. — Quot vero et quam vigiles curas in retinenda sanctitate nuptiarum collocârit, ut sua his incolumitas maneret, plus est cognitum quam ut demonstrari debeat. — Et sane improbatos novimus Concilii Hierosolymitani sententia amores solutos et liberos [3]; civem Corinthium incesti damnatum beati Pauli auctoritate [4] ; propulsatos ac rejectos eodem semper tenore fortitudinis conatus plurimorum, matrimonium christianum hostiliter petentium, videlicet

1. Ad Eph., vi, 23-24.,
2. Ibid., 4.
3. Act., xv, 29.
4. I Cor., v, 5.

Gnosticorum, Manichæorum, Montanistarum sub ipsa rei christianæ primordia ; nostra autem memoria Mormonum, Sansimonianorum, Phalansterianorum, Communistarum. — Simili modo jus matrimonii æquabile inter omnes atque unum omnibus est constitutum, vetere inter servos et ingenuos sublato discrimine[1] ; exæquata viri et uxoris jura; etenim, ut aiebat Hieronymus[2], *apud nos quod non licet feminis, æque non licet viris, et eadem servitus pari conditione censetur* ; atque illa eadem jura ob remunerationem benevolentiæ et vicissitudinem officiorum stabiliter firmata ; adserta et vindicata mulierum dignitas ; vetitum viro pœnam capitis de adultera sumere[3], juratamque fidem libidinose atque impudice violare. — Atque illud etiam magnum est quod de potestate patrumfamiliâs Ecclesia, quantum oportuit, limitaverit, ne filiis et filiabus conjugii cupidis quidquam de justa libertate minueretur[4]; quod nuptias inter cognatos et affines certis gradibus nullas esse posse decreverit[5], ut nimirum supernaturalis conjugum amor latiore se campo diffunderet ; quod errorem et vim et fraudem, quantum potuit, a nuptiis prohibenda curaverit[6]; quod sanctam pudicitiam thalami, quod securitatem personarum[7], quod conjugiorum decus[8], quod religionis incolumitatem[9] sarta tecta esse voluerit. Denique tanta vi, tanta providentia legum divinum istud institutum communiit, ut nemo sit rerum æquus existimator, quin intelligat, hoc etiam ex capite quod ad conjugia refertur,

1. Cap. 1, *de conjug. serv.*
2. Opera, t. I, col. 455.
3. Can. *Interfectores* et Can. *Admonere*, quæst. 2.
4. Cap. 30, quæst. 3, cap. 3, *de cognat. spirit.*
5. Cap. 8, *de consang. et affin.* ; cap. 1, *de cognat. legali.*
6. Cap. 26, *de sponsal.* ; cap. 13, 15, 29, *de sponsal. et matrim.* ; et alibi.
7. Cap. 1, *de convers. infid.*; cap. 5 et 6, *de eo qui duxit in matr.*
8. Cap. 3, 5 et 8, *de spons. et matr.*; Trid. sess. XXIV, cap. 3, *de reform matr.*
9. Cap. 7, *de divort.*

optimam esse humani generis custodem ac vindicem Ecclesiam; cujus sapientia et fugam temporum, et injurias hominum, et rerum publicarum vicissitudines innumerabiles victrix evasit.

Sed, adnitente humani generis hoste, non desunt qui, sicut cætera redemptionis beneficia ingrate repudiant, sic restitutionem perfectionemque matrimonii aut spernunt, aut omnino non agnoscunt. — Flagitium non nullorum veterum est inimicos fuisse nuptiis in aliqua ipsarum parte; sed multo ætate nostra peccant perniciosiùs qui earum naturam, perfectam expletamque omnibus suis numeris et partibus, malunt funditùs pervertere. Atque hujus rei causa in eo præcipue sita est, quod imbuti falsæ philosophiæ opinionibus corruptaque consuetudine animi plurimorum, nihil tam moleste ferunt, quam subesse et parere; acerrimeque laborant, ut non modo singuli homines, sed etiam familiæ atque omnis humana societas imperium Dei superbe contemnant. — Cum verò et familiæ et totius humanæ societatis in matrimonio fons et origo consistat, illud ipsum jurisdictioni Ecclesiæ subesse nullo modo patiuntur; imo dejicere ab omni sanctitate contendunt, et in illarum rerum exiguum sane gyrum compellere, quæ auctoribus hominibus institutæ sunt, et jure civili populorum reguntur atque administrantur. Unde sequi necesse erat ut principibus reipublicæ jus in connubia omne tribuerent, nullum Ecclesiæ esse decernerent; quæ, si quando potestatem ejus generis exercuit, id ipsum esse aut indulgentia principum, aut injuria factum. Sed jam tempus esse inquiunt, ut qui rempublicam gerunt, iidem sua jura fortiter vindicent, atque omnem conjugiorum rationem arbitrio suo moderari aggrediantur. — Hinc illa nata, quæ *matrimonia civilia* vulgo appellantur; hinc scitæ leges de causis, quæ conjugiis impedimento sint, hinc judiciales sententiæ de contractibus conjugalibus, jurene initi fuerint, an vitio. Postremo omnem facultatem in hoc genere juris constituendi et dicendi

videmus Ecclesiæ catholicæ præreptam tanto studio, ut nulla jam ratio habeatur nec divinæ potestatis ejus, nec providarum legum, quibus tamdiu vixere gentes, ad quas urbanitatis lumen cum christiana sapientia pervenisset.

Attamen *Naturalistæ* iique omnes, qui reipublicæ numen se maxime colere profitentes, malis hisce doctrinis totas civitates miscere nituntur, non possunt reprehensionem falsitatis effugere. Etenim cum matrimonium habeat Deum auctorem, fueritque vel a principio quædam Incarnationis Verbi Dei adumbratio, idcirco inest in eo sacrum et religiosum quiddam, non adventitium, sed ingenitum, non ab hominibus acceptum, sed natura insitum. Quocircà Innocentius III [1], et Honorius III [2], decessores Nostri non injuria nec temere affirmare potuerunt, *apud fideles et infideles existere Sacramentum conjugii.* Testantur et monumenta antiquitatis, et mores atque instituta populorum qui ad humanitatem magis accesserant et exquisitiore juris et æquitatis cognitione præstiterant : quorum omnium mentibus informatum anticipatumque fuisse constat, ut cum de matrimonio cogitarent, forma occurreret rei cum religione et sanctitate conjunctæ. Hanc ob causam nuptiæ apud illos non sine cæremoniis religionum, auctoritate pontificum, ministerio sacerdotum fieri sæpe consueverunt. — Ita magnam in animis cœlesti doctrina carentibus vim habuit natura rerum, memoria originum, conscientia generis humani ! — Igitur cum matrimonium sit sua vi, sua natura, sua sponte sacrum, consentaneum est, ut regatur ac temperetur, non principum imperio, sed divina auctoritate Ecclesiæ, quæ rerum sacrarum sola habet magisterium.

Deinde consideranda sacramenti dignitas est, cujus accessione matrimonia christianorum evasere longe nobilissima. De sacramentis autem statuere et præcipere,

1. Cap. 8, *de divort.*
2. Cap. 11, *de transact.*

ita ex voluntate Christi sola potest et debet Ecclesia, ut absonum sit plane potestatis ejus vel minimam partem ad gubernatores rei civilis velle esse translatam. Postremò magnum pondus est, magna vis historiæ, qua luculenter docemur, potestatem legiferam et judicialem, de qua loquimur, libere constanterque ab Ecclesia usurpari consuevisse iis etiam temporibus, quando principes reipublicæ consentientes fuisse aut conniventes in ea re, inepte et stulte fingeretur. Illud enim quam incredibile, quam absurdum, Christum Dominum damnâsse polygamiæ repudiique inveteratam consuetudinem delegata sibi a procuratore provinciæ vel a principe Judæorum potestate; similiter Paulum Apostolum divortia incestasque nuptias edixisse non licere cedentibus aut tacite mandantibus Tiberio, Caligula, Nerone! Neque illud unquam homini sanæ mentis potest persuaderi, de sanctitate et firmitudine conjugii[1], de nuptiis servos inter et ingenuas[2], tot esse ab Ecclesia conditas leges, impetrata facultate ab Imperatoribus romanis, inimicissimis nomini christiano, quibus nihil tam fuit propositum, quam vi et cæde, Christi opprimere adolescentem; præsertim religionem cum jus illud ab Eccclesia profectum a civili jure interdum adeò dissideret, ut Ignatius Martyr[3], Justinus [4], Athenagoras[5] et Tertullianus[6], tanquam injustas vel adulterinas publice traducerent nonnullorum nuptias, quibus tamen imperatoriæ leges favebant.

Postea verò quam ad christianos Imperatores potentatus omnis reciderat, Pontifices maximi et Episcopi in Concilia congregati eadem semper cum libertate conscientiaque juris sui, de matrimoniis jubere, vetare per-

1. Can. Apost. 16, 17, 18.
2. Φιλοσοφουμένα, Oxon. 1851.
3. Epist. ad Polycarp., cap. 5.
4. Apol. Mart.
5. Legat. pro Christian., nn. 32, 33.
6. De coron. milit., cap. 13.

severârunt quod utile esse, quod expedire temporibus censuerunt, utcumque discrepans ab institutis civilibus videretur. Nemo ignorat quam multa de impedimentis ligaminis, voti, disparitatis cultus, consanguinitatis, criminis publicæ honestatis in Conciliis Illiberitano [1], Arelatensi [2], Chalcedonensi [3], Milevitano II, aliisque, fuerint ab Ecclesiæ præsulibus constituta, quæ a decretis jure imperatorio sancitis longe sæpe distarent.

Quin tantum abfuit, ut viri principes sibi adsciscerent in matrimonia christiana potestatem, ut potius eam, quanta est, penes Ecclesiam esse agnoscerent et declararent. Revera Honorius, Theodosius junior, Justinianus [4] fateri non dubitârunt, in iis rebus quæ nuptias attingant, non amplius quam custodibus et defensoribus sacrorum canonum sibi esse licere. Et de connubiorum impedimentis si quid per edicta sanxerunt, causam docuerunt non inviti, nimirum id sibi sumpsisse ex Ecclesiæ permissu atque auctoritate [5] ; cujus ipsius judicium exquirere et reverenter accipere consueverunt in controversiis de honestate natalium [6], de divortiis [7], denique de rebus omnibus cum conjugali vinculo necessitudinem quoquo modo habentibus [8]. — Igitur jure optimo in Concilio Tridentino definitum est in Ecclesiæ potestate esse *impedimenta matrimonium dirimentia constituere* [9], *et causas matrimoniales ad judices ecclesiasticos spectare* [10].

Nec quemquam moveat illa tantopere a Regalistis prædicata distinctio, vi cujus contractum nuptialem a

1. De Aguirre, Conc. Hispan. tom. I, can. 18, 15, 16, 17.
2. Harduin, Act. Concil., tom. I, can. 11.
3. Ibid., can. 16.
4. Novel. 137.
5. Fejer, *Matrim. ex instit. Christ.* Pesth, 1835.
6. Cap. 3, *de ordin. cognit.*
7. Cap. 3, *de divort.*
8. Cap. 13, *qui filii sint legit.*
9. Trid., sess. XXIV, can. 4.
10. Ibid., can. 12.

sacramento disjungunt, eo sane consilio, ut, Ecclesiæ reservatis sacramenti rationibus, contractum tradant in potestatem arbitriumque principum civitatis. — Etenim non potest hujusmodi distinctio, seu verius distractio, probari; cum exploratum sit in matrimonio christiano contractum a sacramento non esse dissociabilem; atque ideò non posse contractum verum et legitimum consistere, quin sit eo ipso sacramentum. Nam Christus Dominus dignitate sacramenti auxit matrimonium; matrimonium autem est ipse contractus, si modo sit factus jure. — Huc accedit, quod ob hanc causam matrimonium est sacramentum, quia est sacrum signum et efficiens gratiam, et imaginem referens mysticarum nuptiarum Christi cum Ecclesia. Istarum autem forma ac figura illo ipso exprimitur summæ conjunctionis vinculo, quo vir et mulier inter se colligantur, quodque aliud nihil est, nisi ipsum matrimonium. Itaque apparet, omne inter christianos justum conjugium in se et per se esse sacramentum: nihilque magis abhorrere a veritate, quam esse sacramentum decus quoddam adjunctum, aut proprietatem allapsam extrinsecus, quæ a contractu disjungi ac disparari hominum arbitratu queat. — Quapropter nec ratione efficitur, nec teste temporum historia comprobatur potestatem in matrimonia christianorum ad principes reipublicæ esse jure traductam. Quod si hac in re alienum violatum jus est, nemo profectò dixerit esse ab Ecclesia violatum.

Utinam vero naturalistarum oracula, ut sunt plena falsitatis et injustitiæ, ita non etiam essent fœcunda detrimentorum et calamitatum. Sed facile est pervidere quantam profanata conjugia perniciem attulerint; quantam allatura sint universæ hominum communitati. — Principio quidem lex est provisa divinitus ut quæ Deo et natura auctoribus instituta sunt, ea tantò plus utilia ac salutaria experiamur, quantò magis statu nativo manent integra atque incommutabilia; quandoquidem procreator rerum omnium Deus probe novit quid singu-

larum institutioni et conservationi expediret, cunctasque voluntate et mente sua sic ordinavit, ut suum unaquæque exitum convenienter habitura sit. At si rerum ordinem providentissime constitutum immutare et perturbare hominum temeritas aut improbitas velit, tum verò etiam sapentissime atque utilissime instituta aut obesse incipiunt, aut prodesse desinunt, vel quod vim juvandi mutatione amiserint, vel quod tales Deus ipse pœnas malit de mortalium superbia atque audacia sumere. Jamverò qui sacrum esse matrimonium negant, atque omni despoliatum sanctitate in rerum profanarum conjiciunt genus, ii pervertunt fundamenta naturæ et divinæ Providentiæ tum consiliis repugnant, tum instituta, quantum potest, demoliuntur. Quapropter mirum esse non debet, ex hujusmodi conatibus insanis atque impiis eam generari malorum segetem, qua nihil est saluti animarum, incolumitatique reipublicæ perniciosius.

Si consideretur quorsum matrimoniorum pertineat divina institutio, id erit evidentissimum, includere in illis voluisse Deum utilitatis publicæ uberrimos fontes. Et sane, præterquam quod propagationi generis humani prospiciunt, illuc quoque pertinent, ut meliorem vitam conjugum beatioremque efficiant; idque pluribus causis, nempe mutuo ad necessitates sublevandas adjumento, amore constanti et fideli, communione omnium bonorum, gratia cœlesti, quæ a sacramento proficiscitur. Eadem vero plurimum possunt ad familiarum salutem ; nam matrimonia quamdiu sunt congruentia naturæ, Deique consilio apte conveniunt, firmare profecto valebunt animorum concordiam inter parentes, tueri bonam institutionem liberorum, temperare patriam potestatem proposito divinæ potestatis exemplo, filios parentibus, famulos heris facere obedientes. Ab ejusmodi autem conjugiis expectare civitates jure possunt genus et sobolem civium qui probe animati sint, Deique reverentia atque amore assueti, sui officii esse

ducant juste et legitime imperantibus obtemperare, cunctos diligere, lædere neminem.

Hos fructus tantos ac tam præclaros tamdiu matrimonium revera genuit, quamdiu munera sanctitatis, unitatis, perpetuitatisque retinuit, a quibus vim omnem accipit frugiferam et salutarem; neque est dubitandum similes paresque ingeneraturum fuisse, si semper et ubique in potestatem fidemque fuisset Ecclesiæ, quæ illorum munerum est fidissima conservatrix et vindex. — Sed quia modo passim libuit humanum jus in locum naturalis et divini supponere, deleri non solum cœpit matrimonii species ac notio præstantissima, quam in animis hominum impresserat et quasi consignaverat natura; sed in ipsis etiam Christianorum conjugiis, hominum vitio, multum vis illa debilata est magnorum bonorum procreatrix. Quid est enim boni quod nuptiales afferre possint societates, unde abscedere christiana religio jubetur, quæ parens est omnium bonorum, maximasque alit virtutes, excitans et impellens ad decus omne generosi animi atque excelsi? Illa igitur semota ac rejecta, redigi nuptias oportet in servitutem vitiosæ hominum naturæ et pessimarum dominarum cupiditatum, honestatis naturalis parum valido defensas patrocinio. Hoc fonte multiplex derivata pernicies, non modo in privatas familias, sed etiam in civitates influxit. Etenim salutari depulso Dei metu, sublataque curarum levatione, qua nusquam alibi est quam in religione Christiana major, persæpe fit, quod est factu proclive, ut vix ferenda matrimonii munera et officia videantur; et liberari nimis multi vinculum velint, quod jure humano et sponte nexum putant, si dissimilitudo ingeniorum, aut discordia, aut fides ab alterutro violata, aut utriusque consensus, aliæve causæ liberari suadeant oportere. Et si forte satis fieri procacitati voluntatum lege prohibeatur, tum iniquas clamant esse leges, inhumanas, cum jure civium liberorum pugnantes; quapropter omnino videndum ut, illis antiquatis abroga-

tisque, licere divortia humaniore lege decernatur.

Nostrorum autem temporum legumlatores, cum eorumdem juris principiorum tenaces se ac studiosos profiteantur, ab illa hominum improbitate, quam diximus, se tueri non possunt, etiamsi maxime velint: quare cedendum temporibus ac divortiorum conçedenda facultas. — Quod historia idem ipsa declarat. Ut enim alia prætereamus, exeunte sæculo superiore, in illa non tam perturbatione quam deflagratione Galliarum, cum societas omnis amoto Deo, profanaretur, tum demum placuit ratas legibus esse conjugum discessiones. Easdem autem leges renovari hoc tempore multi cupiunt propterea quod Deum et Ecclesiam pelli e medio ac submoveri volunt a societate conjunctionis humanæ; stulte putantes extremum grassanti morum corruptelæ remedium de ejusmodi legibus esse quærendum.

At verò quanti materiam mali in se divortia contineant, vix attinet dicere. Eorum enim causa fiunt maritalia fœdera mutabilia ; extenuatur mutua benevolentia ; infidelitati perniciosa incitamenta suppeditantur ; tuitioni atque institutioni liberorum nocetur; dissuendis societatibus domesticis præbetur occasio ; discordiarum inter familias semina sparguntur; minuitur ac deprimitur dignitas mulierum, quæ in periculum veniunt ne, cum libidini virorum inservierint, pro derelictis habeantur.— Et quoniam ad perdendas familias, frangendasque regnorum opes nihil tam valet, quam corruptela morum, facile perspicitur, prosperitati familiarum ac civitatum maxime inimica esse divortia : quæ a depravatis populorum moribus nascuntur ac, teste rerum usu, ad vitiosiores vitæ privatæ et publicæ consuetudines aditum januamque patefaciunt. — Multoque esse graviora hæc mala constabit, si consideretur, frenos nullos futuros tantos, qui concessam semel divortiorum facultatem valeant intra certos, aut ante provisos, limites coercere. Magna prorsus est vis exemplorum, major cupiditatum : hisce incitamentis fieri debet, ut divortiorum libido latius

quotidie serpens plurimorum animos invadat, quasi morbus contagione vulgatus, aut agmen aquarum, superatis aggeribus, exundans.

Hæc certe sunt omnia per se clara ; sed renovanda rerum gestarum memoria fiunt clariora. — Simul ac iter divortiis tutum lege præstari cœpit, dissidia, simultates, secessiones plurimum crevere ; et tanta est vivendi turpitudo consecuta, ut eos ipsos, qui fuerant talium discessionum defensores, facti pœnituerit ; qui nisi contraria lege remedium mature quæsissent, timendum erat, ne præceps in suam ipsa perniciem respublica dilaberetur. — Romani veteres prima divortiorum exempla dicuntur inhorruisse ; sed non longa mora sensus honestatis in animis obstupescere, moderator cupiditatis pudor interire, fidesque nuptialis tanta cum licentia violari cœpit, ut magnam veri similitudinem habere videatur quod a nonnullis scriptum legimus, mulieres non mutatione consulum, sed maritorum enumerare annos consuevisse. — Pari modo apud Protestantes principio quidem leges sanxerant, ut divortia fieri liceret certis de causis, iisque non sane multis : istas tamen propter rerum similium affinitatem compertum est in tantam multitudinem excrevisse apud Germanos, Americanos, aliosque, ut qui non stulte sapuissent, magnopere deflendam putârint infinitam morum depravationem atque intolerandam legum temeritatem.

Neque aliter se res habuit in civitatibus catholici nominis : in quibus si quandò datus est conjugiorum dissidiis locus, incommodorum, quæ consecuta sunt, multitudo opinionem legislatorum longe vicit. Nam scelus plurimorum fuit, ad omnem malitiam fraudemque versare mentem ac per sævitiam adhibitam, per injurias, per adulteria fingere causas ad illud impune dissolvendum, cujus pertæsum esset conjunctionis maritalis vinculum : idque cum tanto publicæ honestatis detrimento, ut operam emendandis legibus quamprimum dari omnes judicaverint oportere. — Et quisquam dubi-

tabit, quin exitus æque miseros et calamitosos habituræ sint leges divortiorum fautrices, sicubi forte in usum ætate nostra revocentur? Non est profectò in hominum commentis vel decretis facultas tanta, ut immutare rerum naturalem indolem conformationemque possint: quapropter parum sapienter publicam felicitatem interpretantur, qui germanam matrimonii rationem impune perverti posse putant; et, qualibet sanctitate cum religionis tum Sacramenti posthabita, diffingere ac deformare conjugia turpius velle videntur, quam ipsa ethnicorum instituta consuevissent. Ideòque nisi consilia mutentur, perpetuò sibi metuere familia et societas humana debebunt, ne miserrime conjiciantur in illud rerum omnium certamen atque discrimen, quod est Socialistarum ac Communistarum flagitiosis gregibus jamdiu propositum. — Unde liquet quam absonum et absurdum sit publicam salutem a divortiis expectare, quæ potius in certam societatis perniciem sunt evasura.

Igitur confitendum est, de communi omnium populorum bono meruisse optime Ecclesiam catholicam, sanctitati et perpetuitati conjugiorum tuendæ semper intentam; nec exiguam ipsi gratiam deberi, quod legibus civicis centum jam annos in hoc genere multa peccantibus palam reclamaverit [1]; quod hæresium deterrimam Protestantium de divortiis et repudiis anathemate perculerit [2]; quod usitatam Græcis diremptionem matrimoniorum multis modis damnaverit [3]; quod irritas esse nuptias decreverit ea conditione initas, ut aliquando dissolvantur [4]; quod demum vel a prima ætate leges

1. Pius VI, epist. ad episc. Lucionen., 28 Maii 1793.— Pius VII, litter. encycl. die 17 Febr. 1809, et Const. dat. die 19 Jul. 1817. — Pius VIII, litt. encycl. die 28 Maii 1829. — Gregorius XVI, Const. dat. die 15 Augusti 1832. — Pius IX, alloc. habit. die 22 Sept. 1852.

2. Trid., sess. XXIV, can. 5 et 7.

3. Concil. Florent., et Instr. Eug. IV ad Armenos.—Bened., XIV Const. *Etsi pastoralis*, 6 Maii 1742.

4. Cap. 7, *de condit. appos.*

imperatorias repudiârit, quæ divortiis et repudiis perniciose favissent[1]. — Pontifices vero maximi quoties restiterunt principibus potentissimis, divortia a se facta ut rata Ecclesiæ essent minaciter petentibus, toties existimandi sunt non modò pro incolumitate religionis, sed etiam pro humanitatis gentium propugnavisse. Quam ad rem omnis admirabitur posteritas invicti animi documenta a Nicolao I edita adversus Lotharium; ab Urbano II et Paschali II adversus Philippum I regem Galliarum; a Cœlestino III et Innocentio III adversus Alphonsum a Leone et Philippum II principem Galliarum; a Clemente VII et Paulo III adversus Henricum VIII; denique a Pio VII sanctissimo fortissimoque Pontifice adversus Napoleonem I, secundis rebus et magnitudine imperii exultantem.

Quæ cum ita sint, omnes gubernatores administratoresque rerum publicarum, si rationem sequi sapientiam, si ipsam populorum utilitatem voluissent, malle debuerant sacras de matrimonio leges intactas manere, oblatumque Ecclesiæ adjumentum in tutelam morum prosperitatemque familiarum adhibere, quam ipsam Ecclesiam in suspicionem inimicitiæ, et in falsam atque iniquam violati juris civilis insimulationem.

Eoque magis, quod Ecclesia catholica, ut in re nulla potest ab religione officii et defensione juris sui declinare, ita maxime solet esse ad benignitatem indulgentiamque proclivis in rebus omnibus quæ cum incolumitate jurium et sanctitate officiorum suorum possunt una consistere. Quam ob rem nihil unquam de matrimonio statuit, quin respectum habuerit ad statum communitatis, ad conditiones populorum; nec semel suarum ipsa legum præscripta, quoad potuit, mitigavit, quando ut mitigaret causæ justæ et graves impulerunt. — Item non ipsa ignorat neque diffitetur, sacramentum matri-

1. Hieron., epist. 79 ad Ocean. — Ambros., lib. VIII, in cap. 16 Lucæ, n. 5. — August., de nuptiis, cap. 10.

monii, cum ad conservationem quoque et incrementum societatis humanæ dirigatur, connexionem et necessitudinem habere cum rebus ipsis humanis, quæ matrimonium quidem consequentur, sed in genere civili versantur : de quibus rebus jure decernunt et cognoscunt qui rei publicæ præsunt.

Nemo autem dubitat, quin Ecclesiæ conditor Jesus Christus potestatem sacram voluerit esse a civili distinctam, et ad suas utramque res agendas liberam atque expeditam ; hoc tamen adjuncto, quod utrique expedit et quod interest omnium hominum, ut conjunctio inter eas et concordia intercederet, in iisque rebus quæ sint, diversa licet ratione, communis juris et judicii, altera cui sunt humana tradita opportune et congruenter ab altera penderet, cui sunt cœlestia concredita. Hujusmodi autem compositione, ac fere harmonia, non solum utriusque potestatis optima ratio continetur, sed etiam opportunissimus atque efficacissimus modus juvandi hominum genus in eo quod pertinet ad actionem vitæ et ad spem salutis sempiternæ. Etenim sicut hominum intelligentia, quemadmodum in superioribus Encyclicis Litteris ostendimus, si cum fide christiana conveniat, multum nobilitatur multoque evadit ad vitandos ac repellendos errores munitior, vicissimque fides non parum præsidii ab intelligentia mutuatur ; sic pariter si cum sacra Ecclesiæ potestate civilis auctoritas amice congruat, magna utrique necesse est fiat utilitatis accessio. Alterius enim amplificatur dignitas, et, religione præeunte, nunquam erit non justum imperium : alteri verò adjumenta tutelæ et defensionis in publicum fidelium bonum suppeditantur.

Nos igitur, harum rerum consideratione permoti cum studiose alias, tum vehementer in præsenti viros principes in concordiam atque amicitiam jungendam iterum hortamur ; iisdemque paterna cum benevolentia veluti dexteram primi porrigimus, oblata supremæ potestatis Nostræ auxilio, quod tantò magis est hoc tempore neces-

sarium, quantò jus imperandi plus est in opinione hominum, quasi accepto vulnere, debilitatum. Incensis jam procaci libertate animis et omne imperii, vel maxime legitimi, jugum nefario ausu detrectantibus, salus publica postulat, ut vires utriusque potestatis consocientur ad prohibenda damna, quæ non modò Ecclesiæ, sed ipsi etiam civili societati impendant.

Sed cum amicam voluntatum conjunctionem valde suademus precamurque Deum principem pacis, ut amorem concordiæ in animos cunctorum hominum injiciat, tum temperare Nobis ipsi non possumus, quin Vestram industriam, Venerabiles Fratres, Vestrum studium ac vigilantiam quæ in Vobis summa esse intelligimus, magis ac magis hortando incitemus. Quantum contentione assequi, quantum auctoritate potestis, date operam, ut apud gentes fidei Vestræ commendatas integra atque incorrupta doctrina retineatur, quam Christus Dominus et cœlestis voluntatis interpretes Apostoli tradiderunt, quamque Ecclesia catholica religiose ipsa servavit, et a Christi fidelibus servari per omnes ætates jussit.

Præcipuas curas in id insumite, ut populi abundent præceptis sapientiæ christianæ, semperque memoria teneant matrimonium non voluntate hominum, sed auctoritate nutuque Dei fuisse initio constitutum, *et hac* lege prorsus ut sit unius ad unam: Christum verò novi Fœderis auctorem illud ipsum ex officio naturæ in Sacramenta transtulisse, et, quod ad vinculum spectat, legiferam et judicialem Ecclesiæ suæ attribuisse potestatem. Quo in genere cavendum magnopere est, ne in errorem mentes inducantur a fallacibus conclusionibus adversariorum, qui ejusmodi potestatem ademptam Ecclesiæ vellent. — Similiter omnibus exploratum esse debet, si qua conjunctio viri et mulieris inter Christi fideles citra Sacramentum contrahatur, eam vi ac ratione justi matrimonii carere : et quamvis convenienter legibus civicis facta sit, tamen pluris esse non posse, quam ritum aut morem jure civilii introductum ; jure

autem civili res tantummodò ordinari atque administrari posse, quas matrimonia efficiunt ex sese in genere civili, et quas gigni non posse manifestum est, nisi vera et legitima illarum causa, scilicet nuptiale vinculum, existat. — Hæc quidem omnia probe cognita habere maxime sponsorum refert, quibus etiam probata esse debent et notata animis, ut sibi liceat hac in re morem legibus gerere; ipsa non abnuente Ecclesia, quæ vult atque optat ut in omnes partes salva sint matrimoniorum effecta, et ne quid liberis detrimenti afferatur.

In tanta autem confusione sententiarum, quæ serpunt quotidie longius, id quoque est cognitu necessarium, solvere vinculum conjugii inter christianos rati et consummati nullius in potestate esse; ideoque manifesti criminis reos esse, si qui forte conjuges, quæcumque demum causa esse dicatur, novo se matrimonii nexu ante implicare velint quam abrumpi primum morte contigerit. — Quod si res eò devenerint, ut convictus ferri diutius non posse videatur, tum verò Ecclesia sinit alterum ab altera seorsum agere, adhibendisque curis ac remediis ad conjugum conditionem accommodatis, lenire studet secessionis incommoda; nec unquam committit, ut de reconcilianda concordia aut non laboret aut desperet. — Verum hæc extrema sunt; quo facile esset non descendere, si sponsi non cupiditate acti, sed præsumptis cogitatione tum officiis conjugum, tum causis conjugiorum nobilissimis, ea quæ æquum est mente ad matrimonium accederent; neque nuptias anteverterent continuatione quadam serie flagitiorum, irato Deo. Et ut omnia paucis complectamur, tunc matrimonia placidam quietamque constantiam habitura sunt, si conjuges spiritum vitamque hauriant a virtute religionis, quæ forti invictoque animo esse tribuit; quæ efficit ut vitia, si qua sint in personis, ut curarum maternarum pondus, ut comites vitæ labores, ut casus adversi non solum moderate, sed etiam libenter perferantur.

Illud etiam cavendum est, ne scilicet conjugia appe-

tantur cum alienis a catholico nomine: animos enim disciplina religionis dissidentes vix sperari potest futuros esse cætera concordes. Quinimò ab ejusmodi conjugiis ex eo màxime perspicitur esse abhorrendum, quod occasionem præbent vetitæ societati et communicationi rerum sacrarum, periculum religioni creant conjugis catholici, impedimenta sunt bonæ institutioni liberorum et persæpe animos impellunt, ut cunctarum religionum æquam habere rationem assuescant, sublato veri falsique discrimine. — Postremo loco, cum probe intelligamus, alienum esse a caritate Nostra neminem oportere, auctoritati fidei et pietati Vestræ, Venerabiles Fratres, illos commendamus, valde quidem miseros, qui æstu cupiditatum abrepti et salutis suæ plane immemores contra fas vivunt, haud legitimi matrimonii vinculo conjuncti. In his ad officium revocandis hominibus Vestra solers industria versetur: et cum per Vos ipsi, tum interposita virorum bonorum opera, modis omnibus contendite, ut sentiant se flagitiose recessisse, agant nequitiæ pœnitentiam, et ad justas nuptias ritu catholico ineundas animum inducant.

Hæc de matrimonio christiano documenta ac præcepta, quæ perhas litteras Nostras Vobiscum, Venerabiles Fratres, communicanda censuimus, facile videtis, non minus ad conversationem civilis communitatis, quam ad salutem hominum sempiternam magnopere pertinere. — Faxit igitur Deus ut quantò plus habent illa momenti et ponderis, tantò dociles promptosque magis ad parendum animos ubique nanciscantur. Hujus rei gratia, supplice atque humili prece omnes pariter opem imploremus beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ, quæ excitatis mentibus ad obediendum fidei, matrem se et adjutricem hominibus impertiat. Neque minore studio Petrum et Paulum obsecremus, Principes Apostolorum, domitores superstitionis, satores veritatis, ut ab eluvione renascentium errorum humanum genus firmissimo patrocinio tueantur.

Interea cœlestium munerum auspicem et singularis benevolentiæ Nostræ testem, Vobis omnibus, Venerabiles Fratres, et populis vigilantiæ Vestræ commissis, apostolicam Benedictionem ex animo impertimus.

Datum Romæ apud S. Petrum, die x Februarii anno MDCCCLXXX Pontificatus Nostri anno secundo.

LEO PP. XIII.

APPENDIX XII.

CIRCA PROBATIONEM OBITUS CONJUGIS.

Instructio S. Off. a. 1868.

(Ad pag. 295.)

Totam materiam de impedimento ligaminis et de processu instituendo ad probandam mortem conjugis, ut quis novas nuptias inire possit, pertractat sequens instructio a. 1868 a S. C. S. Officii data, quam proinde ex integro transcribimus.

« Matrimonii vinculo duos tantummodo, Christo ita docente, copulari et conjungi posse ; alterutro vero conjuge vita functo, secundas, imo et ulteriores nuptias, licitas esse, dogmatica Ecclesiæ catholicæ doctrina est.

» Verum ad secundas et ulteriores nuptias quod attinet, cum de re agatur quæ difficultatibus ac fraudibus haud raro est obnoxia, hinc S. Sedes sedulo curavit, modo constitutionibus generalibus, sæpius autem responsis in casibus particularibus datis, ut libertas novas nuptias ineundi ita cuique salva esset, ut prædicta matrimonii unitas in discrimen non adduceretur.

» Inde constituta sacrorum canonum, quibus, ut quis possit licite ad alia vota transire, exigitur quod de morte conjugis certo constet, uti *cap. Dominus, De secundis*

nuptiis, vel quod de ipsa morte recipiatur certum nuntium, uti *cap. In præsentia, De sponsalibus et matrimoniis*. Inde etiam ea quæ explanatius traduntur in ins·ructione *Cum alias*, 21 *Augusti* 1670, a Clem. X sancita, et in bullario Romano inserta, super examine testium pro matrimoniis contrahendis, in curia Emi Vicarii Urbis et cæterorum Ordinariorum. Maxime vero quæ proprius ad rem facientia ibi habentur, n. 12 et 13.

» Et hæc quidem abunde sufficerent, si in ejusmodi causis peragendis omnimoda et absoluta certitudo de alterius conjugis obitu haberi semper posset : sed cum id non sinant casuum propemodum infinitæ vices (quod sapienter animadversum est in laudata instructione his verbis : *Si tamen hujusmodi testimonia haberi non possunt, S. C. non intendit excludere alias probationes, quæ de jure communi possunt admitti, dummodo legitimæ sint et sufficientes*), sequitur, quod stantibus licet principiis generalibus præstitutis, haud raro casus eveniunt, in quibus ecclesiasticorum præsidum judicia hærere solent in vera justaque probatione dignoscenda ac statuenda ; imo, pro summa illa facilitate quæ ætate nostra facta est remotissimas quasque regiones adeundi, in omnes fere orbis partes homines divagentur, ejusmodi casuum multitudo adeo succrevit, ut frequentissimi hac de re ad supremam hanc Congregationem habeantur recursus, non sine porro partium incommodo, quibus inter informationes atque instructiones, quas pro re nata, ut aiunt, peti mittique necesse est, plurimum defluit temporis, quin possint ad optata vota convolare.

» Quapropter S. eadem C. hujusmodi necessitatibus occurrere percupiens, simulque perpendens in dissitis præsertim missionum locis ecclesiasticos præsides opportunis destitui subsidiis, quibus ex gravibus difficultatibus extricare se valeant, e re esse censuit uberiorem edere instructionem, in qua, iis quæ jam tradita sunt nullo pacto abrogatis, regulæ indigitentur, quas in ejusmodi casibus hæc ipsa S. C. sequi solet, ut illarum ope,

vel absque necessitate recursus ad S. Sedem, possint judicia ferri, vel certe, si recurrendum sit, status quæstionis ita dilucide exponatur, ut impediri longiori mora sententia non debeat. Itaque :

» 1. Cum de conjugis morte quæstio instituitur, notandum primo loco, quod argumentum a sola ipsius absentia quantacumque (licet a legibus civilibus fere ubique admittatur), a sacris canonibus minime sufficiens ad justam probationem habetur. Unde s. m. Pius VI ad Archiepiscopum Pragensem, *die 11 Julii* 1789, rescripsit, solam conjugis absentiam atque omnimodum ejus silentium satis argumentum non esse ad mortem comprobandam, ne tum quidem cum edicto regio conjux absens evocatus (idemque porro dicendum est, si per publicas ephemerides id factum sit), nullum suimet indicium dederit. Quod enim non comparuerit, idem ait Pontifex, non magis mors in causa esse potuit, quam ejus contumacia.

» 2. Hinc, ad præscriptum eorumdem sacrorum canonum, documentum authenticum obitus diligenti studio exquiri omnino debet ; exaratum scilicet ex regestis parœciæ, vel xenodochii, vel militiæ, vel etiam, si haberi nequeat ab auctoritate ecclesiastica, a Gubernio civili loci in quo, ut supponitur, persona obierit.

» 3. Porro quandoque hoc documentum haberi nequit; quo casu testium depositionibus supplendum erit. Testes vero duo saltem esse debent, jurati, fide digni, et qui de facto proprio deponant, defunctum cognoverint, ac sint inter se concordes quoad locum et causam obitus, aliasque substantiales circumstantias. Qui insuper, si defuncti propinqui sint, aut socii itineris, industriæ, vel etiam militiæ, eo magis plurimi faciendum erit illorum testimonium.

» 4. Interdum unus tantum testis examinandus reperitur, et, licet ab omni jure testimonium unius ad plene probandum non admittatur, attamen, ne conjux, alias nuptias inire peroptans, vitam cœlibem agere cogatur,

etiam unius testimonium absolute non respuit S. C. in dirimendis hujusmodi casibus, dummodo ille testis recensitis conditionibus sit præditus, nulli exceptioni obnoxius, ac præterea ejus depositio aliis gravibusque adminiculis fulciatur; sique alia extrinseca adminicula colligi omnino nequeant, hoc tamen certum sit, nihil in ejus testimonio reperiri quod non sit congruum atque omnino verisimile.

» 5. Contingit etiam ut testes omnimoda fide digni testificentur se tempore non suspecto, mortem conjugis ex aliorum attestatione audivissse; isti autem, vel quia absentes, vel quia obierint, vel aliam ob quamcumque rationabilem causam examinari nequeunt; tunc, dicta ex alieno ore, quatenus omnibus aliis in casu concurrentibus circumstantiis, aut saltem urgentibus respondeant, satis esse censentur pro secutæ mortis prudenti judicio.

» 6. Verum haud semel experientia compertum habetur, quod nec unus quidem reperiatur testis, qualis supra adstruitur. Hoc in casu probatio obitus ex conjecturis, præsumptionibus, indiciis, et adjunctis quibuscumque, sedula certe et admodum cauta investigatione curanda erit, ita nimirum ut, pluribus hinc inde collectis, eorumque natura perpensa, prout scilicet urgentiora vel leviora sunt, seu propiore vel remotiore nexu cum veritate mortis conjunguntur, inde prudentis viri judicium ad eamdem mortem affirmandam probabilitate maxima, seu morali certitudine, promoveri possit. Quapropter quandonam in singulis casibus habeatur ex hujusmodi conjecturis simul conjunctis justa probatio, id prudenti relinquendum est judicis arbitrio; hic tamen non abs re erit plures indicare fontes, ex quibus illæ, sive urgentiores, sive etiam leviores, colligi et haberi possint.

» 7. Itaque in primis illæ præsumptiones investigandæ erunt, quæ personam ipsius asserti defuncti respiciunt, quæque profecto facile haberi poterunt a con-

junctis, amicis, vicinis, et quoquo modo notis utriusque conjugis. In quorum examine requiratur, ex. gr. :

» An ille, de cujus obitu est sermo, bonis moribus imbutus esset, pie religioseque viveret, uxoremque diligeret; nullam sese occultandi causam haberet ; utrum bona stabilia possideret, vel alia a suis propinquis aut aliunde sperare posset.

» An discesserit annuentibus uxore et conjunctis ; quæ tunc ejus ætas et valetudo esset.

» An aliquando et quo loco scripserit, et num suam voluntatem quamprimum redeundi aperuerit ; aliaque ejus generis indicia colligantur.

» Alia ex rerum adjunctis pro varia absentiæ causa colligi indicia sic poterunt.

» Si ob militiam abierit, a Duce militum requiratur quid de eo sciat ; utrum alicui pugnæ interfuerit; utrum ab hostibus fuerit captus ; num castra deseruerit, aut destinationes periculosas habuerit, etc.

» Si negotiationis causa iter susceperit, inquiratur utrum tempore itineris gravia pericula fuerint ipsi superanda ; num solus profectus fuerit, vel pluribus comitatus ; utrum in regione ad quam se contulit, supervenerint seditiones , bella, fames et pestilentiæ, etc.

» Si maritimum iter fuerit aggressus, sedula investigatio fiat a quo portu discesserit ; quinam fuerint itineris socii ; quo se contulerit ; quod nomen navis quam conscendit ; quis ejusdem navis gubernator ; an naufragium fecerit ; an societas, quæ navis cautionem forsan dedit, pretium ejus solverit ; aliæque circumstantiæ, si quæ sint, diligenter perpendantur.

» 8. Fama quoque, aliis adjuta adminiculis, argumentum de obitu constituit, hisce tamen conditionibus, nimirum : quod a duobus saltem testibus fide dignis et juratis comprobetur, qui deponant de rationabili causa ipsius famæ ; an eam acceperint a majori et saniori parte populi, et an ipsi de eadem fama recte sentiant ;

nec sit dubium illam fuisse concitatam ab illis in quorum commodum inquiritur.

» Tandem, si opus fuerit, prætereunda non erit investigatio per publicas ephemerides, datis directori omnibus necessariis personæ indiciis, nisi ob speciales circumstantias saniori ac prudentiori consilio aliter censeatur.

» 10. Hæc omnia pro opportunitate casuum S. hæc C. diligenter expendere solet; cumque de re gravissima agatur, cunctis æqua lance libratis, atque insuper auditis plurium theologorum et jurisprudentum suffragiis, denique suum judicium pronuntiat, an de tali obitu satis constet, et nihil obstet quominus petenti transitus ad alias nuptias concedi possit.

» 11. Ex his omnibus ecclesiastici Præsides certam desumere possunt normam, quam in hujusmodi judiciis sequantur. Quod si, non obstantibus regulis hucusque notatis, res adhuc incerta et implexa illis videatur, ad S. Sedem recurrere debebunt, actis omnibus cum ipso recursu transmissis, aut saltem diligenter expositis. »

APPENDIX XIII.

CIRCA IMPEDIMENTUM DISPARITATIS CULTUS PERFECTÆ.

(Ad p. 314.)

Circa hoc impedimentum sedulo notandum est baptisma dubium, sive dubio juris, sive dubio facti, habendum esse ceu validum in ordine ad matrimonium. Hinc orto dubio de baptismate alterutrius ex sponsis, baptizandus est sub conditione « sine præjudicio validitatis matrimonii ». S.C.C. in *Tarvisinâ*, *Matr.*, 4 mart. 1737. Unde et in ordine ad matrimonium, pro valido haberi

debet baptisma protestantium, donec contrarium probetur, ex resp. S. Off. ad episc. Anneciensem, 17 nov. 1830, et deinceps sæpius.

APPENDIX XIV

CIRCA DISPENSATIONES IN ARTICULO MORTIS IMPEDIMENTORUM MATRIMONIALIUM QUOAD CIVILITER CONJUNCTOS

(Ad p. 346.)

Hæc præstantissima et utilissima facultas concessa est omnibus Ordinariis per litteras S. C. S. Officii, die 20 febr. 1888, in quibus legitur :

«... Re serio diligenterque perpensa, approbatoque et confirmato EE. PP. una mecum Generalium Inquisitorum suffragio, S. S. benigne annuit pro gratia, qua locorum Ordinarii dispensare valeant per se sive per ecclesiasticam personam sibi benevisam, ægrotos in gravissimo mortis periculo constitutos, quando non suppetit tempus recurrendi ad S. Sedem, super impedimentis quantumvis publicis matrimonium jure ecclesiastico dirimentibus, excepto sacro presbyteratus ordine et affinitate lineæ rectæ ex copula licita proveniente.

» Mens autem est ejusdem S. S., ut si quando, quod absit, necessitas ferat, ut dispensandum sit cum iis, qui sacro subdiaconatus aut diaconatus ordine sunt insigniti, vel solemnem professionem religiosam emiserint, atque post dispensationem et matrimonium rite celebratum convaluerint, in extraordinariis hujusmodi casibus Ordinarii de impertita dispensatione S. Officii Congregationem certiorem faciant ; et interim omni ope curent ut scandalum, si quod adsit, eo meliori modo quo fieri possit removeatur, tum inducendo eosdem ut in loca se conferant, ubi eorum conditio ecclesiastica aut religiosa ignoratur, tum si id obtineri nequeat, injun-

gendo saltem iisdem spiritualia exercitia aliasque salutares pœnitentias, atque eam vitæ rationem, quæ præteritis excessibus redimendis apta videatur, quæque fidelibus exemplo sit ad recte et christiane vivendum. »

Deinde, per decretum diei 9 Jan. 1889, concessum est Ordinariis illam facultatem « posse delegare habitualiter parochis tantum, sed pro casibus duntaxat in quibus deest tempus ad ipsos recurrendi, et periculum est in mora. »

Eadem vero Congregatio, die 23 April. 1890, decrevit, sub nomine parochorum in casu « comprehendi omnes qui actu curam animarum exercent, exclusis viceparochis et capellanis ».

Rursus, decreto die 17 Septembris 1890, responsum est has facultates valere tantum quoad civiliter junctos, vel aliàs in concubinatu viventes ; et die 1 Julii 1891, dispensationem concedi posse, sive ægrotet qui impedimento detinetur, sive alter. (Cf. *Canoniste*, 1888, p. 25 ; 1889, p. 354 ; 1891, p. 30 et 500.)

APPENDIX XV.

CIRCA EXECUTORES DISPENSATIONUM MATRIMONIALIUM.

(Ad p. 355.)

Controversiæ et difficultates, de quibus auctor n. 4425, hodie locum amplius non habent : S. enim C. S. Officii, decreto 20 febr. 1888, approbante SSmo, decrevit :

« 1° Dispensationes matrimoniales omnes (scilicet fori externi) in posterum committendas esse vel Oratorum Ordinario, vel Ordinario loci.

» 2° Appellatione Ordinarii venire Episcopos, administratores seu Vicarios apostolicos, Prælatos seu Præfectos habentes jurisdictionem cum territorio

separato, eorumque Officiales seu Vicarios in spiritualibus generales, et, sede vacante, Vicarium capitularem vel legitimum Administratorem.

» 3° Vicarium capitularem seu Administratorem eas quoque dispensationes apostolicas exequi posse, quæ remissæ fuerint Episcopo, aut Vicario ejus generali vel Officiali, nondum executioni mandatas, sive hi illas exequi cœperint, sive non. Et vicissim, sede deinde provisa, posse Episcopum vel ejus Vicarium in spiritualibus generalem seu Officialem, exequi dispensationes quæ Vicario capitulari exequendæ remissæ fuerant, seu hic illas exequi cœperit, seu minus.

» 4° Dispensationes matrimoniales Ordinario Oratorum commissas exequendas esse ab illo Ordinario qui litteras testimoniales dedit, vel preces transmisit ad S. Sedem Apostolicam, sive sit Ordinarius originis, sive domicilii, sive utriusque sponsi, sive alterutrius eorum : etiamsi sponsi quo tempore executioni danda erit dispensatio, relicto illius diœcesis domicilio, in aliam diœcesim discesserint, non amplius reversuri, monito tamen, si id expedire judicaverit, Ordinario loci in quo matrimonium contrahitur.

» 5° Ordinario prædicto fas esse, si ita quoque expedire judicaverit, ad dispensationis executionem delegare alium Ordinarium, eum præsertim in cujus diœcesi sponsi actu degunt. »

APPENDIX XVI.

CIRCA DIVORTIUM CIVILE.

(Ad p. 367.)

Restituta apud nos civilis divortii lege, gravissimæ exortæ sunt controversiæ et anxietates quoad rectam agendi rationem tum judicum, qui sententias prolaturi

sunt, tum advocatorum et procuratorum qui in iisdem partes agunt, tum demum partium ipsarum. Tam momentosam, tamque practicam quæstionem præterire non possumus. In antecessum S. Sedis declarationes ac responsa referimus.

1° *Responsum S. O. ad Episc. Southwarcensem.*

Episcopus Southwarcensis interrogavit : « 1. utrum advocatus defendere possit reum contra actorem postulantem divortium ». Resp. C. S. O. 22 Maii 1860 : « Dummodo Episcopo constet de probitate advocati et dummodo advocatus nihil agat, quod a principiis juris naturalis et ecclesiastici deflectat, posse tolerari. »

« 2. Utrum liceat advocati et actoris partes agere, quando finis litis est simplex separatio absque ulla sententia matrimonii nullitatem secum ipsa trahente ». Resp. C. S. O. 19 Dec. 1860 : « Dummodo pars catholica nullum aliud tribunal adire possit a quo sententiam obtineat separationis quoad torum et mensam et dummodo sententia hujus tribunalis nullum alium habeat effectum, quam separationem prædictam, posse tolerari, ut catholici in eo foro actoris et advocati partes agant et dummodo adsint justæ separationis causæ, judicio Episcopi et, si quid habeat præterea dubii, recurrat exponens omnes circumstantias et legis dispositiones. »

2° *Responsum S. O. ad Episcopum Sangallensem.*

Hic quæsierat : « Dub V. : Utrum judices catholici et advocati in tribunalibus laicis causas matrimoniales tuta conscientia suscipere ac defendere sive cognoscere et judicare possint.

» Dub. VI : Utrum iidem judices et advocati, secundum recentem Helvetiæ legem, matrimonii vinculum ut dissolvendum proponere seu ut dissolutum declarare tuta conscientia possint, necnon declarare ejusmodi conjuges ad aliud matrimonium contrahendum posse transire, sicut lex civilis hoc in casu judicare et declarare judices expresse jubet et urget.

» In disserenda hac quæstione obliviscendum non est, quod tribunalia sæcularia, quorum est judicare de causis civilibus, eadem sunt, quibus nova lege incumbit causas matrimoniales cognoscere et judicare. Quod si judicibus catholicis vetitum fuerit hujusmodi tribunalibus interesse, in magnum damnum civium ea tribunalia eis judicibus carebunt, qui timore Dei pleni pie et juste judicant. »

S. C. I. 3 Apr. 1877, respondit : « Quoad judices, recurrat in casibus particularibus. Quoad advocatos, dentur responsa jam data Episcopo Southwarcensi, etc. »

3° *Decretum S. O. ad Ordinarios Galliarum.*

Anno 1884, restitutis in Gallia divortii legibus, allatæ sunt quæstiones ad S. C. Inq., quid liceret judicibus, advocatis, procuratoribus. Responsum est 5 junii 1885 :

« Eminentissimi Patres una mecum Inquisitores generales, re mature perpensa, ita censuerunt :

» Attentis gravissimis rerum, temporum ac locorum adjunctis, tolerari posse, ut qui magistratus obtinent et advocati, causas matrimoniales in Gallia agant, quin officio cedere teneantur, dummodo catholicam doctrinam de matrimonio deque causis matrimonialibus ad solos judices ecclesiasticos pertinentibus palam profiteantur et dummodo ita animo comparati sint tum circa valorem et nullitatem conjugii, tum circa separationem corporum, de quibus causis judicare coguntur, ut nunquam proferant sententiam neque ad proferendam defendant vel ad eam provocent vel excitent divino aut ecclesiastico juri repugnantem, et in casibus dubiis vel difficilioribus suum quisque Ordinarium adeat, ejus judicio se dirigat et, quatenus opus sit, per eum ad Apostolicam Pœnitentiariam recurrat.

» Hoc decretum SS. Pater ratum habuit ideoque omnibus in Gallia Archiepiscopis et Episcopis notum fit pro eorum norma per has litteras, ceteroquin non evulgandas. »

4° *Responsum S. O. circa sensum præcedentis Decreti.*

Exortæ tamen dubitationes circa intelligentiam hujus decreti. Quæsitum est proinde a quodam Episcopo:

« 1° An recta sit interpretatio per Gallias diffusa ac etiam typis data, juxta quam satisfacit conditioni præcitatæ judex, qui, licet matrimonium aliquod validum sit coram Ecclesia, ab illo matrimonio vero et constanti animo abstrahit et applicans legem civilem, pronuntiat locum esse divortio, modo solos effectus civiles solumque contractum civilem abrumpere sua sententia intendat, eaque sola respiciant termini prolatæ sententiæ? Aliis terminis, an sententia sic lata possit dici divino aut ecclesiastico juri non repugnans?

» 2° Postquam judex pronuntiavit locum esse divortio, an possit Syndicus (*le Maire*) et ipse solos effectus civiles contractus intendens, ut supra exponitur, divortium pronuntiare, quamvis matrimonium validum sit coram Ecclesia?

» 3° Pronuntiato divortio, an possit idem Syndicus conjugem ad alias nuptias transire attentantem civiliter cum alio jungere, quamvis matrimonium prius validum sit coram Ecclesia vivatque altera pars? »

S. I. C. 27 maii 1886 respondit: « Ad 1m, 2m et 3m dubium: *negative* ».

Cujus responsionis sensus hic esse videtur quod non solum animo et interna intentione judex aut syndicus solos effectus civiles divortii respicere debeant, sed etiam « palam » profiteri debeant doctrinam catholicam et restrictionem, de qua supra, exterius pariter manifestanda sit ab eis.

5° *Responsum S. O. ad Episcopum N...*

Sane quum in casibus particularibus concurrerent et graves causæ et cautiones a decreto anni 1885 impositæ, tolerantiæ responsum ediderunt Congregationes Romanæ. Quod ad judicem spectat, patet ex responso sequenti. Agebatur enim de judice catholico, qui paratum se exhibebat ad renuntiandum loco et muneri, potius-

quam divortii civilis sententias ferre contra jus divinum et ecclesiasticum. Hic recurrerat ad Ordinarium qui, omnibus expositis, a S. Sede tutam agendi rationem expostulabat, et sequentia proponebat dubia:

« 1° An judex, dummodo catholicam doctrinam de matrimonio deque causis matrimonialibus ad solos judices ecclesiasticos pertinentibus palam profiteatur, atque nihil aliud intendat præterquam civile matrimonii vinculum solvere, queat licite ferre sententiam divortii, etiam quando matrimonium sit validum coram Ecclesia?

» 2° An sententiam divortii possit licite ferre, quando nulla intercidit ex eis rationibus quas jus canonicum requirit pro separatione quoad torum et habitationem?

» 3° An onus dignitatemque præsidis tribunalis civilis possit acceptare, cum perspectum habeat quod inde erit constitutus in strictiori necessitate ferendi sæpius sententiam divortii? »

Cui sequens responsum, die 26 julii 1887 ab Emo S. O. Secretario datum est:

« Oblatæ sunt Supr. huic Congreg. S. O. litteræ Amplit. Tuæ sub die 26 aprilis curr. an., quibus dubia nonnulla proponis infaustam divortii legem respicientia. Quibus auditis, Emi DD. Cardinales una mecum Inquisitores generales feria IV die 20 curr. mens. censuerunt excitandum esse summopere ab Ampl. Tua judicem de quo agitur, ut in officio perseveret, stando resolutionibus jam datis a S. Sede et adhibitis cautelis quæ a virtute prudentiæ suadentur. »

6° *Responsum S. Pœnit. ad Episcopum Lucionensem.*

Idem concludere fas est quoad Syndicos ex responso S. Pœnitentiariæ 24 sept. 1887, Episcopo Lucionensi. Cum enim quodam particulari casu urgente, si Syndicus divortium pronuntiare recusasset, magistratu spoliatus certe fuisset, quod et in rei catholicæ detrimentum cessurum erat, interrogavit Episcopus Lucionensis, an propter gravissimas circumstantias rerum, temporum ac locorum, ille Syndicus possit pronuntiare

divortium civile, dummodo: « 1° catholicam doctrinam de matrimonio deque causis matrimonialibus ad solos judices ecclesiasticos pertinentibus palam profiteatur; 2° in ipsa sententia et tanquam magistratus loquens, publice declaret se, solos effectus civiles solumque civilem contractum abrumpere velle: aliunde vinculum matrimoniale omnino firmum manere coram Deo et conscientia ». Respondit S. Pœnitentiaria: « Episcopum in hoc casu particulari, si inspectis omnibus ejus adjunctis ita in Domino expedire judicaverit, tolerare posse, ut Syndicus ad actum, de quo in precibus, procedat, cum declarationibus ab ipso propositis, ita tamen ut loco verborum: *solumque civilem contractum abrumbere*, ponat: *solumque civilem contractum spectare* ».

7° *Responsum S. Pœnit. circa sensum præcedentis rescripti.*

Equidem 4 Jun. 1890 eadem Pœnitentiaria declaravit, « se in eo rescripto edendo id unum in mente habuisse, ut casui particulari pro ejus circumstantiis et exigentiis provideret. » Quod tamen certe non impedit, quominus inferatur, quid in paribus casibus liceat tolerare.

8° *Declaratio ad Gubernium Belgicum.*

Præterea notandum est, responsum C. S. I. 27 Maii 1886, locale esse, non universale. Ita sane Nuntius Apostolicus Belgii respondit Ministro publico Externor. Negotiorum Belgii 14 sept. 1886, qui declarationem flagitaverat: « Em. Card. a Secretis Status, significavit mihi, jubente hoc Sanctitate Sua, Congregationem S. Officii declarasse quod decretum diei 27 Maii non respicit Belgium et idcirco nihil esse in hac regione mutatum quoad ea, quæ spectant ad materiam divortii ».

9° *Responsa S. Pœnit. quoad petentes divortium.*

Plura demum prodierunt responsa, non jam quoad judices vel syndicos, sed quoad ipsas partes divortium civile petituras. Quæ novimus fere omnia negativam solutionem afferunt; at sedulo notandum est apud nos remansisse juridicam separationem a thoro et mensa,

quæ si sufficiat et obtineri possit, certe a divortio abstinendum est. Sic propositus est sequens casus :

Mulier, vi sententiæ separata a marito quoad torum, vellet, ad vitam sustentandam, quoddam publicum munus suscipere. Sed Gubernium id non sinit, nisi petat divortium. Ipsa petere vellet, sed in sua intentione, semper salvo ligamine. Parochus, qui est et illius confessarius, petit, num admitti possit ad sacramenta, et lumen seu consilium circa reliqua ut infra. Responsio data est a S. Pœnitentiaria 5 jan. 1887: « Mulieri pœnitenti, in casu, nihil aliud esse consulendem, nisi ut a petendo divortio sub gravi se abstineat. »

Rursus, quærenti cuidam mulieri num sibi liceret civile divortium petere, ut plenam et independentem a marito fortunæ administrationem obtineret, responsum est a S. Pœnit., die 14 junii 1891 : « Negative ».

Alii, quæ ideo divortium intendebat, ut libere administrans propria, neptem quamdam orphanam educare posset, pariter rescriptum est, die 3 Junii 1891 : « Petitam licentiam concedi non posse ».

Dein quum vir quidam divortium intenderet ut adulterinos filios respuere possit, et legitimæ prolis commoda tueri, ab eadem S. Pœnit. responsum accepit die 7 Jan. 1892 : « Non licere ».

Dum in casu simili, in quo tamen separationis remedium præsto esse non videbatur, orator quidam, die 30 Junii 1892, eo responso dimissus est : « Orator consulat probatos auctores ».

Jamvero, hisce simul collatis textibus et responsis, sequitur aliquo modo saltem tolerari posse, iis adhibitis cautelis et declarationibus, de quibus in decreto anni 1885, sententias divortii civilis a laicis judicibus proferri. Cujus tolerantiæ ratio fundamentalis ea esse videtur, quod, sicut matrimonium civile, in se spectatum, nihil prorsus est coram Deo et in conscientia, ita et divortium civile, in se spectatum, nihil proinde valet coram Deo et in conscientia, quum nihil aliud præ se ferat nisi res-

cissionem matrimonii civilis. Utrumque ergo, si abstractive a consectariis spectetur, est quid indifferens. Quum vero civilis matrimonii consectaria sæpius bona, aut saltem utilia sunt, hinc semper illi se submitterre possunt, imo practice debent, christiani nupturientes. Quum autem divortii civilis effectus sæpius mali sint, aut saltem mali fieri de facili possint, sequitur ab eo regulariter abstinendum esse. Quod si tamen, in casibus concretis, gravissimæ adsint causæ cur in tali divortio quis partes habere majores minoresve cogatur, tunc utique sufficere poterit, ut tolerabiliter agat, duas simul verificari conditiones : ut nempe damna graviora aut saltem gravia sequantur ex abstentione ; dein ut mala quæ ex agentis participatione forsan sequentur, non directe nec in vim ipsius actionis defluant.

Quibus positis, ad practicas conclusiones si deveniamus, dicemus : 1° Judices, quoties in causis divortii sententiam proferre coguntur, non inquietandos esse, dummodo vere ad id adigantur, et palam profiteantur, etc. — 2° Syndicos pariter non inquietandos, iisdem concurrentibus causis et cautelis ; quamquam fatendum est post legem anni 1886 eorum partes in divortio fere nullas jam esse. — 3° Advocati et procuratores (*avoués*) litigantium jura tuentur et iis quodammodo participant ; unde, nisi aliunde cogantur, tunc tantum agere posse videntur, quum clientum jura rationabiliter fundata credunt. — 4° Demum quoad ipsos conjuges, generalis regula vix tradi potest. Attamen, pars quæ reconventionaliter divortium petit regulariter licite agit ; quæ directe, tunc tantum excusari posse videtur, quum firmiter intendit solam libertatem recuperare, non vero rursus civiliter contrahere ; quum libertatem desideratam et alia commoda aliter quam divortio acquirere non potest, ac specíatim per legalem separationem a toro et mensa.

APPENDIX XVII.

CIRCA POTESTATEM EPISCOPORUM QUOAD INDULGENTIAS.

(Ad p. 399.)

Limites ac modum hujus potestatis optime indicat sequens decretum S. C. Indulg. d. 12 Jan. 1878, in *Quiten.* Quæsitum nempe erat:

« I. Potestne Episcopus vel alius quicumque Prælatus eidem actui pietatis, sive eidem pio sodalitio, cui à Romano Pontifice jam indulgentiæ sive plenariæ sive partiales concessæ sunt, alias indulgentias adjungere? Potestne crucibus, coronis, sacris imaginibus, à Papâ vel sacerdote legitimâ facultate munito benedictis, novas adnectere indulgentias?

» II. Potestne Episcopus fidelibus diœcesis non suæ indulgentias concedere, si Ordinarius loci consentit? Potestne tolerari hujusmodi praxis si nihil aliud intenditur nisi per majorem numerum Prælatorum indulgentias concedentium summa dierum indulgentiarum eidem actui devoto adnexarum multiplicetur?

» III. Potestne Episcopus eidem rei vel eidem actui pietatis, cui jam antecessor indulgentias adnexuit, novas indulgentias applicare?

» IV. Potestne Episcopus in partibus infidelium quamvis auxiliarius Ordinarii alicujus, diœcesis indulgentiam 40 dierum concedere sicut Diœcesanus?

» V. Potestne Episcopus, quin limites sui juris excedat, ad augendas indulgentias, eumdem actum pietatis in partes dividere, et, ex. gratiâ, pro omni verbo salutationis angelicæ 40 dies indulgentiarum concedere?

» VI. Potestne Delegatus Apostolicus virtute facultatum quas a S. Pontifice accepit, in concedendis indulgentiis concurrere cum uno vel altero Episcopo territorii delegationis suæ ut idem objectum vel eumdem actum pietatis indulgentiis ditet?

» VII. Prælati quibus privilegio Apostolico data est facultas concedendi in quibusdam solemnibus festivitatibus per annum indulgentias plenarias, debentne hac facultate uti per modum actus toties quoties talis solemnitas occurrit; an vero possunt unica concessione eamdem indulgentiam extendere ad omnes solemnitates periodo annorum recurrentium, aut in perpetuum? »

S. Congregatio respondendum duxit ut infra:

« Ad I. Negative nisi novæ conditiones adimplendæ præscribantur;

» Ad II. Negative ad utrumque;

» Ad III. Negative;

» Ad IV. Negative;

« Ad V. Negative;

» Ad VI. Consultius ut se abstineant;

» Ad VII. Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam. »

Facta autem per infra scriptum Sacræ Congreg. Secretarium Sanctissimo Domino Nostro Pio Papæ IX relatione in audientia habita die 12 jan. 1878, Sanctitas Sua prædictas responsiones probavit et publicari mandavit.

Datum Romæ ex Secretario S. Congreg. die 12 januarii 1878.

Al. Card. Oreglia a S. Stephano, *Præf.*
A. Panici, *Secretarius.*

APPENDIX XVIII.

CIRCA USUM CURRUS IN FUNERIBUS.

(Ad pag. 443.)

Hodie hic usus toleratur juxta sequentem decisionem :

« Dub. I. Utrum in funeribus ducendis tolerari queat usus currus super quo imponatur feretrum equis vehendum ad ecclesiam et cœmeterium ?

» Dub. II. Et quatenus affirmative : utrum parochus et clerus ducere possunt sacris vestibus induti erectaque cruce ? — An ad ecclesiæ januas feretrum excipere ac post exequias, juxta Rituale Romanum persolutas, ibidem reddere debeant super curru ad cœmeterium vehendum? »

S. Congr. rescribendum censuit :

« Ad Im affirmative; Ad IIm affirmative ad primam partem ; negative ad secundam ». Ita rescripsit et servari mandavit, die 5 martii 1879. (*Analecta*, 163e Livr., col. 1021.)

APPENDIX XIX.

CIRCA FUNEBRE FERETRUM.

(Ad p. 445.)

Feretrum, quum in eo corpus includitur, et castrum doloris absente corpore, panno nigro cooperiri debent ; quæritur utrum feretrum, si in eo recondatur corpus puellæ innuptæ, panno ex lana alba contexto cooperiri liceat in signum virginitatis, et utrum pro castro doloris in die tertia, septima, trigesima et anniversario ipsius puellæ innuptæ ? — S. Congr. respondendum censuit : *Negative* in utroque casu, n° 3221 ad 13m. Die 21 jul. 1855. (Mülhbauer, v° *Tumulus*, 1.)

APPENDIX XX.

CIRCA PRIVATIONEM SEPULTURÆ ECCLESIASTICÆ QUOAD EOS QUI CORPUS SUUM INCINERARI JUBENT.

(Ad pag. 455.)

Dubium non est inter eos, quos ecclesiastica sepultura privandos jubet lex Ecclesiæ, annumerandos esse illos qui cadaver suum igni tradendum propria voluntate disponunt. Nam si aliorum voluntate id eveniat, possunt in eorum funeribus adhiberi ritus ecclesiastici, consulto tamen Ordinario. Circa quod attendendæ sunt duæ sequentes S. O. decisiones:

1° *Decretum* 19 *Maii* 1886.

« Feria IV, 19 Maii 1886.

» Non pauci sacrorum Antistites cordatique Christifideles, animadvertentes ab hominibus vel dubiæ fidei vel massonicæ sectæ addictis magno nisu hodie contendi, ut ethnicorum usus de hominum cadaveribus comburendis instauretur, atque in hunc finem speciales etiam societates ab iisdem institui; veriti, ne eorum artibus et cavillationibus fidelium mentes capiantur, et sensim in eis imminuatur existimatio et reverentia erga christianam constantem et solemnibus ritibus ab Ecclesia consecratam consuetudinem fidelium corpora humandi; ut aliqua certa norma iisdem fidelibus præsto sit, qua sibi a memoratis insidiis caveant; a Suprema S. R. et Univ. Inquisitionis Congregatione declarari postularunt:

» I. An licitum sit nomen dare societatibus quibus propositum est promovere usum comburendi hominum cadavera?

» II. An licitum sit mandare ut sua aliorumve cadavera comburantur?

» Emi et Rmi Patres Cardinales in rebus fidei generales Inquisitores suprascriptis dubiis serio ac mature

perpensis, præhabitoque DD. Consultorum voto, respondendum censuerunt:

» Ad I: Negative, et si agatur de societatibus massonicæ sectæ filiabus, incurri pœnas contra hanc latas.

» Ad II: Negative.

» Facta de his SSmo Domino Nostro Leoni Papæ XIII relatione, Sanctitas Sua resolutiones Emorum Patrum adprobavit et confirmavit, et cum locorum Ordinariis communicandas mandavit, ut opportune instruendos curent christifideles circa detestabilem abusum humana corpora cremandi, utque ab eo gregem sibi concreditum totis viribus deterreant.

» Jos. Mancini, *S. R. et U. Inq. Notarius* ».

2° *Decretum d.* 15 *Decembris* 1886.

« Feria IV die 15 Decembris 1886.

» Emi ac Rmi DD. Cardinales Inquisitores Generales decreverunt: quoties agitur de iis, quorum corpora non propria ipsorum, sed aliena voluntate cremationi subjiciantur, Ecclesiæ ritus et suffragia adhiberi posse tum domi, tum in Ecclesia, non autem usque ad cremationis locum, remoto scandalo. Scandalum vero removeri etiam poterit, si notum fiat, cremationem non propria defuncti voluntate electam fuisse. At ubi agatur de iis qui propria voluntate cremationem elegerunt, et in hac voluntate certo et notorie usque ad mortem perseverarunt, attento decreto fer. IV 19 maii 1886, agendum cum iis juxta normas Ritualis Romani, Tit. *Quibus non licet dare ecclesiasticam sepulturam*. In casibus autem particularibus, in quibus dubium vel difficultas oriatur. consulendus erit Ordinarius, qui accurate perpensis omnibus adjunctis, id decernat quod magis expedire in Domino judicaverit. »

APPENDIX XXI.

DECISIO S. PŒNITENTIARIÆ CIRCA OBSERVANTIAM ABSTINENTIÆ IN JEJUNIO.

(Ad p. 563.)

EMINENTISSIME PRINCEPS,

Quidam sacerdotes regnorum Belgii et Hollandiæ, ad tranquillitatem conscientiæ suæ et ad certam fidelium directionem, instanter petunt ab Eminentiâ Vestrâ solutionem sequentium dubiorum:

Gury, Scavini et alii referunt tanquam responsa S. Pœnitentiariæ data die 16 Jan. 1834:

« Posse personis quæ sunt in potestate patrisfamiliâs. cui facta est legitima facultas edendi carnes, permitti ut cibis patrifamiliâs indultis, adjectâ conditione de non permiscendis licitis atque interdictis epulis et de unicâ comestione in die, iis qui jejunare tenentur. »

Igitur quæritur: 1° An hæc resolutio valeat ubique terrarum? 2° Dum dicitur *permitti posse*, petitur à quo ista permissio danda sit, et an sufficiat permissio data à simplici confessario?

Altera resolutio: « Fideles qui ratione ætatis vel laboris jejunare non tenentur, licitè posse in Quadragesimâ, dum Indultum concessum est, omnibus diebus Indulto comprehensis, vesci carnibus aut lacticiniis per idem Indultum pormissis, quoties per diem edunt. »

Dubitatur igitur an hæc resolutio valeat in diœcesi cujus Episcopus auctoritate apostolicâ concedit fidelibus ut, feriâ 2a, 3a, 5a temporis Quadragesimæ, possint semel in die vesci carnibus et ovis, iis verò qui ratione ætatis vel laboris jejunare non tenentur, permittit ut ovis sæpius in die utantur.

Quæritur itaque: 1° An non obstantibus memoratâ phrasi *ovis sæpius in die utantur*, et tenore concessionis,

possint ii, qui ratione ætatis vel laboris jejunare non tenentur, vi dictæ resolutionis vesci carnibus quoties per diem edunt? — 2° An iis, qui jejunare non tenentur ratione ætatis vel laboris, æquiparandi sint qui ratione infirmæ valetudinis à jejunio excusantur, adeo ut istis quoque pluries in die vesci carnibus liceat?

S. Pœnitentiaria, maturè consideratis propositis dubiis dilecto in Christo oratori in primis respondet transmittendo declarationem ab ipsâ S. Pœnitentiariâ aliàs datam, scilicet: « Ratio permissionis de quâ in resolutione datâ à S. Pœnitentiariâ, 16 januarii 1834, non est Indultum patrifamiliâs concessum, sed impotentia, in quâ versantur filiifamiliâs, observandi præceptum. »

Deinde ad duo priora dubia respondet: Quoad primum, *affirmativè*. Quoad secundum, *sufficere permissionem factam à simplici confessario.*

Ad duo verò posteriora dubia respondet: Quoad primum, *negativè*; quoad secundum, *non æquiparari*.

Datum Romæ in S. Pœnitentiariâ, die 27 maii 1863.

A.-M. Card. CAGIANO, M. P.

APPENDIX XXII

CIRCA ALIENATIONEM BONORUM ECCLESIASTICORUM ABSQUE BENEPLACITO APOSTOLICO.

(Ad pag. 688.)

Auctor, una cum fere omnibus recentioribus canonistis, non solum consuetudinem admittit qua bona ecclesiastica absque beneplacito apostolico possent alienari, sed etiam in ejusdem consuetudinis legitimitatem inclinat. Circa quod tamen accuratè perpendendum est sequens S. C. S. Officii responsum d. 22 Decembris

1880, interpretans textum Const. *Apostolicæ Sedis*. Quæsitum enim fuerat:

«..... 3° Tandem excommunicationi subjacere declarantur alienantes et recipere præsumentes bona ecclesiastica absque Beneplacito Apostolico ad formam Extravagantis *Ambitiosæ, de rebus ecclesiasticis non alienandis*. Ex infaustis vero casibus quibus ab initio hujus sæculi bona ecclesiastica affligebantur, aliasque ob causas, subortæ sunt vel prætenduntur consuetudines sacro juri contrariæ, quæ nonnunquam privilegiis sat vetustis firmari videntur.

» Circa hæc igitur sequentia dubia proferri liceat:

» (A) An ipsa lex Beneplaciti Apostolici per constitutionem sæpe memoratam (*Apost. Sedis*), licet hæc ad limitandas censuras latæ sententiæ potissimum tum spectarit, quasi de novo promulgata est, ut sua vi generaliter omnes liget, atque etiam ligaret si constitutio illa *Ambitiosæ* (quam ceteroquin ratam firmamque declarat) vel alia similis non præcessisset? — Et si affirmative:

» (B) An vi clausulæ derogatoriæ, novæ Constitutioni appositæ, revocata censeri debeant privilegia antiqua ab ipsa apostolica sede rite obtenta, alienandi scilicet absque Beneplacito Apostolico?

» (C) An derogatio hæc extendi etiam debeat ad consuetudines particulares legi de Beneplacito Apostolico latæ contrarias, quamvis immemorabiles?

» (D) Utrum cadat lex fundationis alicujus loci pii, vel Instituti ecclesiastici, in quantum circa bona legata Beneplacitum Apostolicum una cum consensu Episcopi seu Ordinarii excludit, vel permittit eorum bonorum alienationem absque tali consensu et Beneplacito (ita quod Monacelli, in suo *Formulario*, ex capite *Tua nos* deduxit); an verò ista lex fundationis stare possit, saltem respectu Institutorum quæ sub immediata regum protectione sunt (Trid., *sess.* XXII, *cap.* VIII, *de ref.*) regio titulo insignita, libertate legali vel facultate a regibus fundatoribus donata fuerint, faciendi de suis bonis quid-

quid sibi pro suis et Instituti totius necessitatibus decreto communi libuerit? »

Responsum est autem :

« Ad primum dubium sub littera (A) : *affirmative*.

» Ad secundum dubium sub littera (B) : quatenus privilegia de quibus agitur generalia sint : *affirmative* ; quatenus sint specialia et personalia : *negative*.

» Ad tertium dubium sub littera (C) : *affirmative*.

» Ad quartum dubium sub littera (D) : Per recentem constitutionem nihil mutatum esse quoad fundationes locorum piorum aliarumque ecclesiasticarum Institutionum, de quibus proinde judicandum esse prout judicabatur ante promulgationem hujus constitutionis. »

APPENDIX XXIII.

CIRCA CLERICORUM ASSISTENTIAM AD FUNERA.

(Ad pag. 702.)

Rigor responsionis 9 Maii 1857 aliquatenus temperatus fuit, juxta id quod apud nos quoad funera fieri solet, per sequentem responsionem S. R. C. ad Episcopum Mimatensem.

« Episcopus Mimaten...S. R. C. exposuit in sua diœcesi usum invaluisse presbyteros in officio defunctorum missæ assistentes, etsi gaudeant statuta mercede, tamen non semper cantui participare ; proprium enim officium privatim interdum recitare solent, cum nempe cantui sese adjungere necesse eis non videtur, et putant se habere personalem aliquam rationem officium suum canonicum non differendi. Quum autem ab hac praxi recedere difficillimum sit, saltem in pluribus circumstantiis.., R. Orator postulavit ut praxis ipsa continuari in posterum possit.

» S. porro Rit. Congr... rescribere rata est : *Si agatur*

tantum de missa, exposita praxis tolerari potest, dummodo tamen adsint cantores ad hoc specialiter deputati; minime vero si agatur de officio defunctorum, quod persolvendum est ab iis qui mercedem accipiunt pro hac recitatione, juxta decretum in *Petrocoricen.*, diei 9 maii 1857.

» Atque ita rescripsit die 11 mart. 1871. »

APPENDIX XXIV

CIRCA ECCLESIARUM ET ALTARIUM CONSECRATIONEM ET EXECRATIONEM.

(Ad p. 81 et 478,)

Plures quæstiones hucusque agitatæ in sensus contrarios, solutæ sunt decreto S. R. C. d. d. 19 maii 1896, approbatum a Sanctissimo die 8 junii. Propositis namque dubiis :

« I. An Ecclesia, in cujus consecratione omissa fuit consecratio Altaris, habenda sit valide consecrata ?

» II. Utrum Ecclesiæ, e cujus parietibus vel partim, vel integre disjicitur simul incrustatio, vulgo *intonaco*, *revêtement*, ut renovetur, consecrata maneat, vel execrata ?

» III. An Altare, sive fixum sive portatile, enormiter fractum, sed firmiter cœmentatum, aut ex pluribus lapidibus efformatum, valide ac licite consecrari possit? »

Sacra Congregatio respondendum censuit :

» Ad I : Affirmative, nempe valide ; sed non licite, nisi habeatur Apostolica dispensatio, quamvis aliqua, vel omnia Altaria jam consecrata reperiantur ; ideoque servandus omnino est ordo Rituum Pontificalis Romani, ut integritas consecrationis perficiatur.

» Ad II : Ecclesia consecrata remanet, quamvis in ejus parietibus opus tectorium sit renovatum.

» Ad III : Negative ; scilicet non potest Altare, de quo fit mentio, valide ac licite consecrari. »

APPENDIX XXV.

CIRCA PLURES CONFRATERNITATES EJUSDEM NOMINIS IN LOCIS VICINIS SEU IN EODEM LOCO.

(Ad p. 434.)

Prohibitionem Clementis VIII et legem de unius leucæ distantia inter confraternitates ejusdem nominis et instituti, aliquatenus temperaverat S. C. Indulgentiarum in *Lauden.*, d. 31 januarii 1893, concedens, approbante Sanctissimo, ut Confraternitates erigi possint « in locis distinctis, id est in distinctis diœcesibus vel communitatibus » ; dein, per decretum in *Ord. Prædic.*, d. 5 martii 1896, approbatum a Sanctissimo die 20 maii sequentis, huic legi pro magnis civitatibus omnino derogavit. Proposito enim dubio :

« IV. An in magnis civitatibus quæ unam tantum constituunt Communitatem, plures nihilominus erigi possint ejusdem nominis et instituti Confraternitates ? » — S. C. respondit :

« Ad IV. Negative, sed supplicandum Sanctissimo ut, derogando in hac parte Constitutioni s. m. Clementis VIII quæ incipit *Quæcumque*, Ordinariis benigne tribuere dignetur facultatem providendi pro eorum arbitrio et prudentia in singulis casibus, servata tamen in hujusmodi erectionibus convenienti, eorum judicio, distantia. »

APPENDIX XXVI.

CIRCA FACULTATEM EPISCOPIS CONCESSAM ANTICIPANDI SEU ETIAM DISPENSANDI SUPER LEGE JEJUNII ET ABSTINENTIÆ.

(Ad p. 562.)

Sacra Congregatio S. R. et U. Inquisitionis, attendens compluribus petitionibus « quarum omnium uan mens erat, abstinentiæ legem magnis in populorum

concursibus ægre admodum ac difficulter variis de causis posse servari et damno potius animarum quam saluti præbere occasionem », fer. IV die 5 decembris 1894, decrevit :

« Supplicandum Sanctissimo ut Episcopis aliisque locorum Ordinariis concedere dignetur facultatem anticipandi die sibi benevisa atque ob gravissimas causas etiam dispensandi super lege jejunii et abstinentiæ, quando festum sub utroque præcepto servandum patroni principalis aut titularis, vel solemne aliquod festum item magno populorum concursu celebrandum, inciderit in ferias sextas aut sabbata per annum, excepto tempore Quadragesimæ, diebus Quatuor Temporum et vigiliis per annum jejunio consecratis ; atque ut eadem anticipandi seu etiam gravissimis de causis dispensandi potestate uti possint pro diebus quibus nundinæ extraordinariæ magno item populorum concursu habeantur ». Sanctissimus autem « omnibus et singulis locorum Ordinariis facultatem de qua agitur, perpetuis futuris temporibus concessit ac attribuit, facta tamen in singulis casibus mentione apostolicæ dispensationis ».

FINIS TOMI TERTII

INDEX

MATERIARUM IN TERTIO VOLUMINE MANUALIS TOTIUS JURIS CANONICI CONTENTARUM.

APPENDICES

FINIS INDICIS TOMI TERTII.

Poitiers. — Sté Franç. d'Impr. et de Libr.
Ancienne impr. Oudin et Cie.

